Quo sensu à Valerio Martiale dictum: <i>Quid barbam uellis mortuo leoni?</i>	Cap. VIII
in quo plerique omnes toto (uti aiunt) caelo aberrarunt.	Cap. VIII
Hieronimi locus restituitur de geranopipa.	Cap. XI
Plinij locus de Annulo fluuio in elephantorum historia.	Cap. XVIII
Plautinus	

IN AVTORIBVS

Plautinus exoluitur nodus in Amphitryone ex literis plane literatis, de Saturni hostia	Cap. XXXIII
Cur in fabula eadem dictum à poeta eodem, <i>Fames &amp; morabile nasum cociunt.</i>	Cap. XXXIII
Item in Curculione, <i>Os amarum habeo, dentes plenos, lippit fauces fame.</i>	Cap. XXXIII
De tyrotaricho quid sentiendum apud Ciceronem.	Cap. XXXVI
Cur dictum à Persio: <i>Saperdam aduehe ponto.</i>	Cap. XXXVI
Quomodo à naturalibus ferè traditum sciamus, hominem unum ex omnibus canescere, an recte Plinius in equis id ipsum agnouerit.	Cap. XXXVIII
Qui intelligi apud Quintilianum Pancratiafae debeant, praeter omnium haecenus sententiam.	Cap. XXX
Quos esse anales grammaticos, statuendum sit, apud Senecam.	Cap. XXXI
Plutarchi sensus item ad saniores reuocatur intellectum ex uita Aemylj Pauli de apocarteresi.	Cap. XXXIII
Plutarchi loca duo restituntur ex Demosthenis uita, de Prytaneo, & Demosthenis statua.	Cap. XL

EX LIBRO XIII

Frigidam suffundere apud Plautum in Cistellaria, esse omnino aliud, quam opinentur multi.	Cap. II
Cur ex sententia Hesiodi uiros hyeme audiores Veneris prodiderit Plinius, foeminas aestate. Restituitur Tranquilli locus ex Tiberio de imperato schemate.	Cap. III
Salustium parum integra fide à Gellio inaccessi, super Sertorio, quem corporis deonestamento laetari solitum, scribit.	Cap. V
Ludere de alieno corio, in Apuleij fabula Milesia prouerbium unde profluxerit, extra quam uel doctioribus uideatur. Quo intellectu dixerit in Amphitryone Plautus, Eius ornamenta, & corium uti conciderent.	Cap. VII
Aristotelis interpres refellitur Ethicorum quinto, super proagogia.	Cap. VIII
Tollitur ex Cicerone nodus in epistola ad Brutum de liberis Themistoclis. Strabonis interpretem foede lapsum libro primo super Midæ historia.	Cap. XII
Pherecydem non fuisse ex prouincia Syria, sicuti male interpretantur plerique.	Cap. XIII
Quis fuerit Siculus, quem Cicero in secundo De oratore, dixisse scribit: <i>Da mihi ex ista arbore, quos seram furculos: in simul &amp; Quintilianii tollitur obscuritas, eadem referentis. Illustratur amplius Plinij locus ex septimo Naturalis historiae de Liuria.</i>	Cap. XIII
Phrynen cur dictum sit, lecythum in maxillis ferre, praeter Graecorum sententiam.	Cap. XV
Restituitur in integrum Plutarchi problema uel perperam tralatum, uel incuria corruptum, mendumque. T. Liuii codex ex libro ab Vrbe condita tertio, emaculatur, ubi modo scribitur, <i>Deiectis honore per concionem duobus Quintijs.</i>	Cap. XVI
Peplographia Varronis in epistolis ad Atticum quae nam intelligi debeat.	Cap. XVIII

EX LIBRO XV

Quid ita Aeneidos quarto, optimus maximus poeta Boream dixerit Alpinum. Plautinus nodus in Epidico enodatur egregie, ubi ait, <i>Austrum pertuli.</i>	Cap. VII
Quintilianii locus ex libro quinto, restituitur, ac enarratur.	Cap. VIII
Error Plutarchi apophthegmatum interpretis super orpheotelestis. Aristotelis tralatio ex Politicis mutila interpellataque restituitur in integrum.	Cap. IX
Tragica profopa quae intelligi debeant apud Aristotelem, praeter Theodori sententiam.	Cap. X
Præcidere quid sit, & unde loquendi figura credi possit corruata: enarratur Martialis illud: <i>Os tibi præcisum, quanto non ipse Latinus</i>	Cap. XI
Vilia panniculi percussit ora sono. Explicatur item doctius carmen Martialis illud: <i>Inuasit medicus sica phreneticus Euclii,</i>	Cap. XI
Et præcidit Hylam: <i>hic, puto, sanus erat.</i>	Cap. XI
Non recte à grammaticis enucleari Maronianum illud ex Bucolico ludicro: <i>Nuper me in littore uidi, Quomodo placidum uentis staret mare.</i>	Cap. XII
Ouidij interpretem foede lapsum in Fastis in eius carminis enarratione: <i>Adde, quod arcana fieri nouus ignis in aede, Dicitur.</i>	Cap. XII
Papinij carmen ex quarto	G

INDEX EXPLICATORVM

quarto Sylvarum, explicatur illustrius per interpretis silentium. Cap. XIII  
 Quid intellexerit Halicarnaseus Dionysius Antiquitatum secundo, ubi ait, Vnicuique triginta curiarum Vesta collocata, ubi sacrificarent. Apud Tranquillum in Tiberio legendum, Coactis qui ea tenebantur superstitione, religiosas Vestas cum uestimēto omni comburere: non autem Vestes, sicuti doctissimo interpreti est uisum. XVII  
 Supplices Vestæ, qui intelligendi apud Plutarchum in Commentatione de mulierum uirtutibus, magno interpretis errore. Ephesij qui sint apud Plutarchum eundem in causis Græcanicis, adnotato interpretis lapsu. Emaculatur Plutarchi codex ex libro qui est πρὸς τὸν Ἰουλιανόν, ubi terram a ueteribus dici clitta scribit. Cap. XVIII  
 Martialis illustratur epigramma ex libro decimo:  
 Si nimius uideor, seraq; coronide longus  
 Esse liber, legito pauca, libellus ero. Cap. XIX  
 Sanna frequens Latinis, uerbum de Græco ueteri deflexum, præter grammaticorum placita. Cap. XXI  
 Macrobij de ascensu descensuq; animarum doctrina, per pensioe acri explicatur, tenebrosa alioqui, & a uanitate non procul. Cap. XXII  
 Cur Virgilius animas plures in Anchise intelligere sit uisus Aeneidos quinto. Maronis locus exponitur ex Georgico quarto:  
 Ipse ego te, medios quum sol accenderit æstus,  
 Quum sitiunt herbæ, & pecori iam gratior umbra est,  
 In secreta senis ducam. Cap. XXIII  
 Aenos, id est ἀνώγει, quid sit apud Quintilianum libro quinto. Cap. XXIII  
 EX LIBRO XVI  
 Cur à Propertio dictum: Cum Tyberis Nilò gratia nulla fuit.  
 Ex historia comprobatur, eum locum hæcenus esse minus perceptum. Cap. III  
 Massilienses mores in Plauto, an pro euiratis & molliculis capi recte possint, quod ex doctioribus prodidere nonnulli. Inibi diluitur Athenæi quoq; auctoritas. Cap. VIII  
 Plutarchi locus suo restituitur candori ex Pelopidæ uita, de seruis, qui dicatur Serotæ. Cap. IX  
 Quid sit ab Horatio significatum, ubi in Arte poetica scribit,  
 Quæ facerent, agerentq; peruncii fecibus ora. Cap. X  
 Erudita in Domitium disertatio, cur tauris phœnicæ obijcerentur uestes, Cur dictum ab Ouidio: Rubræ pauidos formidine pennæ. de ceruis, qui locus in scitissime solet explicari. Simul & illustratur Ausonius super eadem re. Cap. XI  
 Platonis apologia aduersus Lactantium de gallo, quem Aesculapio moriturus Socrates immolari iussit. Cap. XII  
 Lucani locus ex libro tertio explicatur:  
 Aethiopumq; solum, quod non premeretur ab ulla  
 Signiferi regione poli. Cap. XV  
 Pythagoræ symbolum, Super choenice sedet: quo pacto uideatur explicandum præter multorum sententiam. Cap. XVII  
 Aliud Pythagoræ symbolum, Stragula obuoluta seruari debere. Item aliud, Imaginem dei annulo non inscalpendam. Xenophon restituitur, & declaratur. Quintilianus de Pythijs. Cap. XVIII  
 An apud Vlpianum Digestis de aedilitio edicto, legendum sit aphthiphus, sicuti eruditorum nonnullis placet. Cap. XX  
 EX LIBRO XVII  
 Catulli sensus explicatur erudite illis uersiculis:  
 Non est sana puella, nec rogate, Qualis sit, solet hæc imaginofum. III  
 Cornelio Celso lux infertur plurima, ubi ait, Quidam imaginibus, non mente fallunt. III  
 Lucretij locus ex libro secundo, de luce recta uel obliqua declaratur amplius ex mathesi. Cap. VII  
 An Iuuenalis ille uersus, Horrida quale facit residens in codice pellex:  
 ad robur carcerarium referri ullo modo possit. Item illud Propertianum, Codicis

IN AVTORIBVS

Codicis immundi uincula sentit anus. Cap. VIII  
 Columbae geminae, sexto Aeneidos ex Platonicis rationibus quid significant. XV  
 Quid sibi uelit Virgilianum illud ex quarto Aeneidos:  
 Et nunc magna mei sub terras ibit imago. Quo sensu Homerus Herculis animam in caelo statuerit, simulacrum apud inferos. Cap. XVI  
 Expenduntur Thucydidis loca duo, in quibus uideri potest labi interpretis. XVIII  
 Plinij locus perobscurus explicatur libro secundo, Terra nos a reliqua natura abdicatos, tum maxime, ut mater, operit, nullo magis sacramento, quam quo nos quoq; sacros facit. Cap. XIX  
 Declaratur Virgilij carmen Aeneidos sexto: Aut tu mihi terram Inijce.  
 Insimul & Horatius illustratur: Licebit, iniecto ter puluere, curras. Qui fuerint Metelli liberi, apud Plinium libro septimo. Hieronymi locus expenditur ad Pammachium, de anteria. Cap. XX  
 Diadematis legendum sit apud Plinium, an Dalmaticis. Cap. XXII  
 Aleij campi, an recte uacui Latine dicantur. Plutarchi locus restituitur ex Agidis & Cleomenis uita, de Thalamarum ciuitate. Cap. XXIII  
 Quid sit apud Liuuium, conditionem filiae quaerere. Item apud eundem quæ sit uindictiarum ratio. Martialis epigramma festiuissimum explicatur, quod est in Fidentinum: Assertor uenias, satisq; præstes. Assertiones secundæ apud Quintilianum quæ nam intelligi debeant. Cap. XXIX  
 EX LIBRO XVIII  
 Martialis locus explicatur de Lacedæmone libidinosa. Laertij grammatici ex octa ua in Papinij Thebaida enarratione codex emaculatur, de Bomonicis. Quintilianus illustratur libro tertio, ubi ait, Minus Lacedæmone studia literarum, quam Athenis merebuntur: quibusdam rapto uiuere honestum. Iuuenalis locus:  
 Qui Lacedæmonium pædemate lubricat orbem. Cap. I  
 Qui sint apud Appiani interpretem Ciuilium bellorum quarto, aptatores. Episcopus qui nam intelligatur apud Ciceronem septimo epistolarum ad Atticum. Plutarchi locus restituitur ex Alcibiade, de harmostis. Cap. III  
 Quintilianij uerbis lux infertur aliqua de Aesopeis fabulis. Cap. VII  
 Grossos non dici tantum multitudinis numero, sicuti arbitrantur Grammaticorum nonnulli. An pro caprificatione in Plinio reponenda scarificatio sit, ut doctis quibusdam est uisum. Martialis locus de sicedula. Cap. IX  
 Perperam arbitrari quosdam, focalia dici uibrandis capillis destinata instrumeta. X  
 Spartiani & Papinij locus de trichorisis. Cap. XI  
 Quintilianij locus restituitur ex libro primo, de geometria. Cap. XV  
 Quadrataria Clytænestra apud Quintilianum ex Cæcilio, quæ demum statuenda sit. XVI  
 Restituitur candori suo Quintilianus libro tertio, ubi legitur modo, Quale libidinis exemplum, ut Perseus in muliere Samia institueret ausus dicitur primus. Cur instituta Persarum Parthis ascribat Lucanus. Cap. XVIII  
 Martialis carmen libro undecimo explicatur, ubi ait:  
 Claudia ceruleis quum sit Rufina Britannis  
 Aedita: cur Latia pectora plebis habet? Cap. XXI  
 Hieronymi locus de Cassio Longino critico. Cap. XXVI  
 Quod sit fanum locupletissimum a Cicerone pro lege Manilia significatum. XXIX  
 Plutarchus explicatur in Themistocle de Lauriotico prouentu. Cap. XXXVII  
 Item Plutarchi locus alius explicatur ex Demetriij uita, quid sit diametrum debere. Aristotelis obscuritas illustratur ex primo De animalium historijs, quid sit per diametrum moueri. Cap. XXXIX  
 Enarratur locus ad hanc diem non intellectus ex epistola Cælij, de aquarijs. Ca. XL  
 EX LIBRO XIX  
 T. Liuij, & Plutarchi codices emaculantur super Pallade Chalciæco. Cap. VIII  
 Lesche quid sit apud Plutarchum in Lycurgo. Quid sentiendum super eo Quintilianij loco, in cubiculo nola. Cap. X  
 G 2 Quo

INDEX EXPLICATORVM

Quo pacto intelligenda Pollucis uerba, ubi ait, epiglottis est simplicis organum uo-  
cis, lingua uero articulata. Cap. XII  
An recte Albertus dici arteriam putarit, quasi artam uiam. Cap. XIII  
Antiphona in Plutarchi Moralibus, quae intelligenda sint, quaeque sit uocabuli eius  
ratio. Cap. XIII  
Scruta in carmine Horatiano quae nam sint. Cap. XV  
Aegypti regem cur Cybiotatem cognominatum in Vespasiano scribat Tranquil-  
lus. Cap. XVII  
Fabulam aetatis peragere quid sit apud Ciceronem. Cap. XXI  
Martialis epigramma explicatur ex libro duodecimo: Inde tragus, celeresque pili.  
Plinij loca duo ex undecimo Naturalis historiae de pubertatis ratione. Cap. XXI  
Tranquilli locus restituitur & explicatur ex Augusto de Mimo uita. Cap. XXI  
Enarratur simul & Apuleianum illud ex Magia: inuestem puerum accepisti, uestici-  
pem ilico reddidisti. Cap. XXII  
Horatij locus explicatur ratione physica: Nigros angusta fronte capillos. Cap. XXII  
L. Florus explicatur de satyra aue. Cap. XXV

EX LIBRO XX

Caelestium rerum studiosi quo pacto explicandum censeant illud Maronianum ex  
Georgico primo: Septima post decimam felix. Cap. III  
Multiplex affertur enarratio carminis Virgiliani, ex Aeneidos quarto:  
Tergeminamque Hecaten tria uirginis ora Diana. Cap. VI  
Virgilij ex Bucolicis locus: Nescio quid certe est, & Hylas in limine latrat. Cap. VI  
Ciceronis locus explicatur Diuinationum secundo, quum ex L. Tarutij sententia di-  
cit: Romam, in iugo quum esset luna, uideri natam. Cap. VII  
Virgilij locus alius ex tertio Aeneidos perpenditur diligenter:  
Qua se plena per infertas fundebat luna fenestras. Cap. VIII  
Tranquilli historia de Domitiani edicto, ut in prouincijs uineta succiderentur, ube-  
rius illustratur. Cap. XI  
T. Liuij ex primo ab Vrbe condita, locus diligenter explicatur in Numae historia. XII  
Plutarchi ex Solone locus explicatur, praeter interpretis fidem de plasio. Cap. XIX  
An manu gestu ue solocismus fiat, de quo addubitalle Quintilianus uidetur. XXI  
Pterophori qui sint, apud Plutarchum in Othonis uita, quod multi non tam nesciunt,  
quam negligunt. Cap. XXII  
Plutarchi locus restituitur ex Pyrrhi uita, de apterao. Cap. XXII  
Terrae filij qui dicantur, contra omnium haecenus opinionem. Ouidij locus explica-  
tur Metamorphoseos primo: Iuppiter e terra genitam mentitur, ut auctor  
Definat inquiri. Cap. XXVIII  
Hypomochlion quid sit apud Vitruuium, & unde ducatur dictio eiusmodi, quan-  
quam in codicibus nonnullis legitur uitiose hypomodion. Cap. XXIX  
Icadistae qui intelligi debeant apud Athenaeum Dipnosophistarum septimo. XXXII  
Plinij locus illustratur ex tertio decimo Naturalis historiae libro de plantarum sexu  
utroque. Cap. XXXIII

EX LIBRO XXI

Maronis locus explicatur ex quarto Aeneidos:  
Nam quia nec fato, debita nec morte peribat. Scuti Argiui ratio quae sit, extra quam  
animaduertit Zenobius, seu quisquis libri auctor fuerit. Sagma legi oportere apud  
Lactantium grammaticum, non sacconiam, quod ex doctis reponunt aliqui. Sagma iu-  
mentorum quid sit apud Pollucem libro decimo, & Philippicorum quinto. Plutarchi  
locus explicatur de sagmate, in Arati uita. Cap. XXXIII  
Iouem lapidem iurare, quid sit apud Gellium Noctium Atticarum primo. Explica-  
tur Ciceronis locus libro epistolarum familiarium septimo: Is quum iurare coepisset, uox  
eum defecit in eo loco, si fallo sciens. Cap. XV  
Ceryx apud Senecam quid sit, pluribus explicatur. Plutarchi eiusdem locus item re-  
stituitur ex Pelopidae uita, de Alexandri Pheraei hasta. Cap. XVI  
Magister

IN AVTORIBVS

Magister in locationibus & uenditionibus qui sit, Ciceronis obscuritas illustratur  
in epistolis ad Atticum, duobus locis. Adiuuatur in eadem re Quintilianus quoque. XVII  
Colonarij qui sint, in epistola Celsij; item colonarium in epistolis ad Atticum. XXI  
Oedipus cur dicitur coloneus: inibi Apuleij codex emaculatur in magia. Cap. XXII  
Pliniani loci perpensio de hippagis nauibus. Cap. XXIII  
Strabo illustratur, ubi de rhopo mentione habet, ac de Aegina. Aetnaei fratres apud  
Virgilium quam rationem habeant. Cap. XXIII  
Nefaei equi an dicantur insulares, quod quidam male sunt suspicati. Cap. XXV  
Plutarchi locus de Nefaeis equis expurgatur a uitio, simul & interpretis arguitur in-  
scitia. Cap. XXV  
Corinthus superciliosa, prouerbium quam habeat rationem. Cap. XXVI  
Iouis Corinthus, quo sensu in prouerbium ueniat, praeter Graecorum quorundam  
sententiam. Cap. XXVII  
Plinij locus explicatur de Tutilina dea, libro decimo octauo. Cap. XXIX  
Emaculatur Iulij Pollucis codex onomastici primo, ubi anhippos, pro amphippis  
positos inuenias. Cap. XXX  
Plutarchi locus perpenditur de acroterio domus Caesaris. Cap. XXXIII

EX LIBRO XXII

Statoris etymon unde ducatur, praeter quae opinentur uel grammatici uel historici. III  
Iuuenalis locus de Memnonis statua crepante copiosius enarratur, & latius quam sit  
ab interpretibus proditum. Cap. V  
Maronis locus Aeneidos primo: Unde per ora nouem uasto cum murmure montis  
It mare proruptum. Cap. VIII  
Item cuiusmodi sit ex Bucolico Iudicio Maronianum illud:  
Numero deus impare gaudet. Cap. IX  
Perpenditur exactius quoque Maronis illud ex primo Aeneidos,  
O terque quaterque beati. Cap. XII  
Epithea quid censeatur apud Iurisprudentes. Inibi uitiatu duobus locis Digesto-  
rum codex restituitur. Cap. XIII  
Gellius uindicatur a uitio super nominibus Parcarum. Cap. XIII  
Virgilius cur in suppliciorum ratione centenari utatur, & millenario numero. XIII  
Analogia geometrica & arithmetica in Plutarcho quae nam intelligenda. Cap. XVI  
Sortitus es literam m, in prouerbio, quae habeat sensum extra quae opinentur Graeci. XVII  
Mendose legi apud Plutarchum & Latinos plerisque Artaxerxem Memnona: quum  
is non Memnon, sed Mnemon, id est memor, sit cognominatus. Cap. XX  
An lunariis radijs effici possit Iris: refellitur Plinius. Emaculatur Plinij eiusdem co-  
dex, astruentis ex Aristotele luna tricesima Iri uisitari. Cap. XXVII  
Senecae locus restituitur ex Naturalium primo. Cap. XXVIII  
Qua ratione dixerit Virgilius Georgico primo, Et bibit ingens arcus.  
Inibi cum Plauto Propertius illustratur. Cap. XXIX  
Plinij locus perpenditur ex decimo septimo Naturalis historiae, an ex iride produca-  
tur in terra odor, uel in plantis omnino. Cap. XXXI

EX LIBRO XXIII

Astarte, an sit Venus, qua in re addubitarit uir doctissimus Hermolaus. Cap. V  
Hieronymi locus restituitur ad Pammachium, de mammis. Cap. V  
Virgilianum carmen ex primo Aeneidos, qua ratione affectatam habeat asperita-  
tem: Fremet horridus ore cruento. Item quo artificio prolatum idem  
Tanta molis erat Romanam condere gentem. Cap. VII  
Quo pacto inficerentur Scytharum sagittae, illustratur Plinij concisa breuitas. Ca. X  
Iustam tellurem cur appellauerit Propertius eo uersiculo,  
Et tellus hoc ita iusta sinat. Cap. XIX  
Plauti locus ex Amphitryone explicatur: Iacent rationes, silet iudicium. Cap. XIX  
Quintilianus ex libro tertio illustratur obscuritas, de iusti & legis interstitio. Plinij lo-  
cus de uipera discutitur. Cap. XXVI

INDEX EXPLICATORVM  
EX LIBRO XXIII

- An mouere affectus Athenis liceret: Quintiliani ad id sententia perpenditur. Cap. i  
Quæ familia Buteonis fuerit cognomento insignis. Plinij locus declarat. Plutarchus  
item restituitur. Gracchū & Pulchrum flatilem admittere, quod pernegant aliqui. III  
Chryseis quò nomine sit appellata proprie, quod est à multis prætermisum. Cap. v  
Quintiliani locus ex libro primo, de pythijs. Cap. v  
Venocis uocabulum unde sit corruatum: quod paucissimi admodum nouere. VI  
Ciceronis locus ex epistolis ad Pætum de pene. Cap. vi  
Quintiliani locus ex primo altius illustratur, ubi ait: Ne studia qui amare non potest,  
oderit. Cap. vii  
Quo sensu à Iuuenale pronuntiatum, Et cui per mediam noctem occurere noctem. IX  
Cur dictum à Virgilio, Iamq; iugis summæ surgebat lucifer Ida. Cap. xii  
Ouidij locus de Eridano. Cap. xii  
Virgilij locus de omnipotente Olympo. Cap. xiii  
Plinij, & Felicis Capellæ nubilum discutitur de lubrico, ac tenero cœli corpore. Cur  
Aristophanes in Nebulis, humorem, id est in ualida, pro intellectu animæ potentia  
posuerit, quod ab interpretibus desiderabatur præcipue. Cap. xv  
Ouidij carmen ex primo De ponto, amplius perpenditur:  
Ut solet infuso uena redire mero. Cap. xxi  
Tollitur ex Plinio difficultas, quo pacto quæ non respirant, odorentur. Cap. xxiii  
Cur à Martiale dictum, ieiunia Sabbatariorum male olere. Cap. xxiiii  
Expenditur item quadantenus poetæ eiusdem illud:  
Posthume non bene olet, qui bene semper olet. Cap. xxv  
Catullianum carmen acrius excutitur, quod est de amore,  
Dextra sternuit approbatione. Propertius item illustratur amplius, quum ait:  
Aridus argutum sternuit omen amor. Cap. xxvii

EX LIBRO XXV

- Qui sit immortalis uir, cui platani curam à Xerxe delegatam, scribit Herodotus. I  
Quid ab Horatio significatum, ubi ait in Arte poetica,  
Et fortasse cupressum scis simulare. An ex uero dictum ab Herodoto,  
pinum solam arborum recisam non succrescere. Cap. ii  
Hieronymi locus restituitur de Socratis uxore Myrtone. Cap. iii  
Virgilij carmen illustratur ex secundo Georgico, de frigore scelerato. Cap. vii  
Expenditur locus ex obsceno carmine: Ductor ferreus infularis æque  
Laternæ uideor fricare cornu. Cap. xix  
Plinij felicissima breuitas super muli historia libro octauo amplius illustratur. xx  
Pragmaticus status qui. Perpenditur Quintiliani sententia. Cap. xxi  
Illud Columellæ, de lapide noxium, quo sensu accipiendum, extra quàm opinentur  
pleriq;. Cap. xxi  
Item Quintiliani obscuritas illustratur ex libro tertio, Adoptato in familiam redire  
liceat. Cap. xxii  
Vicarium seruum quem intellexerit Martialis Epigrammatum secundo. Enarratur  
item ex Seneca illud poetæ eiusdem: Urbanus tibi Cæcili uideris: Cap. xxiii  
Non es, crede mihi: quid ergo uerna es. Cap. xxiii  
Plinianum prouerbium, Multa Syrorum olera, quo sensu accipiendum. Cap. xxiiii

EX LIBRO XXVI

- An caninus appetitus idem censeri debeat, qui & bulimos, uelut ex nostris sunt opi-  
nati quidam. Cap. i  
Cornelius Celsus illustrat in hydropiseos generibus, ex Hippocrate ac Galeno. III  
Senecæ locus ex primo De clementia, in integrum restituitur: ubi apatrum legitur,  
quum aratrum, debeat. Propertij locus explicatur:  
Mcenia cum Graio Neptunia preffit aratro, Victor Palladiæ ligneus artis equus. V  
Maronis locus explicatur ex Bucolico ludico,  
Si canimus syluas, sylua sint consule dignæ. Plinio lux infertur multa libro uicesimo-  
tertio

IN AVTORIBVS

- tertio, in ratione biai uini, cui marina permisceretur aqua. Cur à Varrone proditum, Li-  
bero patri Delphinæ assistere. Cap. viii  
Plutarchi locus restituitur ex Catonis Vticensis uita, de psyche. Cap. ix  
Virgilij carmen ex Bucolico ludico expenditur exactissime:  
Nuper me in littore uidi, Quum placidum uentis staret mare. Cap. x  
Cur nauæabundos fieri iter mari agentes, & Iuuenalis significauit, & experimentis  
docti fiant omnes. Cap. xiii  
An uera prorsum censenda sit Plinij sententia, mari salis incoqui saporem, sole quod  
potabile sit, inde hauriente. Cap. xv  
An item ab eodem scienter satis prolatum sit, summam æquorum aquam dulciorem  
profunda. Cap. xvi  
Illustratur Plinij eiusdem locus de solis bobus propè Mesaniam & Mylas. Cap. xvii  
Explicatur insigniter Maronis carmen ex Aeneidos sexto:  
Hi dominam ditis thalamo deducere adorti. Cap. xvii  
Iulij Pollucis nodus super uerbo ἐπιτομή, explicatur. Cap. xix  
Ouidius Fastorum quarto explicatus enarratur, ubi canit:  
Tot fuerant illic, quot habet natura colores,  
Pictaq; dissimili flore nitebat humus. Cap. xx  
Plutarchi locus enarratur de pylaici, ex uita Pyrrhi. Cap. xxi  
Plutarchi interpres coarguitur in Catonis apophthegmate ex Homero, de Scipio-  
ne. Cap. xxii  
Plinij sententiam de nasturtio esse medicorum scholis diuersam. Cap. xxiiii

EX LIBRO XXVII

- Quæ sit ratio prouerbij, Lepus dormiens. Cur uescentes carne leporina dicantur for-  
mosiores fieri: cuius rei mentio est apud Plinium, nec præterijt Martialis. Cap. i  
Tranquilli locus de urbe lutea & lapidea, in Augusto. Cap. iii  
Quid ita dictum ab Horatio sit Carminum primo:  
Nunc ad aquæ lene caput sacræ, simul & lux plurima infertur Senecæ. Cap. v  
Comata perperam scribi, Digestis de extraordinarijs criminibus: item qui sint inibi  
diacopi. Cap. vi  
Cur ab eodem Sermonum primo, somnia post mediam noctem oblata pronuntien-  
tur ueriora. Cap. ix  
Qui nam sint apud Plinium libro decimo, qui somniarint nunquam. Cap. xvi  
Aristotelis defensio à calumnia de ouis oblongis, rotundis uel aduersus Albertum.  
Capite xvii  
Persii carmen illustratur, Et noctem flumine purgas. Cap. xvi  
Oua ex catharsio quæ dicantur in Luciano. Cap. xvi  
Maronis carmen acrius perpenditur Aeneidos secundo:  
Catulij relicti Faucibus expectant siccis. Cap. xvii  
Plutarchi perpenditur locus ex Pyrrhi uita, de cothone. Cap. xvii  
Cur lactucis uescerentur in sine cœnæ antiqui: absoluitur Martialis quæstio. Plinij  
locus perpenditur de raphano. Cap. xxviii

EX LIBRO XXVIII

- Apomagdalia quid sit apud Plutarchum in Lycurgo, quam uocem Latinam facere  
superfedit interpres. Cap. ii  
Seruii grammatici opinio perpenditur, an elixis carnibus usi sint priores heroum  
temporibus. Cap. iii  
Plutarchi locus declaratur in Symposiacis: quid cottabis in redolere. Cap. v  
In ratione bibendi aperitur Horatij locus in Carminibus. Cap. vi  
Virgilij ex primo Aeneidos locus illustratur,  
Adis lætitiæ Bacchus dator, & bona luno. Cap. vi  
Basilicam habere quid sit, Ciceronis locus inibi explicatur. Cap. xi  
Quintiliani locus ex libro primo de rostrata columna Duillio in foro posita. Cap. xii  
Plutarchi locus male tralatus in Demetrii uita suæ restituitur luci, ac integritati. xx  
Ciceronis

Ciceronis locus exponitur ex libro secundo ad Q. fratrem: simul & indidem mendum tollitur, ubi legitur modo, ab Arria Syra. Cap. xxiii  
 Quid sit latiar apud Ciceronem in epistola quadam ad Q. fratrem. Latiarum corrupte, inciteque legi apud Macrobiū in plerisque codicibus, pro latiar. Vnde sit tractum illud Catullianum, O hymen hymenae o Hymen o hymenae. Cap. xxiiii  
 Restituitur uox Iureconsultorum Digestis de gradibus affinitatis, de inateribus, ubi ianitrices scribitur modo. Cap. xxviii  
 Cur dictum in Syluula quadam tertij libri à Papinio, Duc & ad Aemathios manes, ubi belliger urbis Conditor, hybleo perfusus necare durat. Cap. xxvii  
 Iuuenalis locus explicatur, Vinum quod succida nollet lana pati. Cap. xxxv  
 Quod sit apud Galenum in libro de anhelitus iuuamento, uinum quod ad ignem u- tribus appensum obdurefcit. Aristotelis ex Meteororum quarto sententia illustratur, excussa interpretum uanitate, etiamque Alberti. Cap. xxxvi

EX LIBRO XXIX

Theocriti locus explicatur in Bucoliastis, ἄπο τε νικασίης, ἢ δ' ἀδελφῶν γένους. Cap. iij  
 Plinij locus ex septimo in integrum restituitur, fisco aeris x. Cap. v  
 Plutarchi locus ex Demetrii uita, quae dicantur pharmacode. Cap. x  
 Plauti obscuritas illustratur ex Pseudolo, Quali solstitialis herba, paulisper fui, Repente exorsus sum, repentino occidi. Qua ratione dictum à Quintiliano libro Oratoriarum institutionum tertio, sermonem ab ipsa natura genitos protinus homines accepisse. Cur Plinius septimo Naturalis historiae, nudum dixerit hominem in nuda humo natali die abiici. Quo sensu à Papinio dictum Syluarum primo, in Stellae epithalamio, & Violantillae: Tellure cadentem Excepi, fouique sinu. Sed & libro quinto: Tellure cadentem Aspexi, atque unctum genitali carmine foui. Cap. xiiii  
 Ciceronis locus illustratur pro Flacco, de Mithridate. Cap. xvi  
 Cur Ouidius Metamorphoseos duodecimo, Mopsūm dixerit Ampycidem. Quo sensu dictum à Seneca in Medea: Idmonem, quamuis bene fata nollet, Condidit serpens Libycis harenis, Omnibus uerax, sibi falsus uni, Concidit Mopsus. Excutitur & Senecae locus alter, ex Tragodia eadem: Orpheus tacuit torpente lyra, Ipsaque uocem perdidit Argo. Cap. xiiii  
 Papinij locus expenditur ex Syluarum secundo de perdice: Quicquid refert iungens iterata uocabula perdix. Cap. xxv  
 Illustratur medicorum doctrina Iuuenalis illud: Iam letifero cedente pruinis Autumno, iam quartanam sperantibus agris. Cap. xxvii

EX LIBRO XXX

Ceruchi qui sint omnino apud Valerium Flaccum. Cap. i  
 Occultam uideri historiam illo epigrammate significari à Martiale: Si patiens, fortisque tibi, durusque uidetur, Abderitanae pectora plebis habes. Cap. iiii  
 Tranquilli locus explicatur in Tiberio de oculis amore tumentibus. Cap. viii  
 Emaculatur Senecae locus ad Lucilium, apud quem in balnearum mentione epitoma mendose legitur, uel epitonica, pro eo quod est, epistomia. Cap. xviii  
 Restituuntur in integrum apud eundem dictiones aliae foedius corruptae: nam quadratoria res dicitur, quum quadrantaria debeat; pellicrepus quoque, pro pilicrepe; alipedum, pro alipilo; denique librarij, pro libarijs. Cap. xix  
 Senecae item lectio restituitur de psychrolute, ubi modo sicholutra in quibusdam legitur codicibus. Cap. xx  
 Quid significarit Naturalis historiae secundo Plinius, ubi ait, ex dijs alios dici atri coloris. Cap. xxi  
 Quo sensu à Cicerone dictum octauo epistolarum ad Atticum, Domitius, ut audio, in Cosano est, paratus ad nauigandum: si in Hispaniam, non probo, si ad Cneum, laudo, quouis potius certe, quam ut Cercum uideat. Cap. xxxii

LODOVICI CAELII  
 RHODIGINI LECTIIONVM ANTI-  
 QVARVM LIBER VNVS, QVI PRIMVS.

EX ORDIENDI RATIO

Ex deo esse omnia, de trinitate captim, religiosa mox, & reuerens apprecatio.



LA TO philosophiae pater, & diuiniore scientiae auctor longe clarissimus, in libro De mundi constitutione, scriptum reliquit, Omnes, qui modo mente consent, in rei cuiuslibet exordio ad numinis opem decurrere consueuisse. Necnon & alibi epistola quadam, In omnibus inquit, quae uel dicimus, uel cogitamus, a deo ducenda initia sunt. Et rectissime id quidem, quoniam ut tragici cothurni princeps Sophocles profert, Principium rectum compar item consequitur finis. Propterea felicius auspicatoris argumentum, mox futurum publico bono, inuocandus est omnium pater: quo praetermissio, sicuti comprobatur in Philosophica consolatione etiam Boethius, nullum rite fundatur exordium. Siquidem est uita quadam una, regina unius mundani corporis, potentia, sapientia, bonitate praecellens, mundi magnitudinem singulari prouidentiae munere ab initio, & serie nusquam interpellata perducens ad optimum. Hanc esse summum, & principem deum, constanter asserimus, de quo diuine cecinit Orpheus, πάντων γένεθλ, ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτή, hunc esse uniuersorum patrem confessus originemque, ac denique finem. Ad hunc in arcto constituti, tanquam in harenam defugimus: huic inuisum nihil, nihil inauditum. Omnia summa sapientia, & inenarrabili consilio distributa librantur, regunturque. Quod ipsum nec Orpheus idem ignorasse uidetur eo uersiculo, qui augustissimam naturam omnia introspicere, atque audire, ac dispensare profatur, πάντ' ἐσοσός, καὶ πάντ' ἐπαρνός, & πάντα βραβύνας. Nec me fallit, uideri eundem tribus illis nominibus, consilio, luce, uita, trinitatem etiam praemonstrasse quodammodo. Nam quod in libris Antiquitatum Minar Siffennios scribit, unitatem adorasse in primis, uir sua aetate auctoritatis inconcussa Pythagoras, unitatem illam esse trinam astruebat, adorandam, colendamque praecipue. Est siquidem unitas omnium prima, mox aequalitas, inde connectio. Haec uero Christianae ueritatis doctores ex imagine quadam ad haec nostra patrem dixerunt, ac filium, & sanctum spiritum, siue amorem. Nam in patre & filio quadam agnoscitur naturae communitio, quae una est, ita quod natura ipsa aequalis patri demonstratur filius, & inter eos certa concipitur connectio: quippe naturalis amor alteri alterum conciliat, connectitque: ut uero ad simplicissimam hanc, & abstractissimam conscendamus intelligentiam, quae sensu, uel imaginatione, aut ratione cum naturalibus pertinguntur appendicibus, necessario seiungenda abijciendaque. Propterea docte Martianus philosophiam refert, ad trinitatis cognitionem scandere affectatam circulos euomuisse, ac sphaeras. Equidem ita sentio, ut se habet uisus ad solis lumen, ita prorsum habere hominis ingenium, ac rationem ad diuinam bonitatis radium. Proinde absque illius illustriore lumine nil facile à nobis animaduerti, aut cognosci. Ipsa uero gratia diuina illuminatio est, & dona gratiae lumina sunt, eos illuminantia qui in eius uocantur participatum. Quin gratia omnis ab uno profluit fonte, & illuminatio omnis ab lumine uno. Multi utique radij sunt, sed lumen unum. Spargit se quoque lumen unum, ut multos illuminet. Lucent illuminati multi, nec tamen uidetur, nisi lumen unum, & fiunt lumen unum in lumine uno. Ita unum se bonum multis praebet participandum: ut cum illo coalescentes unum sint, qui unam ducunt ex illo similitudinem. Propterea theologorum ueterum plerisque scimus ingenio perspicacissimo, bonitatem in centro, pulchritudinem in circulo collocatam tradidisse. Nam centri nomine deum esse intelligendum, prudentioribus insinuarunt. Circulos uero in ambitu assidue circumactos, mentem significare, animam item,



ac naturam & materiã. Id quod Plotino placuit in primis. Siquidem deus potenter omnibus inest unus penitus simplex, ac immobilis. Omnia uero indidem emanantia aliquo modo cõposita, ac motus non in scia. Immo uero sicuti profluunt ab eo, ita refluent in eundem, ut in circulo lineã. Deus itaq; centrum omnium, unitas simplicissima, actus purissimus sese inserit uniuersis, nec præsens modo est, uerũ & omnibus à se creatis potentiam intimam, simplicissimam, præstantissimam indidit, quam rerum uocant unitatem, à qua propendent omnia, & ad eandem redeunt, caligantq; prius, quam suo inhæserint creatori. Igitur bonitas quidem rerum omnium ipse deus, per quem cuncta sunt bona; pulchritudo autem est dei radius, à quo rerum omnium species effinguntur, rursumq; ab eo, ut luminum patre, descendit datum omne optimum, & omne donum perfectũ: proinde qua possumus mentis puritate, immo uero illa ipsa unitate, quam uocant mentis caput, & florem quoq; sicuti Zoroaster, qua sola super animã, mentisq; proprietatem extante, putat Iamblichus inter Academicos cognomento diuinus & sacerdos magnus, unitatem posse attingi, integre, synceriter, sancte, suppliciter ipsum hunc omnia supereminentem, infinitum, inenarrabilem, maiestate augustissimum, splendore micantissimum, uirtute incomprehensibilem, tantã rei exordio, cui sumus genuina impares debilitate, sic apprecemur uenerabundi: quando & clarissimus medicæ scientiæ scriptor Auicenna, etiam si fallis obancillatus sacris, maximi operis, & conquisiti exordio diuinitati gratias agendo, auspiciatus se tantarum rerum initia ducturum est opinatus. Qui cuncta inenarrabili bonitate producis, totius rerum naturæ causa, & origo initialis, qui sapientia infinita, & prouidentia perspicacissima regis, roboras, uiuificas, lenis, mulces, excitasq; Summe animorum pater, animantium sospitator, iustitiæ fons perennis, super omnem constituta mentis captum, tibi soli cognita, & cui se largius ualidissima tuæ clementiæ flumina infudere: uita totum, quod est in me, salua lux totum illumina: uerbum tuum me regat: sapientia emendet: spiritus creator repleat, accendat amoris ignem, sensus colustret, infirma nostri corporis uirtute firmans perpeti. Tu qui solus trinitus, unus es Deus, benedictionem à me non seuocaris, adiuua benigne, miserere ampliter: da tuæ maiestatis idolo, quoniam in nullo falli diuinum est, primum quidem in uoluntate acquiescat tua: deinde, ut quæ mox dicentur, tibi placeant omnia, sintq; (quod dicitur) sacra te ctaq; laudes tuas recinant: quando es auctor omnium, & sine te Cimmerijs offusi tenebris caligamus altius. Studioforum deseruiant emolumentis: qui & facile assequantur, quæ uaria nobis, te illustrante, lectio suggererit. Ipse uero, qui diu iam hoc uoluto sagigam, mihiq; ipsi constem perpetuo, ex umbratili nunc primum meditatione in puluerem instructu meo, & ornatu prodians, & forenses (ut sic dixerim) aciem, nostris iuuenibus modo sint φιλαληθής, Latine rei uelut seminarium comparaturus. In quo diuersissimorum generum depactis seminibus, inde sibi in agellos suos succretas uiuadices transferat, qui hisce legendis otium, ac subsecundarias impartiri horas non censuerit inane, ac citra operæ pretium. Quando in ijs, quod olim in templo Pacis factitatum Herodianus scribit, quicquid est nobis opulentia ad hanc horam, reconditum uoluimus, ut thesauri fierent, non libri, ac ne intus modo caneremus, quod factitabat citharistes Aspendius, sed & foris, quoniam in sudata ueste durasse abunde uidemur. Ceterum legentes uniuersim hic commonuero, quod in Moralibus est ab Aristotele traditum, esse quidem eruditi, exactum ipsum eatenus in uno quoq; genere flagitare, quatenus ferat ipsius natura rei, simile nanq; censetur, mathematicum suadentem probare, & ab oratore de monstraciones exigere.

An deo congruat nomen aliquod, obseruata ex Theologumenon libris. Cap. I



Iuero parte hac studiosius quærat aliquis, ecquid de principis, ac rerũ parentis dei nomine monumentis prodẽdum se ingerat ex ueteribus memorijs, respondere breuiter, apteq; ambiguitati proposita sic propemodum posse uideo. Maximum illud, & maximum quidem simpliciter, cui opponatur nihil: sic demum nostræ mentis captum supergredi, ut nomenclaturæ rationem exsuperet prorsus omnem: quippe ab humani ingenij solertia rationis quadam singulari uindicta sunt nomina, ut unius ab alio euidentis fiat discretio, ubi uero unum

unum sunt omnia, obsecro te, quodnam inibi nomen excogitaris proprium. Mercurij utiq; profundior nos sententia latere haud potest: Quia, inquit, rerum uniuersitas est deus, proprium eius esse nomen haud ullum potest, quoniam aut omni nomine deum, aut omnia eius nuncupari nomine, foret necessarium: quando is simplicitate sua rerum omnium complicat uniuersitatem: at quod ineffabile nos dicimus, tetragramaton Græci, id est literarum quatuor, ioh, he, uau, he: proprietatis tamen subire uim creditur, quia Deo nõ coaptetur creatorum ratione aliqua, uerum essentia uì propria. Id uero tralatit dicit unus ualeat, ac omnia, seu omnia uniter (sic enim mihi nunc dicere permittant Latine rei studiosi) uel proprie adhuc magis unitas. Nec tamẽ sic unitatem hic inaudias uelim, ut loqui homines assueuerent: nã sicuti intellectum omnẽ supereminet Deus, ita & nomen omne. Siquidem per rationis motum, qui intellectu longe inferior est, rebus induntur discernendis nomina. Verum quia contradictoria reclinare nequit ratio, hinc nullum dare nomẽ colligas, cui non opponatur aliud eiusdem rationis motu: quippe unitati pluralitas opponitur, ac multitudo. Hæc autem deo haudquaquam cõgruat, sed ea uerius, cui pluralitas sese nulla obiecit, uel (ut sic dicam) alteritas. Hoc utiq; intellectus mensum excedit: quis enim infinitam intelligat unitatem, per infinitum oppositionem quæ omnem excedat? Inibi omnia citra compositionẽ sunt in unitatis complicata simplicitate: nec aliud ibi agnoscitur, uel diuersum. Quod si quis eam cõcipere unitatem queat, quæ etiam si unitas est, nihilofecius omnia est, dei nomẽ is attingat plane. Et ipsa tamẽ unitas, quamuis propinquius censeatur nomẽ maximi, ab uero tamen maximi nomine, quod est ipsum maximũ, per infinitum disparatur, reuelliturq;. Liqueat igitur hinc, deo haud quadrare, nisi diminutissime, particularia, discreta, oppositum habentia. Quare Areopagita Dionysius affirmationes esse incompactas pronunciat, quippe si Deum esse autumas Veritatem, obiecit sese falsitas: si uirtutẽ, occurrit uitiũ: si substantiam, obijcitur accidens: quod & in reliquis fit. Attribuuntur deo tamen ista per tralationem ab creatis quandã ex perfectione, quam præferunt nomina ipsa. Quod ipsum & in trinitatis augustissimæ nũcupationibus dilucet: nam quia unitas est Deus, gignẽs dicitur, ac pater. Ex eo autẽ quod unitatis aequalitas est, genitus, siue filius: ex eo quod utriusq; cõnexio est, sanctus spiritus. Quod si perpendis exactius, à patre filium gigni, hoc fuit omnia in uerbo creare: quo argumẽto uerbum & artem, ac ideam, creatorũ respectu, affirmat Aurelius Augustinus. Nam creatura, quia deus pater est, esse incipit: ex eo quod filius, perficitur: quod uerò sanctus est spiritus, uniuersali cõgruit ordini, coaptaturq;. Quæ sunt in re qualibet trinitatis uestigia, quod Aurelius idem comprobat sane, Geneseos caput enarrans primum. Illud porro nec omiserõ, cuius mihi auctor est magnus Basilus in Hexaemero, sanctum spiritum ab Mosaica dici sapientia, Dei spiritum: ut quum scribitur, Et spiritus domini ferebatur super aquas. Quod si amplius quæseris, quoniam hic pacto super aquas ferebatur: respondebimus ex sapientis Syri doctrina, quando Hebraicæ ueritati propior sit gentium illarum lingua, Ferebatur, exponendum pro fouebat, uitalem aquis fecunditatem exhibens. Ex quibus dilucet illud quoque, de quo indagine nõ incuriosa quæsitum à multis est, nec ab creandi actu sanctum abiungi spiritum.

Quo pacto mundus sit congeries malorum, & terra improbitatis prouincia, quum multi Deum esse mundum dicant, & Moyses quoq; ac sanctæ literæ miris efferant laudibus. Cap. II



Quoniam uerò ab dei maiestate immensa, & inenarrabili recte, sicuti decuit, auspiciati sumus, quãdo & in ijs omnibus ueteres præfari solitos, Pausanias scribit, captandi gratia omnis boni, θεός, θεός, quod Aelius quoque comprobabat Dionysius, & principium omne Plato scribit, ac repetit Proclus, esse diuinum: non in scite opinor, nec improspere, aut, quod ille, ait, insubide secundum operis instituti caput mundo dicabitur. Quem in libro de uniuersa natura Plato deum beatum appellare nõ dubitauit: animam quoq; ut Plotinus interpretatur, ab opifice bono ideo esse traditam, prodens, ut mundus posset intellectualis euadere, quod quidem necessarium fuerat: sed citra animam, inquit, id uerò effici non poterat. Verum ante hos longe in sermone, qui Pimander inscribitur, Mercurius nil, inquit, eorum quæ in mundo sunt,

interit; si enim secundus est Deus ipse mundus, necnon immortale uiuens: impossibile est, immortalis animantis partem aliquā interite. Quæcunq; mundo insunt, mundi sunt membra: homo præsertim, animal rationale. Primus omnium uere sempiternus, immortalis, ingenitus est Deus, omnium auctor. Secundus uero deinde ad illius imaginē mundus, semper uiuens, non sempiternus: nam quod sempiternum est, ab altero factum non est. Quinimmo in Naturalis historię initio Plinius, Mundum credi numen, par esse putat, sed æternum, immensum, ingenitum, nec interiturum unquā. Cæterum quod fatendum sit, ego quidem non utiq; mundum, ut deum contenderim esse uenerandum: at uerò tanquā inenarrabile summi dei opus suspiciendum, facile censuerim, etiam si somnians hoc putat Epicurus, non philosophatis, quiq; ne primoribus quidem labijs physiologiã gustarit, id est naturæ rationem. Quādo & Astronomico primo M. Manilius sic scribit.

At manet incolumis mundus, suaq; omnia seruat:

Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.

Bonum item, multiformi imaginum uarietate distinctum, concinnatumq;, necnon circumflexu completentem, quicquid uenerationem, laudem, amorem, pulchritudinis excellentia, aut dignitatis amplitudine cumulatum parere potest. Nec enim frustra in libro ueritatis & uitæ Moyse ait, nunc singula in mundo bona, nunc cuncta ualde bona exartifice summo propagata. Nam nec aliorum pronuntiatum & illud, Cæli enarrant gloriã Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Deprehensum certe ab peritioribus est, in mundi creatione principem deum arithmetica esse usum, geometria item ac musica: siquidem arithmetica ratione compacta, cōnexaq; creduntur elementa: geometria uero figuras effinxit, ut inde firmitatem consequerentur, stabilitatem, ac pro naturæ uimobilitatem. Proportiones adnexuit musica, ne terræ plus in terreno sentiretur elemento, quàm aquæ in aqueo, & in aereò aeris, & ignis in ignea natura: nec elementorū ullum omnino in aliud resoluui ulla quiret ratione. Vnde colligi posse, mundi molē haud perire. Proinde quum audis, à deo esse uniuersa in numero creata, & pondere ac mensurâ: intellige, ad arithmeticam numerum referri, pondus ad musicam, ad geometriam uerò mensurâ adiectum nomen: quippe astringente grauitatem leuitatē, confouentur omnia, fulciunturq;: in meditullio namq; ignea potestate cohibetur terra, sed & huic ignis innititur. Ita profectò est, magnitudo exquisitissimi, nec laudati unquam pro dignitate operis, necnon late patens uis, & motus mirabilem opificis præ se fert potētiam. Dispositio uerò excultissima mirificā ostentat sapientiam. Vfus uerò ad optimum ubique conducens latius exuberantem nobis ingerit bonitatem. Proinde summi Platonici uniuersum hoc, ceu augustissimam dei statuam eximie uenerati sunt: & quæ in eo cæteris maiestate naturæ præstare uidentur, tanquam idearum (ut ipsi uolunt) certiora simulacra. Cæterum in tanta rerum gloria, quonam pacto id dissimulauerim, quod in ueteris Theologiæ libris uideor legisse: Ipsam hunc, quem tantopere admiramur, mundum, malorum appellari congeriem: terram uerò, eadem insectatione, improbitatis prouinciã dici. Quod & uulgo ita subinde iactatur, ut planè adagij uicem obtineat. Nam ab Platone quoq; dictum est in libro de scientia, Mala omnino deleri non posse, uerum ea necessario euenire, nec tamē apud deos esse, sed apud mortalem naturam, inferioremq; huic locum assidue circumuolui. Hisce quin item Ambrosij sententia concinēt bracteatā, Mala inesse mundo, quis omnino sapiens audeat inficiari, frequenti adeo ad mortem in hoc seculo lapsu? Hoc tam dissentaneum, tamq; pugnant, sic tamen antiquorum rationibus confouere, atq; tueri possumus. Bonum, inquit Mercurius, in uno tantum deo est, immo ipsum bonum deus ipse semper: nam & in Euangelio Matthæi CHRISTVS, *ὁ θεὸς ἀγαθὸς, εἰ μὴ ὁ θεός*. Quum bonum dicimus, bonum id, quod omnia continet bona, & quod bonum semper, intellige. Hoc uero uni adest deo, nullius unquam inopi, iniuriæ non obnoxio, qua in iram præcipitur, numen eius late dominatur, nil eo sapientius. Sicuti uerò malorum nullum inest illi, ita nusquam alibi reperias bonum, ne in ipso quidem mundo, qui utiq; passionibus genita replet, ut pertrito scholis uerbo interim citra scolorum morsum utamur: nam & generatio ab passione non sequestratur: ubi autem passio, nullo modo bonum: ubi bonum, nō habet ibi locum passio. Sicuti uerò materiæ omnium concessa est participatio, ita & boni participatione mundus bonus: bo-

nus

nus, inquam, quatenus & ipse omnium effector: at minime in alijs bonus, passibilitatis, & motus ratione. Nusquam in eo pulchrum compereris, nusquam bonum. Siquidem, quæ modo titillant sensus, simulacra sunt, & miraculorum uanitas. Ipsa quippe natura, utaq; mundi, ut placuit Plotino, quasi maga, imagines ipsius boni, ueri, pulchri ubiq; fingit, uelut efcas, quibus animas huic mundo per avaritiam, uoluptatem, inanem gloriã mancipatas fallit. Deum cogita, circa pulchritudinem demum uersaberis. Certe libro octauo Enneadis quartæ de animę descensu in corpora, Plotinus idem constanter asseruit, sensibile totum à Platone contemni, & commercium animæ cum corpore damnari, qui & arcanum illud ueneratur oraculum, quo traditur, Animam hic in custodia quadã, & carcere distineri. Quin, inquit, spelunca apud Platonem, sicut & antrum in Empedocle, apud quem *ἡ χρονομοποι* potestates inquit, *ἡ ἀθάνατος* *καὶ ἀβρογ* *καὶ ἀσέβητος*, uniuersum hoc nobis significat. Solutionem ē uinculis, & ex spelunca ascensum, ipsam accipi puto animę ad intelligibile progressionem. Vanitas uanitatum, & omnia uanitas, inquit Ecclesiastes. Sed ait Hieronymus, si creatura omnis bona est, ut quæ ex boni creatoris fontibus profluxerit, quo nam pacto uniuersa uanitas? Si terra uanitas, nunquid & cœli, & angeli, throni, dominationes, potestates, cæteraq; uirtutes? Sed quæ per se bona sunt, melioribus collata uanitatis asciscunt nomen. Stellam lunæ confer, cæca est: lunam soli iunge, non rutilat: solem CHRISTO si componas, tenebræ sunt. Adde quod ubi Plato ait, Mala in mortali natura uersari: id exponens Plotinus, esse inquit necessario aliquid subcontrarium bono, id est sub boni imperio collocari aliquid, ab eo maxime distans, ac penitus dissimillimum, id est infimam mundi materiã. Hoc autem loco monendi sumus, contrarietatem ab hoc philosopho, ut eius doctrinæ studiosis placere animaduerto, accipi, non repugnantia duarum in eodem genere qualitatum, sed distantiam rerum undiq; maximam, opposita facientem, ferentemq;, quomodo est materia subcontraria deo: hæc namq; essentia non est, ille uero essentiæ principium: hæc malorum origo, ille bonorum. Salus una, uia item una, pietas cognitioni adnexa. Tunc humana mēs recta concipit, & meditatur: ubi ab principe natura infusum exceperit radium. Quod si immundorum spirituum afflata prauitate subdiderit colla iugo, succrescunt inde, progerminantq; adulteria, stupra, homicidia, id genus alia cōplura. Quo forsitan argumento Luciferiani uniuersum mundum esse diaboli astruebant, & factum de ecclesia lupanar. Illud neutiq; silentio inuolendum, ubi ex sacra pagina hoc aduocauimus, Cæli enarrant gloriã dei: sic ab eruditissimis intelligi, ut cælorum appellatione, spiritalia significentur entia: quia Hebraice articulus adijciatur, hæc uelut in Genesi, In principio creauit Deus hæc: quod si dematur, tunc cœlos accipi uisibiles.

Humana natura astruitur non uilis, nec contemnenda. Hominis causa omnia esse à deo quodammodo producta. Hominem futurum fuisse immortalem, si non peccasset. Ante peccatum, an noxium quippiam produxerit terra. In corruptibile quot dicatur modis.

Cap. III



Aeterum posteaquam huc prouecti sumus, ut rationalis naturæ gradum ostendere aliquo modo uideri possimus humilē, infaustum, & nullo ferè cū cælestibus communicatu, quum illic uiuacitas sit æterna, & indefecta, hic caduca, & subciliua ingenia, præstò sit & mira sublimitas, tanta fastigij intercapedine interuallata ab infimis: Putemur interim oratorio more, hominis patrociniū suscepisse, aut certe Academicorum scholas ingressi opiniones illorum interdum amplectari, qui uerisimilitudinem captantes, & inde Sceptici nūcupati, nil omnino astruebant. Enitatur ergo iam hinc promere, quæ hominem, & illius terrenum locum faciant angustiorum, suo metientes omnia modulo: & ut Pindarus inquit, *καὶ ἀπὸ τῶν*, ut simul Plinio occurramus, tradenti, Hominem nō ideo esse proximum deo genitū, ut uilitate iuxta belluas esset, uelut suillæ nari aureum plane insertarit anulum deus. Simul etiam Platonici satis faciamus, salamandra quandoq; frigidioribus, à quibus proditum scimus, Mundi partem, quæ supra lunam sit constituta, esse mutationis nesciam, genuina luce perspicuã, perpetua tranquillitate beatam, dicitq; agentem: quoniam quæ hic sunt, cæli uultibus (ut sic dicã) sint obnoxia. At infra lunã diuersa omnia, ubi sit uitæ mortisq; collimitiū, tumultuentur elementa, coorientur procellæ, omnia quodammodo præci-

a 3 pitentur

pitentur in interitum: ideoq; recte patiens mundi portio censeatur, immo uerò inferorum locus: quoniam animæ malum sit, ad materiam se deflectere, quam in Theæteto nominat Plato dissimilitudinis regionem, hoc est diuinitati undiq; dissimilitimam: dicitur & Lethæus, sed profundus: & terræ tartara, in quæ anima deiecta, in cœnum creditur corruisse tenebrosam. Mors, inquit, animæ est, dum corpore mergitur, in materiam labi, ipsaq; repleri, quod si suspicet nusquam, sed in cœnum identidem reuoluatur, etiam inde fieri, ut apud inferos dicitur dormire. At si ueritatem, reiecta omni uesica, & ambitionis tumore paulum compresso, amplius libeat pendere, comperimus primum, quicquid est naturæ corporeæ, hominis causa esse productum. Nam quis nesciat, elementorum illuc rationem spectare, ut inde composita constringantur? Composita uerò inanima nonne propter animata, ut imperfecta propter perfecta? Plantæ utiq; animalibus deseruiunt: at hæc, immo uerò omnia simul, humanis uisibus sunt destinata. Sed quid in humilitate uersamur? cur non surrigimur? & quæ tam miranda uidentur, nobis item obsequium præstare comprobamus? Expende radiantis deos, ut inquit Apuleius, quibus cælchorum comptum, & coronatum suda tempestate uisimus, pictis noctibus, seuera gratia, toruo decore. Suspice, inquam, in hoc perfectissimo mundi, ut ait Ennius, clypeo miris fulgoribus uariata cælamina: quorum ex assuetudine speciem quandoq; mirari desinimus, nonne nostris emolumentis ista destinantur? Mihi certe ita compertum, quantumuis illa inenarrabili sint ordine distincta, quantumuis dignitate humanum captum excellentia, tamen quodammodo propter hominem uideri creata. Nam & in Phisicis pronuntiat Aristoteles, hominem esse aliquo modo finem: etenim secundo De generatione & corruptione idem scribit, à deo uniuersum esse repletum, quia generationem fecerit continuam. Hæc uero non est, nisi ex caloribus motu: unde consequitione quadam colligi, motus esse generationis causa factos, quin & mobilia, & motores quoq; modo quodam: quippe motuum finalis causa generatio est, & cælestium quoq; corporum, ut mobilium, non ut corporum, & substantiarum. Porro generatione cessante, cessabit motus quoq;. Quæ si ceruicior aliquis etiamnum putat irridenda, apio (quod dicitur) uix satis inspecto, uelut Palladi selem coaptare conitatur, audiat (quæso) patienter, quæ in sanctis literis obseruata, subnotanda censuimus, sic uerò Deuteronomij capite quarto, legimus: Ne forte oculis eleuatis in cælum, solem uideas, & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas: quæ creauit deus tuus in ministerium cunctis generibus. Homo itaq; in mundi meditullio constitutus, ueluti rex plane, dominusq; cuncto rum, huc illuc porrectis, expansisq; potestatis suæ uisibus, fruitur omnibus, omnibus imperat. Id non sacris modo literis celeberrimum est, sed dicitur ratio, & rerum ordo mirus. Id uero imperium ac regimen ex prudentia est, quæ propria censetur hominis, in quo uirtus ea generalis est, quum in brutis per partes uideatur, sicuti in aranea ad contextendam telam, quam obrem iure homini subiiciuntur. Confirmat hæc, ut de Plinio interim sileam, Mercurij auctoritas, qui diuinissime multa quidem, sed & illud peruidit, Pater, inquit, omnium intellectus, hominem sibi similem procreauit, atq; ei, tanquam filio suo, congratulatus est, propterea forma delectatus propria, opera sua omnia usui concessit humano. Amplius & in literis nostris M. Tullius aptissime colligit, Mundum uideri effectum eorum animantium causa, quæ ratione utantur, qui sunt dii & homines, quibus, inquit, profecto nihil est melius, ratio namq; omnibus excellentior. Iam, ut alia missa faciam, quis non uidet tum magni sacerdotis sententia, tum summi oratoris propheticum illud confirmari ferè: Dixi, Diij estis, & filij excelsi omnes. Quod si inferat aliquis, male à me ita colligit: & inanes flari gloriolas, quoniam nusquam non imperium hominis pernoscatur proscissum, conuulsum, extritumq;: ac rem omnino ad manticam, quod dicitur, & incitas relapsam: Respondebunt Christiani patres, supplicium esse ex admissa noxa, non rerum ordinem, quippe quo sibi iure potestatem uendicet, qui uix dum in uitalem productus lucem, protinus se Deo rebellem præstitit: ut penè cum nutricis lacte, ut sic dicam, flagitiorum ac superbiæ semina haussisse uideri possit: Quod adeo uerum est ut auctor nobis sit Beda, Ante hominis peccatum nil noxium ab terra progerminasse, non herbam ueneno pestilentem, nõ arborem sterilitatis inutilem uitio, sequestrata item natricum uirulentia, & uiperarum. Quanquam quod ad hoc pertinet, etiam si uel antea pullu-

pullulatu succreuisse ista, non inficiemur, minime tamen superstit querelis locus. Nam tum perinde sit, ac si terram insimules, quod non omnes homines boni. Amplius, quod uel in cælo non omnes angeli boni. Equidè solis ardor præualidus spicas torrendo concoquit: idem tamen gignentium exordia perurit. Ita profecto est, eorum quæ de terra sese promunt, specificam singula rationem præferunt, ac pro uirili creaturæ complent uniuersæ pulchritudinem: alia siquidem esui adnascuntur, uisibus alijs alia. Quod tibi inutile censet, quibusdam cõfert insigniter. Quod gulam minus prolecat, nec in mensam admiserit, medendi salutarem suggerit uim: conio libidinũ furores compressi emarcuerunt plerunq;: helleboro affectiones corporum inueteratæ interdum solutæ comperuntur. Quare ex ijs suggillatio creatis dei nulla, sed gratiæ incrementum potius. Quod cum magno Basilio in Hexaemeri libellis comprobatur Ambrosius. Verum, ut uideo, moriendi necessitate urgemur præcipue. hæc nobis infestos maxime facit, qui hominis statum hostiliter insectantur: astringentes id etiamnum usu uenire, uti optimum quencq; & statim & præcipue pigneretur deus: nam & Cassius Hemina, Quæ nata sunt, ea omnia denasci aiunt. Nec uident primum illum nostri generis patrem, tanquam Cæciam quendam, ipsum sibi calamitatũ adsciuisse nubila: etenim si non peccasset is, quodnam foret nobis cum morte commercium? An Apostolum non audimus dicentem, Corpus esse mortuum propter peccatum? non dixit, Mortale corpus ex peccato: sed mortuum. Id quippe ante peccatum mortale fuerat, & immortale, quia poterat mori, & non mori. Aliud est autem non posse mori, aliud posse non mori. Mortalis erat homo conditione corporis animalis: at conditoris beneficio immortalis. Confirmat doctrinam hæc Nicolaus theologus, comprobatur in Ciuitate diuina Aurelius Augustinus, docens propter peccatum naturæ principem in tonuisse: Terra es, in terram ibis. Sed & Gregorius amplissime stipulatur, quum asserit, Ita fuisse conditum hominem, ut manente illo, decederent tempora, nec cum temporibus transiret. stabat enim in momentis decurrētibz: nec ad uitæ terminum per dierum incrementa tendebat. Posteaquam uero conditor est offensus, ire cœpit cum tempore, & tabernaculum mortis esse humanum corpus. Ac uti sciens prodidit Pindarus, *επιμυροί, τι δέ τις, τι δ' ἔτις, σλυῖς ὄναρ ἀνθρώπων*. Et apostolus Paulus ad Romanos: Per peccatũ intrauit mors in mundum. Beatus item Thomas in corruptibile modis dici tribus affruit: Primo materiæ absentis ratione, ut in angelis: uel quia non sit materia in potentia, nisi ad formam unam, ut in cœlesti corpore. Altero modo ex parte forme, ubi rebus ex se corruptibilibus adnexa dispositio est, qua profum ab corruptione uendicetur, quod quidem secundum gloriam incorruptibile asseritur: nam in epistola ad Dioscurum Augustinus ait, Tam potenti natura animam à deo factam, ut ex eius habitudine redideret in corpus sanitatis plenitudo, & uigor corruptionis nescius. Tertio dicitur modo incorruptibile causæ efficientis ratione, sicq; in innocentia statu incorruptibilis fuisset homo, & immortalis. Quod in libro quæstionum Noui & Veteris testamenti asseruit Augustinus. Nam quia naturæ corporeæ proportionem rationalis anima supereminet, congruenter uirtus ei est initio contributa, per quam ab interitu corporea asseri posset materia. At huius theologiæ ignarus Plotinus, etiam si est inter Plato nicos tanquam maiorum gentium, de humanis agens animis: Pater, inquit, misericors mortalia illis uinacula impedit, ne semper huius uitæ miseris teneantur. Quod si auctori bus nostris non præstandam fidem, contendant Platonici: ueluti ad paruulam Cynosuram, qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto, uti est ab Arato proditum, non ad Helicem, & Septentrionum claritatem aciem intenderimus: respondeo, ex ipsorum doctrina, esse in primis credendum, Quoniam mentes diuinas illa præ cæteris prælagia indicant, ut in Phædro scribit Plato, quæ arte nulla, & consilio fiant: qualia sunt, quæ de Diotima uate, & Socrate, & Epiménide, idem Plato refert: quæ de Sibyllis Varro unã cum Platone: quæ de diuinis philosophis Hebræi tradunt. Horum omnium mentes tum orbis remotissima obibat, secretiora pandebant, quum à corpore seiunctæ, in unitatemq; suam collectæ deo maxime inherebant: quod Mercurius non negabit: sed Augustinum, Gregorium, & antea multo apostolum Paulum, quem, & Barnabam mirati adeo Lycaones sunt, ut louem putarent, ac Mercurium: quis in eo statu constituendos audeat inficiari, qui diuinum sentirent afflatum, & præter doctrinæ profunditatē, quæ illis affluc-

amplissime, etiā stupenda præcinerent mysteria? Vitæ sanctitas, miraculorum numerosa series efficacius me in fidem pertraxerint, quam Platonem Socrates, aut Epimenides, quos ueluti quintæ classis, in hac præsertim censura ne dignos quidem arbitror qui nominentur, ne quis hosce adeo Coryphæos ducat, ut iusto cum eis sacramento contendere non sit, ac interdico certare. Addamus hoc amplius, ut peruicacium impudentiam reuincamus. Hominem primum, si non peccasset, fuisse immortalem futurum, non Christiana modo astruit ueritas, sed & Magi unā cum Platone carminibus suis parari immortalitatem posse asseuerabant. Zoroastris magiam nil aliud in Alcibiade putat Plato, quam dei cultum. Et alibi idem Plato, non carminibus modo sancit, uerum philosophicis item rationibus & temperari animum, & corpus uel semper, uel diu saltem à morte procul posse seruari. Hoc nec Auicenna negauerit, qui animo in seipsum restituto in corpora quæuis mirandam concessit potestatem. Zoroastris porro, & Hostanis sectatores non inficiantur, ob ueterem quandam humanæ mentis infirmitatem omnia nobis infirma, difficiliaq; contigisse. Quod si quis animæ temperamentum restituerit, compositio, ra mox futura omnia. Ex Pythagoreorum arcanis & illud est, animam idcirco in sensibili mundo tot occurrentem malis conflictari, quia sensibilibus honorum auiditate illecta intelligibilis mundi bonis fuerit exuta. Sed in re confessa nimis multa. Quod si laboriosa item obijciatur uita, refelli id ratione potest eadem. Nam ut ait Nicolaus theologus, Ante peccatum, & superbam hominis designationem, terra sponte alimenta suggererat accommoda; propterea post offensam apud Moysem deus, In sudore uultus tui uiceris pane.

Terram esse mundi chorum medium. Quæ sit Musarum chorea, Quid Apollo. Terram esse stellam unam, ex Pythagora. Cur dea ab Platone dicta. Terræ nomen non esse uile. Cur firmamentum dicatur. Item cælum quomodo unitas omnium. Aquarum cœlestium ratio. Terræ præconia plura, & quæ sit eiusdem forma. Chersos quid, item chersæa. Zedoros terra cur. Cap. IIII

**P**orro num tibi uilior homo est, quod sit quasi in inum, hoc est in mundi cardinem, centrumq; relegatus, abiectusq;? Ego quidem fateor, quod ex Aristotelis sententia Auerrois primo cæli confirmat, Terram inter elementa ignobiliorem haberi, ignem uero nobilitate præfere. Quæ rerum series non modo, inquit, in ijs uisitur inferioribus, sed in corporibus item cælestibus; nam in libro de animalibus dixit Aristoteles, Lunæ naturam per similem uideri terrestri naturæ. Scribit in libro de ueritate Thomas etiam, cæli corpus esse humano corpore nobilior, quia cælestia quidem agant, nostra uero corpora patiantur: nam & ignis ut actu calidus in nostrum agit corpus, potentia modo calidum. Cæterum sicuti ignis naturæ suæ mobilitate, raritate, luciditate in mundi ratione, qui ambiret, maxime contulit: ita & terra soliditate insita ad mediâ mundi compingenda perutilis ac necessaria fuisse uidetur: unde & ἰσοπέδορον, id est æquiuolantem, appellant Græci. Eam uero optimum maximum deum, tanquam chorum aliquem diuini templi medium constituisse, amplius animaduertenti patet: ut prætereamus quod Astronomico primo Manilius scribit:

Quod nisi librato penderet pondere tellus,

Non ageret cursus mundi subeuntibus astris

Phœbus ad occasum, & nunquam remearet ad ortus,

Luna' ue submersos ageret per inania cursus.

Nam quum mundum, ut Platonici uolunt, ubiq; construeret rationis plenissimum, quo clarius suum referret auctorem: in sphaera qualibet uiuentia pleraq; collocauit, quæ non templum modo redderent exultissimū: sed summi opificis laudes assidue concinerent: quod ipsum humanas itidē mentes in meditullio positas facere uoluit. Hæc uero est illa ueteribus celebrata Musarum chorea, quæ ad Apollinis ipsius imperium recinit perpetuo, saltatq;. Ipse uero, ut ait Orpheus, πάντα πόλον κινῶν πολυκρέτων ἄρμύζει, id est cælum uniuersum cithara temperat canora. Apollo uero hic non alius est, q; deus, quæ uniuersalem uocat Pythagoras, dictumq; uult quasi ἀπλόν, id est simplicem, ac unum, uel ἁπλῶν, id est ab alijs sequestratum, & multitudinis nescium: quo argumento in Palatini Apollinis templo pependisse lychnos instar arboris mala ferentis, planè contendere

rim

rim. Et quoniam Pythagoræ incidit mentio, quem Plato eximie ueneratur, in quoq; ingenium effulisse diuinum, grauissimi auctores prodidere: succurrit, quod ex doctrina promitur eiusdem, pertinetq; ad nostri huius elementi præconium. Hic enim, sicuti accepimus, & meminit in libris de cælo & mundo Aristoteles, Terram esse stellis unam esse prædicabat: quod in cōmentatione de Platonis doctrina comprobatur Alcino, & fortè significauit Plotinus, ubi ait, Terram, si uniuerso comparetur, esse ueluti punctum, uel quasi stellam quandam, minimam reliquarum. Propterea si concipias, esse te in sublimi quopiam mundi loco, unde oculis subijciatur terræ moles, aquis circumfusa, & solis, siderumq; radijs illustrata, non aliam profecto uisum iri probabile est, quam qualis modo uisatur lunaris globi species. Verum hoc quæso, cuiusmodi putas, quod in spatij medio æquilibrata, per ambitum tanta cælorum maiestate obuallatur, quorum rotata uertigo motu, ut Varro dixit, orbito, immensam illi confert salubritatem, dum noctis dieiq; cursus ita annum attemperat, ut alimentorum omnis generis nec copia desit, nec bonitas? Illa uero cælestium radiorum in unam eam cōfectio, ac ueluti disiectorum aggregatio qualem non modo splendoris excitat micantissimam claritatem, sed comparat inde uirtutem: quanquam non me fallit, Plotinum scribere, eam radijs contemperatorem non posse obuenire, ut coalitū, cum uolq; nouam sibi cōciliant uirtutem, aut mirabilis aliqua inde forma dissculter. Illud inficiari potest nemo, cælestia maris functionem quodammodo subire, infima uero hæc foemina. Nam sicuti & calor, & uitæ fons, ac propago est, ita & cælestis cor, ipse sol, nostra hæc pro caloris potestate mouet, afficit, adq; uitam prolucit, aduente stellarum item errantium uia: adeo ut mundi uterus uideri terra queat, in quem coeant in generationem prodeuntia, cælesti fermentata uirtute. Principes des, inquit Varro, cælum & terra: hos Aegyptus Serapin dicit, & Iūm. Terra & cælum, ut Samothracū initia docent, dei sunt magni. Quid uero ibi asserendum, quum Plato terram uocat deam antiquissimam deorum omnium, qui cæli ambitu cludatur? Putat Plotinus hoc loco, terræ ab Platone animam esse contributam: quæ quum animantia progignat innumera, sitq; animalis maximi, id est mundi membrū, tum in primis non absq; necessitate, tum nec aspernabile, Censendum est, inquit, animal esse, sed intellectuale atq; diuinum, & sensu quoq; pollens: nam quum animā uim iudiciariam habeat, habet & facultatem, per quā dum spectat in corpus, de passionibus illius ualeat iudicare. Sed hæc ille uiderit. Chalcidius in Platonis Timæum, antiquissimam deorum opinatur dici, uel quia est animalis capax locus, qui præcogitetur ijs quæ in loco sunt, necesse est: uel quia puncti rationem habet terræ, quod sanè omni est magnitudine antiquius, atq; omni quantitate, naturali quadam mentis conceptione: uel etiam quod quæ stant, ijs quæ mouentur, mente præeunt, quando motus omnis post statū sumit initia. Nobis certe ex ijs quæ hæc genus deprompta sunt, iamiam minus uidetur mirum, cælestem patrem rationales animas conditoris lumine obsignatas, ubi late dominantur, hic ocludere, rursumq; præscripto ambitu peracto, canere receptui. Quod si quem peruicacius terræ nomen, ut uile offendit, is mihi haud ita multa uidetur lectitasse, quum & scientissimi philosophi lunam ætheream terram appellare non dubitarint, nam & Mercurio aquam attribuerunt, ærem Veneri, ignem soli. Sed amplius ordine submutato, ignem item ascripserunt Marti, ærem Ioui, Saturno aquam: sphaeram uero quæ procul ab errore constituta, aplanis dicitur, dixerunt esse terram, in qua celeberrimi apud poetas Elysi cogitentur campi. Quod ne quis risu explodere pergat, nō ab simile est quod in sanctis habetur literis: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. & in thesauris eiusdem, nōne terram legimus uiuentium? Nōne Moyses & Dauid aquas per cælestia fundunt? Et Nicolaus theologus, Aquæ dicuntur, inquit, æqui uocē: nam quæ sunt super firmamentum, cælestis sunt naturæ, quæ sub firmamento, elementaris. Augustinus in Geneseos enarratione, Saturni stellam esse frigidam contendit, ex aquarum supercælestium uicinia. Quod quia mirum accidit, audi ex libro Hexaemeri secundo doctissimi Ambrosii sententiam: Nōne, inquit, diuina prouidentia prospexit necessario, ut intra orbem cæli & supra orbem redundaret aqua, quæ illa feruentis axis incendia temperaret? Quin & mox paulo, Quis igitur ambigat, quin æther ignitus, & magno feruens uapore, omnia fuerit exustus, nisi lege quadam sui prohiberetur auctoris, ut nec flumina, nec lacus, uel ipsa maria uim eius ualeant

ualeant restinguere? Proinde desuper impetu quodam descendens aqua in tantos plerumque imbres exundat, ut flumina & lacus repente oppleantur, & redundant maria. Quo nomine solem subinde madidum uidemus, ac rorantem: ex quo euidentis promitur indicium, ex aquis illum sibi alimentum ad sui temperiem haurire. Verum quibusdam tantum inest ueritatis impugnantiae studium, ut solem ipsum naturae esse calidioris inficiuntur, quod albus sit, non rubicundus, aut rutilans ignis specie. Ridenda uero parte hac Origenis doctrina tradentis, Aquas super firmamentum non esse aquas, sed fortitudines quaedam potestatis angelicae: rursumque, sub firmamento, id est quae super terram sunt, esse uirtutes contrarias, id est demones. Soliditatem uero quasi terrenam adesse caelo, ratione coniectari, Plotinus putat: nam terrae naturam opacam, proindeque luci aduersam, & densitate immobilem, brutamque ab caelo abesse longe arbitratur, micantissimo, & ad motum maxime pernicio. Rursum & aquam, quae insita frigiditate in primis caelo aduersetur, quod esse constat calidum primum. Nostri, ut Solomon Hebraeus interpret innuit, Firmamentum ab firmitate dictum autumant: quoniam ut in Iob legimus, Caeli quasi aere, solidissimi fundati sunt. Hinc & apud Homerum, *ἄραως πολὺ χαλκῶ* dicitur, id est aeris multi caelum: quod ad soliditatem refert Eustathius: proinde, inquit, alicubi *σιδήρεον*, id est ferreum nuncupatur: aut quia mythicorum est, esse inibi *χαλκῶ βατὰ δώματα*, id est aeneas domos, ab artifice substructas Vulcano. Et Seneca scribit, In quaestione esse, solidumne sit caelum, ac firmam concretamque naturam, an subtili tenuisque nexu, agatur, an agat. Caeterum scribit in Phlogonia Hesiodus, Tartaro circumiectum esse aeneum septum, id est *χαλκῶν ἔργῳ*: quo nomine putant eruditiores, aerem intelligendum *ἄρα δὲ διηχῆς, καὶ ἄνεμον*, quod per ipsum feruntur sonitus, beneque sonet. Scribit tamen Hesaias, firmatum esse a Deo caelum, sicut fumum: quod, inquit cum Basilio Ambrosius, extulit propheta, subtilem caeli naturam, nec solidam, cupiens declarare. Sciendum & illud, Caelorum nomenclaturam communem censerit, quando caelos plures sanctior comprobabat scriptura, speciei uero appellationem esse firmamentum: quippe ita legimus, Et uocauit Deus firmamentum caelum. Illud enim ex genere profertur, ubi in principio caelum enuntiat factum, omnis namque caelestis creaturae fabrica comprehenditur. Addamus hoc amplius, quo nostri loci nobilitas insignitior fiat & plausibilior, Caelum eminentissimi auctores unitatem esse dicunt omnium corporum: id ita intelligi uolunt, tanquam caeli pars quaelibet totus sit mundus inferior, quia sit in stellae cuiuslibet uirtute omnis caducorum corporum uirtus. Id quod symbolice Pythagoras ille sapientissimus significasse uidetur, ubi in luna, reliquisque sideribus elementa quatuor, montium supercilia, uallium constituit humilitatem, quinimmo stirpes quoque, & quae apud nos uisuntur omnia: neque enim stellarum in caelo ulla est, quae non ambiat totum, quod sublunaris complectitur mundus. Ex his opinor, constare iam bene sentientibus posse, terrae elementum haudquaquam uideri contemnendum. Sed audi Platonis Timaeum: Diuini, inquit, decoris ratio postulabat, talem fieri mundum, qui & uisum pateretur & tactum. Constabat autem, neque uideri aliquid posse absque ignis beneficio, neque tangi sine solido, & solidum nihil esse sine terra: unde mundi omne corpus, igni & terra instruere fabricator incipiens uidit, duo conuenire sine medio colligante non posse: inde aerem & aquam inter ignem terramque contexit. Qualem igitur esse mundi cardinem remur hunc, tanta prouidentiae maiestate constitutum? nonne regium uere? nonne animalium principe dignum? Utinam tam grate beneficam in nos, ac propensissimam conditoris bonitatem recognoscamus omnes, quam non pigebit aqua modo lance expedientes, in sede media tam augusti, tam diuini templi, ueluti sacerdotes locatos, qui iugiter tanti artificis laudibus personemus. An non & illud miraculum auget insigniter, quod propheticum est? Terram fundauit super firmamentum eius, non inclinabitur in seculum seculi. Qua sane in parte, non tanquam artifex efferrit animaduertitur Deus, sed omnipotens uerius: qui non centro quodam terram, sed praecipiti sui firmamento suspenderit: neque enim hic artis mensura est, sed potestatis. Propterea quum ex nube alloqueretur Iob inenarrabilis maiestas, Vbi eras, inquit, quum terram fundarem? Indica mihi, si scietiam tenes? Quis posuit mensuram eius, si nostri? Aut quis est, qui superinduxit mensuras super eam? Aut super quid confixi sunt circuli eius? Quibus ostenditur liquido, diuinam amplitudinis potentia ineffabili in numero, potestatem, ac mensuram

mensura, ut diximus, consistere omnia: nec quod in medio sit terra, quasi aqua lance suspendi, sed quia dei maiestas suae uoluntatis lege ampliter illam constringit arctatque robustius, ut quamuis inani obsepta, stabili tamen perseveret. Hanc Hesiodum carmen *ἑσθῶ* appellat *ἄσφαλις* caelestium deorum & subterraneorum, quoniam caeli est firmamentum, & partium eiusdem, hoc est syderum, quae superna tenent, quaeque inferna, *καὶ τῶν λιγῶν* *μυθῶν* *πρὸς τὴν ἀκίνητον ἐστράτευται*, id est omne quod mouetur, circa immobile obfirmatur. Iam eram coronidem huic parti impacturus, quum illa ipsa ueluti munificentissima parens, terra lacinia retractum commonuisse est uisa, ac ornamenta sua ingerere perrexisse: Satis, inquit, me in mundi sede media constitutam, solidam, & undique in me nutibus meis, aut diuinis uariis, conglobatam contemplatus es. Caeterum quae species rerum est, quae uarietatis maiestas, sic me inenarrabili herbarum, florum, fruticum, arborum, frugum copia conuestitam, & ut Apuleius tuus inquit, caesariatam conspici? Quid Arabum odoramenta recenseam? quid nata deo thura? quid Orientis aromata, & medicamina numerosa, sine quibus (ut nunc est) uix uita constiterit? quid tot, tantorumque animalium & mitium, & ferorum, ac cicurum agmina subiiciam? quid tantorum marium ualiditatem, quid gelidorum fluminum ac fontium perennem iucunditatem, lauacris abundis & collucentibus mire gratam? quid piscium portentosam molem, temperatam, modicam, pusillam, ac penes magnitudinem nullam memorem? An non cernis hic me speluncis usque ad delicias excavaatam? illic accliuem, ac superba montium proceritate surrectam, & quodammodo scanili supercilio caelum affectantem, ac humano generi distantem uitae leges? Alibi sum depressa uallibus & campestri planicie spaciola, culta, incultaque dulcissima uobis suggero alimenta. In uisceribus nec homini quidem sterilibus: ibi uero recondita seruantur, auri, argenti, aeris, ferri, aliorumque metalla. Nec satis; marmora produco omnifaria, molibus fulciendis, conuestiendis, incrustandisque parietibus excidenda, & in statuas tantum non spirantes conformanda. Nec gemmarum defuerit suppellex pretiosa, quibus uestri niteant articuli. Sed & maris conchyliam margaritas foeminis suggerunt. Nec lanifica Serum sylvae luxui uestro mollissimam abnegarint uestem: Taceo auicularum musicos cantus, Quid substructiones magnifico impendio nobiles repetam? quid urbium tantarum splendidissimam claritatem? Sed quod omnem exceleserit admirationis caput, Ego te animal prouidum, sagax, memor, plenum rationis & consilij natum sustineo: uagientis fletum excipio prima, adultum educo etiam deliciose, opibus te contego meis: quicquid mihi est, summa hilaritate condonatur tibi, quia magni conditoris lumen in animorum claritate signatum animaduerto. Vnde a poetis tuis Homero, Hesiodoque, *ἔσθῳ* nuncupor, uti Ioannes grammaticus suspicatur, quoniam *ἔσθῳ* *ἔπειτα καὶ θερμαίνεσθαι*, id est dum sole inferuesco ac incalisco, uobis omnia condonantur: nec zea tantum, quod multi opinantur, & non praeterijt Plinius. Iamiam ab reliquis naturae partibus abdicatos in sinus uos admitto meos, plura etiamnum, & largius impertitura, nisi principem naturae deum rebeli animo atque instabili nulla non horra conuelleretis: ut in uos poeticum illud de Helena regeri queat, uel in matris funere nimis quam delicate comis suis parcente, *ἔστιν ἡ πολυκαλλὴ*, hoc est, mulier est quae semper fuit. Illud uero hic subiiciendum protinus, terram ab Homero dici *ἀπύρνα*, siue *ἄπυρνα*, id est infinitam, quia sit *σφαιροειδὴς*, ac *σφαιρῶδες*, id est orbicularis: quanquam nec latet, philosophum Posidonium ac Dionysium, terram dicere *σφαιροειδῆ*, id est fundae similem, id est concavam, quando descendere imbrem dixere telluris in gremium: quod astruunt & Chaldaei, ut scribit Diodorus. At Democritus oblongam statuit, *Ἰαντιοειδῆ* uero Hipparchus, & disci diffusioris positioni assimilem. Aristoteles Meteororum secundo, tympani forma terram esse prodit, quando habitabilis portio in latum definita extēdatur, nec sit in orbem globata. Illud grauius multo, ad ignem ita se habere terram, uti mundus ad deum: quippe multis insigniter ignis similitudinibus ad deum in terrae respectu: nam potentiae illius finis non fere est, omnia operantis in terra, penetrantis, illustrantis, distinguentis, formantisque per aeris & aquae media, ut quicquid ex terra succrescit, progigniturque, non magnopere aliud sit, quam alia & alia ignis operatio, ut rerum forma multiplex ex ignei splendoris confurgat uarietate multiplici. Immergitur tamen rebus ipsis ignea potentia, deum uero absolutum intelligimus, & claritatem quoque absolutam

solutam: in cuius participatum nitantur cuncta, quod in astris perspicuum sit. Hoc uero nec prætereamus, quod aliud agentibus se ingessit, incultiorem terram Græcis uocari cherson ferè, quo argumento quæ illi chersæa, nos syluestria dicimus.

Mundus quid sit. Natura continens mundum, quibus censeatur nominibus. Inibi de sphæro breuiter. Quid sit illud Timæi, Mundum constare ex mente, ac necessitate. Mundi principia tria. De Anaxagora, cur dicitur vs. Cap. v

**M**erum quia multa diu iam de mundo uerba facimus, persequamur & flores rerum ex summis auctoribus: illud præfati, nos ipsum hoc toto opere præstaturos, ut si nil aliud, uarietatis iucunditas, & inde genius aliquis non absit. Id igitur huic potissimum inferatur loco, quænam ab doctissimis mundi definitio afferri soleat, quod initio statim fuerat efficiendum. Igitur in libro de orbium contemplatione Cleomedes ita finit: Mundus est constitutio cœli & terræ, & naturæ rerum, quæ intra cluduntur: hic omnia continet corpora, nullo penitus relicto extra, haud infinitus quidem, sed terminatus, argumēto, quod à natura gubernatur: nullius enim infiniti natura esse potest, quum id continere, & ei dominari naturā oporteat, cuius sit natura. Quod uero administrantem habeat naturam, liquet: primo quidem ex ordine partium: deinde earum rerum, quæ oriuntur inde: tertio ex partium inter sese consensu, mox & ex miro, quod hinc profluit, emolumento. Naturā esse Aristoteles censet, principium motus, & quietis, in quo primo est, & non per accidens. At naturam efficientem, gubernantem, continentemq; Plato *δημιουργόν* uocauit, hoc est opificem. Sunt tamen Aethæorum magistratus, item Demiurgi. Empedocles Sphærum, ut primo Physicorū Themistius scribit, & meminit de generatione & interitu priore libro Aristoteles: quanquam & Sphærus quidam de Lacedæmoniorum republica libros condidit, quorum utatur testimonio Athenæus. Aristoteles uero *ἐστὶν* etiam, id est speciem; qui & in libro de mundo, postea quàm eum finem quem posuimus est complexus, infert, *λέγεται δὲ καὶ ἐστὶν ἡ φύσις τοῦ κόσμου, ἢ τὸν ὅλον τὰς τὰ καὶ ἰσχυροῦς, ἢ τὸν θεόν τε, καὶ δὲ θεὸν φυλάττοντα*, hoc est, dicitur & aliter mundus uniuersitatis ordo ac exornatio, à deo & per deum custodita. Christiana ueritas à deo mundum dependere sancit, nec id natura, sed uoluntate. à quo dogmate haud aberrare Aristotelem, ex eruditis sunt qui probare adnitantur. Finis uero ipsa est bonitas: etenim quia bonus est deus, imò uero ipsum bonū, creata producit ac conferuat. Quem autem latet, quæ cūq; agat quis, quoniam sit bonus, ea, uoluntate fieri, non natura: Bonum siquidem uoluntatem mouet, ut uisum color. Publica ferè philosophorum omnium sententiā est, uti ab Algazele proditū scimus, summo etiam Auerois altipulatu philosopho, Mundum ab æterno deo tempore nouum esse productum, absolute censi impossibile: siquidem cur non prius? an quia inclinante carebat ad esse productum? An affuit liuor aliquis? an non potuit? Quæ si absurde ascribuntur deo, liquet ab æterno fuisse mundum. Sed, inquit, hic nec in agente possibilitatem cōperias, neq; item in patiente: quanquam in naturalibus & artificialibus effectum agens præcedat, & patientis: mundi productio est omnino alia. Nanq; patientis excogitari nequit possibilitas, quando subiectum est nullum: minus etiam multo in agente, quod enim hic sit agens præter deum? Quum uero possibilitas, potentia sit quædam: deus autem essentia omnino actualis & simplicissima, locum in eo non habet possibilitas. Proinde astruendum, mundi productionem non præferre in deo mutationem ullam, neq; exitum de potentia in actum, sed diuinæ potentia potius incognitum nobis modum: propterea haudquaquæ diuinis naturalia uideri conferenda. Putat Origenes in libris *πρὸς ἑβραῖους*, non ideo factum mundum, ut producerentur bona, sed ut reprimerentur mala: nam initio creatas à deo animas peccati labe ab eius præscripto recessisse: quo nomine ad inferiora detrusas, diuersis pro delictorum ratione corporibus insinuatas, tanquam uinculis: hunc uero esse mundum, & mundi causam, Mundum duobus constare dixit in libro de uniuersitatis natura Timæus Locrus, mente, & necessitate. Tu intellige, ex actu formali: qui sanè est in diuinæ mētis uoto præcipuus, mentisq; imago. Item ex necessitate, id est materia: quæ non tam intentione propria, quàm necessaria quadam conditione ad hoc opus accipitur. Mundi principia tria ab Platonis colliguntur: ipsum scilicet *τὸ ἀγαθόν*, id est bonum, siue deus; intellectus, eiusdem filius, ex paterna luce luminis more manans: atq; insuper

insuper mundi anima, ex intellectu diuino, uelut spiritus per omnia profluens. Sed ea cōditione inferioribus prouidens, ut interim ab diuinis nulla ex parte declinet. Quod de intellectu diximus, quia admirationem habet, sententiā Plotini est & Ammonij eiusdē præceptoris. Sed & Iamblichus inter Aegyptiorum dogmata cōtineri scribit. In Academicis quæstionibus Cicero sentientem naturam, qua cōtineantur omnia, nunc mundi animam appellari scribit, nunc mentem sapientiamq; perfectam, quem deum uocant: sed & necessitatem quandoq; quia nil secus effici possit, quàm ab ea sit constitutum: nōnnumquam etiam fortunā, quod multa efficit improuisa nobis, nec opinata, causarum obscuritate atq; ignoratione. At nostræ religionis auctor summè grauis Ambrosius illuc prouertam quorundam hominum audaciam miratur, ut assertionem parum perspicaci astruere ueriti haud sint, esse tria omnino principia, deum, exemplar, materiam, & hanc utiq; incorruptibilem, & increatam, in itiq; prorsus nesciam: ut intelligatur deus nō creator, sed artifex planè: qui in exemplar, hoc est ideam, intendens ex materia mundum compegerit, quam dicunt hylem, quæ uniuersis gignendi causas contriuerit. Quod, inquit, cum affectatoribus sensisse animaduertitur Plato. Quod quum præuidisset diuiniore afflatus spiritu Moyses, ut retunderet, in sacri operis exordio sibi ita præfandum censuit, In principio fecit deus cælum & terram: rerum initia, mundi auctorem, creationem materiae mira breuitate complexus. Quæ omnia Propheta nobilis approbās, quum de cælo, terra, mariq; loqueretur: Omnia, inquit, in sapientia fecisti. Pythagoras symbolicè tria indicauit rerum principia, infinitum, unum, & duo: id est deum, formam, & materiam: quæ alterationis (ut sic dicam) creditur mater, sicuti deo congruit infinitas, formæ uero unitas. At Orpheus Iouis nomine formam uoluit intelligi, unde dicitur *ἀρχὴ πάντων*: Iouis autem materiam, quam nuncupat *διδὸς σύλλεκτρον, παντογυῖον*, id est Iouis cōtoralem, omnipotentem. Tertium porò principium adiicit, legem naturæ, id est *φύσις βιβαίου*, in Hymnis ab eodem nuncupatam, *ἐράνιον νόμον, σφραγίδα δυνάειν*, id est cælestem legē, sigillum iustum. Dignum uero quod parte hac non prætereatur, Anaxagoram philosophum nobilem fuisse appellatum *νῦν*, id est mentem, uel ob prudentiæ in ijs quæ ad physiologiam spectant, magnitudinem, quam insigniter sint admirati priores: uel quod rerū exordijs non fortunam apposuerit, non necessitatem, sed mentem omnium princeps ad iecerit, *καθ' ἑρῶν καὶ ἕκαστων*, id est synceram impromixtamq; miscellaneis omnibus homœomerias dispertientem.

Mundus, siue cosmos, unde dicatur. Quid cosmus, & cosmetor: diacosmus. Cur pulchra fiant in mundo. Vnde colligatur mundi pulchritudo. Cælum esse picturatum: & cur dictum sit ouum. Belus quid. Interim animam esse organum dei. Fossa quæ dicebatur mundus. Seueri historia. Cap. vi



Quem uero Latine ex absoluta perfectaq; elegantia, ut ait Plinius, mundum nuncupamus, ratione Græci eadem *κόσμου* uidentur appellasse: nam & Mercurius, quod omnia uarietate generationis exornet, ita quoq; dictū refert, aut quod in diuinæ maiestatis ornamentum initio sit expressus, uti Florens Septimius inquit. At in Gorgia Plato: Tradunt, inquit, sapientes cælū & terram, deos & homines societate quadam & amicitia, modestoq; ornatu & temperantia & iustitia cōtineri. Atq; id uniuersum propterea mundū ornatumq; nominant, nō immunditiam atq; intemperantiam. Ab ordinis uero præstantia dici mauult Eustathius: quem illi cōtribuerit prouidentia. Omnino inesse dictioni laudis multum apparet, quando uirtū rationis tum honestæ, tum moderatæ *κόσμου* appellare Græci solent: comem dici Latine, arbitrantur eruditi. Duces autem Homerus etiam *κοσμητορας*, uelut multitudini ordinem præfigentes. Auctor in libro de philosophi historia Galenus est, & Plutarchus non omisit, Pythagoram primum *ἀνομάσαι τὴν τὸν ὅλον ποσειδίω κόσμον, ἐκ τῆς αὐτῆς τάξεως*, quod Latine sic est, Ob absolutissimam quæ in ipso est seriem, uniuersū continentiam *κόσμου*, id est mundum appellasse. Nam & mundi ordinatam constitutionem *διακοσμοῦ* uocant. Diacosmum, Strabo accipit pro instructione, aut etiam catalogo: ut quum Homerum prodit, meminisse in Paphlagonico diacosmo: & Demetrii Troicus diacosmus, ab Athenæo aduocatur. Cosmophthora, Varronis lucubratio intercidit, argumento (ut uidetur) *πρὸς φθορὰς κόσμου*. Nec sanè mirandum magnopere, inquit Anaxagoras

charis in septem sapientum conuicio, ex diuina uoluntate decentissima & pulcherrima perfici in mundo, si in maximis quibusque partibus eius, ut Thaleti placuisse animaduerti tur, & præcipuis anima inest: si quidem animæ organum corpus est, dei autem anima ipsa. Et sicuti ex se motus plerisque corpus habet, plurimos uero & pulcherrimos ex animæ uis: itidem anima partim quidem ex se agit, partim uero uersandam dirigendamque, ut colli buerit, se deo exhibet, quum sit omnium instrumentorum aptissima. Mundum uero esse pulcherrimum, ex quatuor maxime colligimus, ut putant ex ueteribus nonnulli: ex orbiculari figura, quæ omnium prima est ac maxime capax: ex colore item, qui cyaneus est: ex magnitudine: postremo, ex tot tantorumque siderum uarietate. Quippe argumentis facile comprobatur, cælum non esse (ut multis ferè placuit) leue, nullisque picturatum imaginibus, atque distinctum, ut in uolucrum cernimus ouis: quo nomine etiam inoffensum, iubicum, & tenerum uocabant. Democritus & Pythagoras primi uidentur ouis nomine cælum appellasse. Sed & Plato ex Ciceronis interpretamento: Deus, inquit, cælestia tornauit, ut uel nihil uel parum asperitatis haberet, nihil offensionis. Quin hominè quoque cælum esse dictum, comperimus: quia sit cæli simulacrum quoddam, etsi paruum. Sunt ex prioribus, qui Belum, id est *βελου*, esse aëtheris ambitum prodant: alij supremum, omniaque circumplectentem aera: nonnulli secundum Dryopas etiam olympum: Chaldaei, cælum prorsus eo nomine intelligunt. Signat & Belus pauimentum, *περὶ δὲ βέλους*, id est ab incessu, sicuti placuit Eustathio. Inueni & pro ianuæ limine dici Belum, quem etiam *φλίω* uocant. Sunt qui Phœnicum lingua solei opinentur Hel, unde ducatur helios: qui mox & Belus. Colebatur, inquit Dion, apud Syriæ Apameam Iupiter cognomento Belus, qui Seuero adhuc intra priuatum se habitum continenti Homericè ita responderit, *ὁμοίᾳ καὶ λεφάλλῳ ἐκελθὲν δὴ τῶν περὶ δύνῳ, ἀρῆ δὲ ζώνῳ, σὸρῆα δὲ ποσειδάωνι.* Mox uero iam imperium adepto, ita: *Σὸς δὲ οὐκ ἔστι βήστρον ἀλλ' ἀμαρτῶν.* Auctor & libro tertio Diodorus, Iouem à Babylo nijs Belum dici. Ardorem denique cælestem alicubi legisse uidemur, qui æther nomine tur, uel cælum: sed & Subijces, pro aere alto, qui cælo iubicus est. Fuit & in Comitio fossa, quam mundum uocant, in quam orbicularem, Vrbe condita, omnium primitias, quibus lege ut honestis, natura ut necessarijs utebantur, conijci iussit Romulus. Mox item terræ portiunculam, unde quis esset profectus, conferri: credo ut sic in ciuitatis uisus, ac patriæ populum facilius coalescerent animi.

Vacuum in mundo esse nequit. Vtrum uisus sine aere intermedio perfici possit. An extra mundum esse possit uacuum. Mundus an sit unus. Cap. vii

**V**acuum in mundo esse nequit. Vtrum uisus sine aere intermedio perfici possit. An extra mundum esse possit uacuum. Mundus an sit unus. Cap. vii  
 Illud uero scitu dignum est, in mundo ratione nulla esse posse uacuum, quod ferè comprobatur ex ijs, quæ sensibus manifesta sunt: etenim nisi nexibus mutuis colligaretur uniuersitas, nec mundum natura contineret, nec regeret, nec partium inuicem ulla foret societas. Porro ni uno loco sit mundus, ac nusquam interpellatus profluat spiritus, probabile Cleomedes habet, tunc nec uisui, nec auditui locum omnino fore. Qua in parte operæpretium arbitror Plotini inferre placita, aëtheris, corpus per se necessarium minime esse ad emicantem ex oculo radiū sustinendum, atque perferendum: qui nullo fultus tibi cine, aut substrato in rectū suapte natura fertur, nec metuendum, ne radius ipse decidat, qui naturam habet luminis. Inter uisum, & uisibile medium per se necessarium est lumē, uel externum, uel propriū oculi, seu obiecti ualde lucentis. Aristoteles uero, & eum secuti omnes, ne extra mundū quidem uacuum relinquūt. Neque locus, inquit, primo cæli, neque uacuum, neque tempus est extra cælum, quo argumēto nec cōsenescunt ibi existentia. Plato item, ut inquit Plutarchus, neque intra mundum, neque extra, uacuum cōcessit. Pythagorici extra mundum esse uacuum autumant, in quod inquirunt, & ex quo respirat mundus. Hos secutus Cleomedes in contemplatione orbium cælestium, ita esse, argumentis nititur peruincere: putatque, negare uacuum perinde absurdum uideri, ac si quis ita colligat, quia in humore carentibus locis aqua esse non possit, nec uas, quod eam suscipiat, esse posse. Sciendum uero est, uas corporis dupliciter dici: alterum, quod corpus tenet, ab eoque impletur: alterum, quod capere potest corpus. Quod autem dicunt, si uacuum extra mundum foret, per ipsum mundum ferretur, nihil habens ubi consistere atque inniti posset. Scire oportet, inquit, impossibile

ibile id uideri: uergit enim ad medium, & id sibi tenet innum quo nitit. Nam nisi sui medium, atque idem innum mundus teneret, profecto per uacuum ageretur mundus. Dicitur hoc quoque ab illis, si extra mundum uacuum esset, profusa per ipsum substantia in infinitum iam dissipata foret: sed hoc fieri nequit, habitum enim quendam habet, ipsam tenentem, & conseruantem. Inepte quoque afferunt, si extra mundum uacuum esset, id infinitum esse oporteret: quod si infinitum esset uacuum, corpus quoque infinitum esse oporteret: non enim nulli desinit, at corpus continuo terminis includitur: quare qui extra mundum nihil esse contendunt, nugantur. Id enim ipsum, quod nihil uocant, haud quidem profusa substantiæ obistere potest, quo minus rapiat aliqua expansa, & quod subinde naturaliter ab ea apprehendatur. Est eadem implebitur, locusque fiet ipsius, quare oportet esse substantiam aliquam uacui. Est enim simplicissima ipsius uacui notio, quippe incorporea, & tactum negantis, nec figuram habentis, nec recipientis, nec quicquam agentis, aut patientis, sed absolute ad corpus suscipiendum idonei, & apti: siquidem quod impleri, deserique à corpore potest, uacuum est. Stoici, Plutarcho referente, & Galeno, extra mundi ambitum constituebant infinitum: in quod, conflagratione, quam uocant *ἐκπύρωσις*, obueniēte, posset resolui, Posidonius non infinitum, sed quantum resolutioni sufficeret. Aristotelem Plutarchus idem & doctissimus uir & prudentissimus, prodit, quod mirum est, extra mundum constituisse inane, ut cælum respiceret. Sed ubi hoc astruat philosophus is, parum comperi. Etenim in omni uita pretiosissimum est, intelligere, & nescire quod nescias. Mundum uero esse unum, euidentis dicitur ratio: namque ordine uno, & ad unum instrui debent omnia. Proinde secundo Metaphysices ait Aristoteles, ex ordinis unitate in rebus existentis unitatem colligi gubernantis dei. Sed & exemplaris unitate mundi unitatem probat Plato, uelut ad exemplum producti. Porro ex sua constat, & tota materia mundus. Neque enim fieri queat, uti terra sit alia ab hac: quia quæcunque cogitetur ea, naturæ suæ nutu ad hoc delabatur medium: quæ ratio & de alijs pronuntiarum iridem ualet.

Vtrum esse possit corpus extra mundum. Quod si concedatur, utrum possit à nobis uideri. Cur pede affecto afficiantur inguina. Cap. viii



**S**i corpus sit extra cælum, & mundo huic ad illud oculus dirigatur, nihilo prohibente discernere, dubium est, inquit Plotinus libro quinto Enneadis quartæ de dubijs animæ, utrum illud uidere possit. Et re uera quum mundi ambitu omne, quod sub sensum cadere potest, apprehendatur, concipere nequit animus, sensibile quippiam astitui extra mundum. Si tamen eminiscaris esse tibi corpus ali quod, sed quod nihil habeat cum nostris corporibus commune, non sentietur utique mundano sensu. Si uero corpus id nostris *αισθησις* effingas, iam ut internū censebitur, haud quaquam externum. Si causatio sese ostenderit in pede, confestim afficiuntur & inguina: cur non genua potius, tanto præsertim propiora? Nempe quia illa inter se sympathiam habent maiorem, & naturæ in animali eodem similitudinem. Consimiliter sensibilia longe sequestrata, etiam si leuissime moueantur, nec pariatu medium: præsentiantur tamen, id efficiente mundi continuata natura inter hæc, sicuti si summam partem intenti funis agitare perrexeris, mox & infima sentit motum: hinc etiam fieri putant, ut uenturos ad nos sensu occulto, sed non sine admiratione præsentiamus.

Quo tempore anni creatus sit mundus. Cur aries signorum primus. An demonstrari queant mundi primordia. Cap. ix



**E**orte uero uacantis operæ non fuerit, breuibus hac parte explicuisse, quo anni tempore prima effulserit genitalis mundi hora, ac (ut Lucretius inquit) primigena: quando certum temporis principatum non diffitemur habere hunc, qui cernitur & tangitur, & est corporatus undique. In quo mire disceptant Hebraeorum interpretes: nam Iosue cum plerisque sectatoribus, mundum Martio factum men sentitur probare, tum quia succrescant è terra tunc pubentes herbæ: tum quia Exodi duodecimo, mensis hic dicatur anni primus. Eliezer autem, ac nonnulli, malunt Septembri mundi initia contribuere, quoniam tunc maturescuntibus fructibus cum inclusis seminibus, absolutius fuisse uideatur dei opus. Quæ sententia maxime præstitisse uidetur,

ut probabilior: quia & in Deuteronomij capite tricesimo secundo, scriptū legimus: Dei opera perfecta sunt. Proinde in eam item sententiam pedibus eunt omnes, Hominem primum in statu ætatis perfecto productum, quo posset generationem perficere: tunc enim unum quodq; uideri perfectum, quum simile sibi ualeat progignere. Quod ipsum & in fructuum ratione astruendum est, qui suis sunt seminibus grauidi. Quod uerò Martius dicatur mensium primus, non ad mundi primordia referendum arbitrantur: sed ratione solennitatum celebrandarum dici uolunt; simul propter singulare dei beneficium, quo de Aegypto seuocati Hebræi fuerant. Quod & innuere scriptura uidetur, quum ait, primus erit in mensibus anni, tanquam insinuet, antea non fuisse primum. Priorem tamē opinionem etiā tueri uidetur Strabus. Sed & Ambrosius: Inde, inquit, mundi oportebat exordium capi, ubi erat opportuna omnibus uerna temperies; unde & nascētis mundi imaginem annus exprimit, ut post hybernas glacies, & caligines hyemales ferentior solito uerni temporis splendor eluceat. Sed & illud affertur commode, calore genitalem requiri omnino temperatum, quò argumento rejicitur cum capricorno cancer: quin & libra, quod in frigidum ab sicco deurgens, mortis esse uidetur prælagium potius, quam generationis aptum exordium. Propterea poeta nobilis,

Non alios prima crescentis origine mundi  
Illuxisse dies, alium uē habuisse tenorem

Crediderim: uerū illud erat, uerū magnus agebat

Orbis.

Aiunt porro quum primum in ordinem hunc, & nitidissimam claritatem facta, expurgata, compositaq; elementa sunt: quem diem mundi esse natalem prædicāt, arietis signum mediā cæli tenuisse: qui locus ceu quidam mundi uertex intelligitur. Proindeq; factum ut principem in signorum duodecim limbo locum aries habere credatur: quippe in genituris omnibus cælum medium, principem habet locum: nam & ex hoc totius genituræ fundamenta colligunt. Inde concinne admodum ex hoc signo reliquis omnibus initium factum, præsertim quum stellarum pars maxima, sed & lumina utraq; sol ac luna radios suos in hoc collimarint. Astipulatur & Manilius Astronomico primo,

Vt sit idem mundi primum, quod continet arcem.

Et mox,

Aurato princeps aries in uellere fulgens.

Auctor tamen est Theon, ab ariete ordiri Aegyptios, quod signa omnia cum membris responsum habeant, ac analogon: quippe esse caput arietem, conieciant, quoniam in capite sit animæ principatus, & ouium dux sit aries. Porro, quia in eo signo æquinoctium contingat. Quo argumento mundanæ originis conieciant pleriq; astrologos ab solis in arietem introitu de totius anni fato pronuntiare. Mundum deniq; esse natum factumq; de Platonis sacrario promi, auctor in Apologetico Septimius Florens. Quamobrem Aesculapium sequuti in libro qui *μυετρηθεις* appellatur, mundi thema sic concipiunt, ut eo exoriente, solem leonis pars gestarit decima & quinta: cancri uero eadem lunam: capricorni Saturnum, Iouem sagittarij, Martem uirginis, Venerem libræ, Mercurium uirginis: Horoscopum cancri item decima quinta: tunc quoq; Saturnum lunæ coniunctum intelligunt, quia sit lunæ secutus naturam, quando in signo constitutus fœminino, lunæ in fœminino item positæ per diametrum radios exceperit. Verum præsto sunt qui uellam esse mundi genituram tradant, qui nec certum habuerit ortus sui diem. Quin mundi originem facili haud posse concipi ratione, præsertim quum trecentorum millium annorum maior apocatastasis, hoc est redintegratio per ecpyrosin, aut per cataclysmū, spatium perficiatur. Commentos uerò esse hæc præcelli ingenij uiros, ut esset quod in hominum genituris exemplum mathematici sequerentur. Lunam itaque Saturno iunxerunt primum, quæ & temporum traderet principatum, quod prima origo mundi inculta fuerit, & horrida: cuius habitum demutarit Iupiter, qui post temporum acceperit principatum, nam huic secundo loco coniungi lunam. Aduertenda uerò parte hac doctoris eminentissimi Thomæ sententia. Non necesse, inquit, est, deum uelle mundum semper fuisse: neq; enim necessario quippiam uult deus, ni se ipsum, absolute si loquimur. Eatenus uero est mundus, quatenus illum esse, inter dei placita est, quando inde suspensus est, ut ex causa. Quamobrem per demonstrationē probari nequit: nec quas ad hoc promit Aristoteles, sunt simpliciter demonstratiuæ rationes; uerum secundum quid, ut ueterum re-

tundantur

tundantur argumenta, quibus inefficacius mundi exordia nitēbātur comprobare. Quid quod liquido Topicorū primo traditur, Quædam esse problemata dialectica, quorum rationes minus teneamus, sicuti æternus ne sit mundus. Adde quod Homilia Ezechielis prima Gregorius: Prophetauit Moyses, inquit, de præterito, dum ait, In principio creauit deus cælum & terram. in quo mundi traditur nouitas, quam reuelatione tantum contiscimus, proindeq; demonstrari nequit, nec sciri. Quod quidē perpendisse, perutile fuerit, ne quis iam forte fidei propria demonstrare adortus, rationes inducat non necessarias, unde irridendi nos infidelioribus anfa porrigatur.

Quæ sint in mundo antica & postica, dextra & sinistra, sursum & deorsum.

Declaratur Lucani locus, & Ouidij alter. Sacrificandi mos. Cur in Oriente nascatur gemmæ, & aromata, leones, elephanti. Papinij locus illustratur. Cry stalli ratio. Item pauonum, psittacorum, meleagridum. Cap. x



Væstio autem de mundi partibus ac declinationibus aliquid & ipsa contemplationis habet, præsertim in tanta opinionum diuersitate, mirè dissidentibus etiā primæ notæ auctoribus. Aduocabitur ergo ad partes, cuius etiā supra commemorimus, Cleomedes, quo ueluti antesignano, poetica tortuositates re ctitudini suæ restituentur, ac nitori. Igitur quia, inquit, mundum esse corporeū liquet, in eo superna cōcedamus, propemodum necesse est, atq; item inferna: sed antica quoq; & postica, necnon dextra & sinistra. In globofo mundo locus imus intelligitur, qui medius, in quem nutu suo uergant omnia. Supernus uero, qui undiq; medio incumbit. Antica mundi dicimus, quæ ad occiduas orbis partes proclinantur: quoniam illuc adnuit motus. Posteriora Orienti relinquuntur, quia inde feratur ad Occasum. Ex his porro consequitur liquido, ut dextras habeat Septentrio, sinistras meridiēs. Ex hac Cleomedis distributione, quam ab Aegyptijs uidetur accepisse, sicuti in libro de Iside discimus ex Plutarcho, tollitur planè ex Lucani carminibus nubilum, quod etiā si auctor Sphæræ illustrare conatus est, nihilominus auribus acri lotis aceto parū satisfecit, mihi certe ad hanc diem hæsit interpretatio. Agitur ergo de felici Arabia, cuius pleraq; portio inter æquinoctialem circulum, & tropicum cancri statuitur ab cosmographis. In quibus regionibus solem gestante cancro, umbra planè in meridiem, hoc est in sinistras mundi partes nutat. Poeta uersus hi sunt:

Ignotum uobis Arabes uenistis in orbem,

Vmbra mirati nemorum non ire sinistras.

Cæterum ex hac obseruatione expendant eruditi locum item Ouidij ex Metamorphoseon primo, Vtq; dux dextra cælum, totidemq; sinistra

Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis.

Quod eo impensius commouisse uolumus, ut sciant iam nunc bonarum literarum studiosi, interpretum fiducia nunquam esse in utraq; aurem dormiendum. Sed redeo unde sum digressus. M. Varro sexto linguæ Latinæ fragmento diuersimode orbis hæc constituit partes: Quocirca, inquit, cælum qua tuimur, dictum templum, eius templi partes quatuor dicuntur, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem. Eandem sententiā amplexatur & Plinius, quum ait, Errantia sidera contrarium mundo agere cursum, id est lauum, semper illo in dextram præcipiti. Hæc uero obseruatio ab disciplina profluxit Thufcorum: sed quam etiā comprobat Alcinoüs in libro de Platonis doctrina, quod mirum est. In Græcorum monumentis adnotatum nobis est, morem sacrificandi seruatum diu, ut circumcurrerent aras, cursum auspiciati ab lauo dextrorum, zodiaci quadam imagine, cuius motio sit mundo diuersa ad exortū uergens: mox uero ab dextris lauorsum procurrerent, quo motu cælum rotari, manifestum. Hanc autē scientissimorū esse hæresim, astipulatur magnus auctor Galenus, apud quem ita legimus, πύθαγόρας, καὶ πλάτων, καὶ ἀριστοτέλης δέξια τῶν ὀστέων ἐφασαυ ἐν τῇ ἐὼα, ἀφ' ὧν ἀρχὴ ἐν Πλινίου, ἀριστοτέλης δὲ τῆς ἐσπείρας. ἐμπειροκλής δὲ δέξια ἐν τῇ ἡστέρῃ τῶν βλεπῶν τροπικῶν, ἀριστοτέλης δὲ τῆς ἡστέρῃ χεμελειῶν. quæ ut Latine potius loquamur, pleriq; fortasse Græcè nescientibus: Pythagoras, inquit, & Plato, necnon Aristoteles mundi dextras ad ortum partes esse dixerunt, à quibus sit principii motus, sinistras uero occiduas: Empedocles autem dextras quidem in æstiuū tropicum, sinistras in hybernū reiecit. Et T. Liuius

b 3 ab Vrbe



ab Vrbe cōdita primo: Augurum scientia dextras ad meridiem partes statuit, ad septentrionem sinistras. Quod si dextra celi pars Oriens est, significat uero ipsum hoc grammaticorum ratio, Scæas portas aſtruentium dici, quod occidentales forent, id est *duis*; nam scæa intelligi sinistra, occidentaliaq; patet (opinor) inde efficaciorum quoq; esse ibi solis uirtutem, quam in occidente. propterea multa quoq; inibi provenire, quæ in alijs orbis partibus nusquam comperiantur: cuiusmodi sunt gemmæ, aromata, & id genus plura, quæ ampliorem expetunt caloris copiam, ut sunt leones, tigrides, elephanti, quæ omnia in ijs locis, quæq; ad Austrum innuunt, affatim succrescunt. Quin & crystallum esse quidem lapidem Diodorus scribit, ex aqua concretum pura, non tamen frigore, sed diuini caloris ui. Cuius item potestate rerum euariet colores, sapesq; constipat siquidem calor, comprimit siccitas, splendor illuminat. Hinc pauonum in Babylonia distinctior picturatis pennis grata diuersitas. In Syria parte psittaci, porphyrones, meleagrides. Ex ijs uero quæ aſtruximus, liquere arbitror boui etiam septimo, cur Papinius Thebaïdos primo, orientales domos dixerit primas:

Primæq; occiduaq; domus, effusa sub omni Terra, atq; unda die.

Quam rationem in animalibus dextra uel sinistra pars, necnon antica & postica, item superna, infernaq; habeant. Plantarum radices esse oris uice. Sensuum alios dici naturales, animales alios. Cur uirorū superiora crassiora sint, in fœminis contraria eueniant. Cur in lateribus sint crura, alæ, pedes. Ambulandi ratio.

Cap. XI

**Q**uoniam paulo ante Aristotelis facta mentio est in ratione mundi partium explicanda, nunc operæpretium facturum me sum ratus, si Alberti cognomento Magni, placita ex eadem schola huc transposuero, sed comptiora multo, & magis Latina, quando auctor is, quod fatendum sit, in dicendo Gothicum sapit, & Barbarum: oratione squarosa prorsum, & illepida, inter peripateticos tamen nominis celeberrimi. Igitur in secundo librorum, quos de cælo ad Aristotelis lucernā concinnauit: Omnino, inquit, Pythagorici uidentur omnium primi cælum scrutando tradidisse in eo dextrum & sinistrum: quod esse animatum putarint, corpusq; animatū, & ad locum mobile, hæc habere partium discrimina, animaduertent. Equidem in contemplando animalium motu, dextrum utiq; perpendimus & sinistrum: sed illa prius summum & infimum, ante, pone, quippe in pluribus ista comperiuntur: nam in quibuscunq; dextrum fuerit & sinistrum, in eisdem necessario summū erit ac infimum, nec tamen ediuerso. Igitur illa, distante natura, prima erunt: secundo loco, ante, ac pone: postmodum quæ dextra dicimus, & sinistra. Probantur uero ista, inductione ac sensu: nec enim animantibus cunctis omnia hæc insunt discrimina, sed ijs tantū quæ perfecta uisuntur, quæq; sensibus prædita sunt omnibus, præterq; locali motu. Pluribus uero inest ante ac pone, sursum & deorsum, nec tamen dextrum aut sinistrum, ut quæ gustum modo habent & tactum, & motu priuantur locali, quoniam non moueantur, nisi cōstrictionis motu & ampliationis, sicut ostrea, spongiæ, id genus alia pleraq; in quibus, quod sæpe iam repetimus, summū est ac infimum, aut (quod quidam sibi dicere permittunt) sursum & deorsum, quæ mihi tamen exauctorata solent uideri uerba, propter nutrimenti motum. Ante uero & retro ex sensuum item motione: qui tamē in illis non sunt ualde perspicui, quod nulla sint sentiendi organa expressa. Quo argumento traditum forte ab Aristotele est, in eiusmodi esse, quod retro dicitur: de eo autem, quod ante, tacuit. Nullo autē pacto in ijs dextrum est aut sinistrum, quando nec localis motus: & natura non inducit uana, redundantiaq;. In plantis id modo est, quod uocat summū & infimū: est enim ibi cremēti motus. In tractatu de communi animalium gressu Aristoteles inquit: Summa pars omnibus uita prædita est, per quam cibus recipit: infima, ad quam postremō accedit. In stirpibus tamen modo contrario habere se res uidetur: sed quanquam similitudine uniuersi idem minime respondeat, munere tamen quo fungunt, idem omnino respondet: radices enim stirpibus pro summa parte sunt, quia succus ijs, quæ è terra oriuntur, inde dispenseatur, & illum ipsum radicibus perinde trahant, ut animalia ipsius hiatu oris. Scribit porrò philosophus Isaac in libro de elementis, Plantas duobus esse præditas sensibus, gustu, & tactu. Sed

tu. Sed tunc dicendum, alios esse sensus qui dicantur animales, alios qui naturales. Sensus naturales uocauit uirtutes congruas ad alimentum suscipiendum: animales autem eos, qui cum alimento etiam sensibilem intentiones percipiunt, iuxta animæ quodcumq; iudicium. Cæterum ex ijs quæ hæcenus aſtruximus, & illud cōsecutione quadam nosse debemus. Summum esse principium lōgitudinis in corpore animato, per hoc quod est cremēti exordium. Id uerō est ab calore cordis intimo: proinde tamdiu lōgitudinis durat extensio, quousq; calor is potest pertingere, radicale humidum extendendo. In quo illud obiter commonendi sumus, Nutrimentum animatorum omnium esse commixtū, propterea grauiorē partes, magisq; terrestres ad inferiorum delabuntur alimentum: tenuissima uero quæq; intimi caloris uirtute ad superna cōfouenda surriguntur. Argumento est, uirorum portiones supernas caloris redundantia cōnutriri amplius, & crassescere magis: quod in mulieribus cōtrā fit. Ideoq; mares feruntur in caput ex alto, at fœmina inferioribus excipitur. Dextrum uerō latitudinis est principium, nō quidem mathematicæ sed informatæ potius latitudinis uirtute mouente per locum. Motus namq; is, licet oriatur à corde prius, mox uerō à posteriore parte cerebri, uel ab eius uicario, quam modò uocant nucam, per sphondylia dorsū descendēs: tamē nō effunditur, nec explicatur per motuum organa, nisi in latere, quod est latitudinis initium, quod dextrum est: propterea in lateribus instrumenta motus producta ab natura sunt, crura, alæ, pedes. Et ad eum quidem motum per se refertur caloris copia dextrum latus, tum etiam ob cordis ad eam partem uehtriculi reuertentiam maioris. Proinde omne perfectum animal dextrum prius profert pedem inter ambulandum. Sinistrum uerō latus nō refertur ad motum, nisi per accidens: trahitur enim pes sinister ad corpus sustinendum, ne decidat. Ante uerō esse dicitur profunditatis principium. Nam motus sensilium uirtutum ab anterioribus orditur: ubi sunt sensuum organa, pertingitq; usq; ad primum tangendi organum, quod est cor. Atq; ita fiet motus, ab eo quod ante, in profundum. Siquidem hæc in corporibus profunditas intelligitur, ab anterioribus in posteriora. At in ijs, quæ inanima sunt, hæc differentias nō comperimus, ut in elementis & lapidibus. Dicimus tamen dextrum terræ latus, quod sit nobis à dextris, quod idem in captandis dicimus augurijs, auspicijs uel. Consimiliter & itatuas, imagine quadam rerum, hæc habere discrimina pronuntiamus. In libro de communi animalium gressu Aristoteles animalium uocat dimensiones, quibus distinguantur, quæ sex quidem numerentur, sed tria cōficiant paria.

Cælum an sit animatum ex Peripateticorū doctrina. Rursum quæ sint in eo dextra & sinistra, antica, postica, superna, inferna: item quæ orbis longitudo. Experiuntur Virgilij loca duo. Cur cælum moueatur ab oriente in occasum. Tempora cur orientem spectent. Quantum corpus nec grauitatem habere, nec leuitatē.

Cap. XII.

Cælum esse absq; materia. Cyttarus quid.

**S**ed quorsum hæc tam multa, tamq; conquisite de animalium partibus ex Peripatetica schola? nempe ut latius exsequamur susceptā quæstionē ex eiusdem decretis. Neq; enim tibijs minutioribus hic saltē inspirabimus. Si sit animatū cælum, cuius materiā Dionysius Areopagita primā uocat, id est optimā, purissimamq;: tunc dubio procul principia motuū animæ in eo concedenda, ea uerō sunt, summum, infimum, dextrum, sinistrum. Quum uerō cælum habere animam dicimus, & terrestre animal item habere animā, sumetur æquiuoce anima: nā quæ dicitur in cælo anima, substantia intelligitur separata, quæ nō sit alicuius actus corporis, nec actū habeat in corpus aliquē, nisi localis motus, quæ infundit. Proinde ab eminentissimis traditum scimus, cælum nullatenus habere animā: quando substantia separata rationē animæ nullā habeat: neq; enim est obligata corpori sic, ut actio eius sit nō libera. Sed nec Plato, quantum ex decimo legum colligimus, globis ita animas includit, perinde ac corporibus humanis alligantur animæ: sed tanta insigniri potestati scribit, ut diuina contemplatione perfrui ualeant, interim iniunctum sibi cælestium orbium mouendorum obeuntē minus. Quam ob rem Plato, Dionysiusq; non tam sententia discrepant, quam uerbis: quando hic angelos uocat, animas ille. Ptolemæi uerō sententia est, & mathematicorum aliorum, Cæleste corpus non moueri, nisi uoluntate ac nutu causæ primæ. Verum tamen nec ideo dextrum, sinistrumq; negare in cælo debemus

b 4 mus

mus, quod orbiculare, globosumque sit, ac uniforme: neque enim illa figuris modo distinguuntur, sed & uirtutibus. Igitur dextrum erit in caelo, unde est motus eius: quia sit in omni animato motus ab dextra. Quod approbat in Timaeum Platonis Chalcidius, & in libro de communi animalium gressu Aristoteles; Argumento, inquit, sunt omnes qui sinistra solent onera baiulare: ita enim gerulus soluto motore, ac disiuncto facile moueri potest: quare sinistra se sustententes facilius unctos superfiliunt utres, quoniam dextra mouere, sinistra moueri apta est: hinc onera non parti mouenti, sed mobili impedi debent. Sed ad caelum redeo. Etenim quum motus reuolutionis unius non sit tempore infinitus: nam nec circumferentia est ambitus infiniti: necessarium est, inter caeli partes esse aliquam, unde fiat uertiginis exordium: omne enim, cuius una reuolutio incipit post aliam moueri, habet proculdubio initij locum. Omnis uero motus ordiendus a parte, & constitutis locis: habeat oportet principium aliquod naturale, quod causa sit, cur initium sumatur a parte illa. Hoc uero esse non potest, nisi dextrum. Proinde cludamus, dextrum sinistramque in caelo concedi necessario. Longitudo autem orbis, cuius principia sunt summum & infimum, est spatium in quo disponuntur orbis secundum motum diurnum ab polo in polum super axem aequinoctialis circuli. Quo modo colligendum relinquitur, antarcticum polum esse mundi partem superiorem, arcticum uero inferiorem. Haec autem ita distinguimus, quo ad habitabilem nostram, quae quarta est septentrionalis hemisphaerij superioris. Qua ratione calor is fons est dubio procul ab meridie, & meridiana stellis, immoque ea portio superior recte statuitur: sicut esse in animalibus iam dictum est. Nec tamen dissimulandum parte hac, Pythagoram philosophum nobilem putasse, septentrionalia, siue aquilenta (ut neotericorum uerbo utamur) esse mundi partem superiorem: forte, quia inibi stellae uisuntur plures, & stellarum imagines, & proinde uirtus quoque eodem loco maior concipi debeat. Id uero refelli hoc modo potest. Sunt certe planetae septem, quorum uirtutem stellae omnes consequuntur: quoniam ita demum se illi habeant ad stellas alias, ut se habet ad corpus anima, ceu comprobant mathematici: at planetae solem sequuntur maxime, ad cuius interualla nunc directi sunt, nunc stationarii, aut retrocedentes: quandoque etiam radijs eiusdem occulti, rursumque emergentes. Igitur & stellas omnes solem sequi, austruendum est. At sol meridiana propior terrae sine dubio est, ergo & portio illa merito iudicari superior debet. Sed nec illud ignorandum, dici quandoque alio item modo supremum, uel infimum in caelo ex stellarum cursu: nam caeli medium in meridie uocatur supremum, & medium in hemisphaerio inferiori uocatur infimum. Atque ita ab metaphisicis capi, sciunt eruditiores. Haec scrupulosius paulo consecretari collibuit, tum quia mira hominum naturae capacium subtilitas arrisit plurimum, tum ut interioris doctrinae candidatos amplius comonerem, quid astrui possit super illis doctissimi poetae carminibus ex libro Aeneidos primo:

Et iam finis erat, quum Iuppiter aethere summo  
Despiciens mare uel uolum, terrasque iacentes,  
Littoraque, & latos populos, sic uertice caeli  
Constitit, & Libyae defixit lumina regnis.

Sed quis non uidet illud quoque, quid ad ea quae attulit Aurelius Macrobius, auctor excellentissimus, addi possit in carminum illorum expositione, quae primo Georgico leguntur, Hic uertex nobis semper sublimis: at illum  
Sub pedibus Stryx atra uidet, manesque profundi.

Platonis tamen sententia fuisse uidetur, in mundo ex se non dici supernum, orbicularitatis ratione, quoniam sit haec undique uniformis: dici tamen in eo sursum deorsumque, quo ad nos qui superna nuncupamus supra caput surrecta: ediuerso autem inferna, quae pedibus subiiciuntur. Quin & ex communi formula loquendi hinc utitur appellationibus Aristoteles, sicuti multis placet. Nam ut secundo Topicorum ipse ait, Utendum nominibus secundum plures: proinde consensu uniuerso, mundi superna dicit, ac inferna. Quae tamen non solum quo ad nos distinguuntur, palam est, sed (uti diximus) & naturae uis. Ut enim in nobis dextrum distinguitur & sinistrum, ex habitudine ad animalem motum, qui localis est: consimiliter superna, infernaque, ex habitudine in mundo constituuntur ad simplicium item corporum motus, quae mundi sunt uelut praecipua membra: proinde supernum

num sancitur, quod feruntur leuia. Infernum, quod nutu suo tendunt grauiora. Et leuia utique nobiliora, quia formaliora. Non tempero mihi parte hac, quin multo risu excipiam tyrunculi cuiusdam uanitate, qui patris emendationes, ac (ut subolet) annotamenta in suos in Catullum commentarios, ut ipse ineptis uideri uult, regerens, omnium se principem de caeli partibus hinc in literas aliquid prompsisse, leuissime gloriatur: quum tamen nostra aeditio prior multis annis illius praecurrat nugae. argumento esse possunt Catullum a nobis explicatae difficultates, quas impudentissime, autore dissimulato, plagiaris sibi uendicat: nil aliud, quam aliena lasciuiens plumula. Sed hic quaerat forte aliquis, cur caelum uertillabundum (nam & uertillantem rotam legimus apud priores) ab oriente moueatur in occasum, nec ediuerso. Hic uero sciendum, naturam, quatenus fieri potest quod agat, nobilissime semper ac praestantissime agere. Quae quum ita sint, nouimus equidem in animalium ratione superiora inferioribus nobiliora censeri: sic antica posticis, & sinistris dextra. Ergo caeli motus debuit uertiginis inde initia ducere, ubi portio est excellentior: & motoris primi uirtus, templorum etiam argumento, quae omnia fere exortum spectant. Caelo item motus congruit praecipue simplex, perpetuus, id est circularis & uniformis. Hic uero, ut diximus, ab loco qui in eo praestantissimus est, incipere debuit: non alius uero est is, quam dexter. Hic obiter commonero perpetuum rebus accommodari fluentibus, cuius est modi tempus, & motus, aeternum uero stantibus: Graeci aidion, pro ratione utrisque apponunt. Quintum uero corpus nec grauitatem habet ullam, aut leuitatem, quando nec a medio mouetur, nec ad medium: quod inde si abscindatur quippiam, nec superna omnino petet, uel inferna, quoniam eadem sit partium ratio quae totius. Proinde colligendum, corpori huic, & partibus uel ex natura, uel praeter naturam motum non congruere alium, quam orbicularem. Postremo id quoque norint studiosi, necessarium uideri duplex concedere dextrum. Alterum sphaerae superioris, & inferiorum alterum. Illud uero Aristotelicum hic attendendum magnopere, materia omni carere caelum, quoniam ex Auerois calculo, Materia quum sit natura sua informis, & proinde aequae se ad quamlibet habeat, & uniuersas queat capere, a formis iugiter in formas fluit: unde coarctur id, ut quod materia constat, formam quandoque amittere suam ualeat. Caelum autem non amittere, quod illi nusquam contraria comperitur qualitas, ueluti motui orbiculari diuersus non reperitur, sed & quia motu potitur citra digressionem perpetuo aequali, infatigabilique. Propterea colligi ex his, caelum esse formam per se a materia se iunctam, existentem. Hinc Platonis quoque spiritale quiddam esse uidetur caelum. Quid erit ergo circularis lux, orbisque lucidus sine materia: sicuti eius oppositum terra ima dicitur sine luce materia. Quod si inferatur, caeli partes densiores lucis amplius profundere, praesto erunt Platonici, portiones raras astruentes lucere quidem uberius, sed tenuitate nimia & luce uideri minus. Respondebunt & Peripatetici, Aliud esse ex se, aliud ex alio coruscare. Quippe elementa, quia aliunde fulgorem asciscunt, quo rariora sunt, eo concipere facilius, Caelestia uero ex se splendicare: proinde quo densiora sunt, eo micare largius. Sed de hoc plura mox: nam parte hac uix sibi auctores constant. Interim nos ad alia non inuicundiora hinc iam digrediamur: si leuiculum illud ex grammatica supellectile inseruerimus, sublimem caeli partem dicit Cyttarum, quanquam & eo uerbo cauitates signentur in fauis, & quibus insident glandes. Sed & in piceis pani, seu paniculae, aut nucamenta, callo squammatim compactili eodem censentur nomine. Nam in pinu strobilis primum florentia, Theophrastus cyttara nuncupat proprie.

Mundi figura. An caelestia nutriantur. Cardinum caeli distinctio, & potestas. Cap. XIII  
Xpetit forte aliquis, afferam hoc potissimum loco, quid de mundi figura sentiendum: quando Stoici, ut auctor est Galenus, globosum esse mundum prodidere. Quia ut ab scientissimis proditur:

Hac aeterna manet, diuisque simillima forma,  
Cui neque principium est usquam, nec finis in ipsa,  
Sed similis toto remanet, perque omnia par est.

Alij conicae figurae: alij etiam oui. Epicurus uero, qui dum palato quid sit optimum, iudicat, caeli palatium (ut Ennius ait) non suspexit satis: nil prorsum affirmat, contingere nanque omnia. Etenim globosum esse, & alijs contineri figuris. Nos uero consensum in eo

eo mortalium sequamur, orbem appellantium: credamus & argumentis rerum, quibus reuincitur abunde inscitia parum perspecte, parumque explorate sacris philosophiae initiatorum: quibus rectissime illud extritum insurraris, quando quidem ab Syris longe distitit es, μή σὺ εἶ, ne Syrum agas: ne planè fias, ὄν σὺ μύρω, idest in ungento asellus. Sed & scite admodum in Adrianum, necdum imperatorem, architectus Apollodorus, quum is per imperitiam de operibus differeret: Abi, obsecro te, ac cucurbitas depinge: nihil enim horum recte nosti. Nam is tunc ex maxime placebat artificio. Id forte hac parte expendisse praestiterit. An ullo modo caelestia nutriantur: quod magnos auctores sensisse, uel hinc liquebit. Sed ut pugnam tutius indispicamus conspiratu magno nitibundi, ab Peripateticorum coryphæo instruere aciem ordiemur: quo procliuus hostis procinctæ classes moueantur gradu, & mox terræ ac dispalatæ proterantur, ueluti effuse immisso equitatu. Ergo Aristoteles inquit, si pascitur mundus, etiam corrumpetur: uerum nullo eget alimento, propterea aternus est. Plinius uerò Naturalis historiae libro secundo: Sydera, inquit, haud dubie humore terreno pascuntur, quia orbe dimidio nonnquam maculosa cernatur luna, nondum suppetente ad hauriendum ultra iusta uis: maculas enim non aliud esse, quam raptas terræ cum humore sordes. Et alibi, in dulcibus aquis esse alimentum lunæ prodicit: sicut in marinis solis. Ab hac sententiæ uanitate non ita ferè abest Ptolemæus in ἀστρονομικῶν libris, quos nunc quadripartitos uocant: ubi lunam ideo humectiorem credit, quia humidus uapor à terra ad eam, syderibus alijs terræ propinquiores, affatim confcendat. Quæ ratio Saturnum efficiat sicciorem, quod ab hæc uaporibus longius abierit, de qua re mox plura. Manilius Astronomicon primo:

Ignem flatus alit uicinis subditus astris.

Ambrosii sententiam iam antè paulo memorauimus. Caterum cui non sit uenia post M. Tullium De deorum natura libro secundo, quanquam sub aliena persona instrui distertationem, non me fallit, idest opinor Stoica. Sunt, inquit, stellæ natura flammæ, quo circa terræ, maris, aquarum uaporibus aluntur his, qui à sole ex agris tepescit, & ex aquis excitantur, quibus altæ, renouatæque stellæ, atque omnis æther refundat eadem, & rursum trahat in idem, nihil ut ferè intereat, aut paululum. Ex quo euenturum putant, ut ad extremum totus mundus ignescat. Idem porro & Naturalium sexto Seneca tradidit. Sed & Stoici reliqui, ut comprobatur in libro de slide Plutarchus. Verum distincte agunt, siquidem ex Porphyrij thesauris solem maris euaporationibus alit: fontium autem ac fluminum, lunam: astra uerò ex terræ anathymia si alimentum sibi adsciscere. Iam poeta omnes ferè in eam sententiam pedibus eunt. Sed quantum ex mutis (quod dicitur) magistris, compertum nobis est, ab Aegyptijs sacerdotibus opinio hæc orta primū, mox propagata in multos est. Ab illis enim traditum, Oceani humore cælum alit, stellisque, ubi humorem conceperint, descendere, ac retrogradas fieri, donec humore iterum percoccto, digestoque, ascendant, exaltenturque, ac dirigantur. Quæ sententiæ ne profluat longius, & serpat in plures, circumscripita reprimatur tum rationibus, tum magni nominis auctoritatum obijciunt: atque Auicennæ in primis, apud quem in libris De cælo & mundo legitur, nullo id pacto physicam pati rationem, siue nutrientis proprium expēdas, siue connutriti: necnon cremenit notionem, quod ex alimento recipit corpus dimensionibus tribus, ita ut æqualitas insit portioni cuilibet diametrorum trium: quibus corpus metimur, nec amplius sit parte una, quam reliqua, siue intima sit ea, seu extrema, citra ullam corporis permutationem ab propria dispositione, ac figura. Si enim dicamus augetur digittum, & incidantur diametri eius, factum reperietur augmentum parte qualibet ex æqui librio inter duo puncta. Proinde si ratione hac cælum augeri contenderimus, fieri nequit id, nisi omnino cōcipiatur, adijci quippiam. Id uero aut intimum erit, aut extremum: si extra, tunc moueatur, necesse est: ac motus is uel proprius erit, uel peregrinus: si proprio motu agitatio fiet, ad cælum, uti ad locum sibi cognatum feretur: & inde colliges, esse leue: si ima petierit, graue. Quo modo necesse erit, cælum quodque uel esse graue, uel leue: quod ipsum peripatetica non admiserit schola. Si uerò attrahatur ab alio, ut ab igni, aut eiusmodi quopiam, tunc profecto hæc fiet attractio, ut cælo infundatur: sicut ingeritur animalibus cibus, ut quod perierat, restitatur. id quod si dederis, consequens erit, cælum esse corporale, quod eruditorum schola plurimorum excipiet. Quod si intimum

num dicatur, ueluti est in animali sanguis: tunc necessario sequitur, ut digeratur nutrimentum, muteturque ex eo quod cælo dissimile est, in id quod simile sit: quo posito, cælo uidebitur aliquid esse cōtrarium, quod esse absurdum liquet. Adijciamus aliquid ex Platonis item scholis. Plotinus in libro de cælo, sic ferè scribit, Alimoniam caelestia non requirunt, neque enim ex inopia nostræ affectione ad eandem libram sublimia seuocare debemus: neque animæ ratio ibi compar, nec regio, nec ibi causa ulla, ex qua infima hæc profuentia continue nutrimentum appetunt necessario. Absit ergo permutatio ab illis, que nostris corporibus dominans ex habitu naturæ deturbat. Adde gentium cōsensum, quādo caelestem locum deo, & substantijs diuinis attribuunt omnes, ueluti immortalem locum immortalibus, & diuinis rebus coaptantes, ut dei habitatio sic intelligatur in cælo ex similitudine ac coaptatione: quoniam inter corpora reliqua caeleste corpus ad similitudinem amplius accedit spiritualium substantiarum: neque enim fieri queat, ut alia ratione cæli habitaculum deo contribuatur. nancque corporalis loci haudquaquam indigus est. proinde colligi debet, mundi partem illam nil profum pati, quippe in tam numerosa antorum serie quippiam in ea cōmutatum, non est qui obseruarit. Suffragatur & ipsum ætheris nomen, quod supremo congruit loco, ab rotata uertiginis perpetuitate. Sunt porro in cælo cardines quattuor ab mathematicis insigniter enotati: eos uerò Manilius uerbis exponemus potissimum. Si commonuerimus, hosce à nonnullis angulos dici, ac cuspides cæli: nam & Græci, centra uocant: loca uerò his succedentia, epanaphoras. Igitur sic Manilius:

Vnus ab exortu cæli nascentis in orbem,

Qua primum terras æquali limite cernit,

Alter ab aduersa respondens ætheris ora.

Tertius excelli signat uestigia cæli,

Quo defessus equis Phœbus subsistit habenis,

Declinatque diem, mediasque examinat undas.

Ima tenet quartus fundato nobilis orbe,

In quo principium est reditus, finisque cadendi

Syderibus.

Ex ijs autem primum statuunt, qui summum cæli culmen tenet, à quo gloria & honores profluunt, ac rerum fastigia. Proximus est qui imam tenet stationem, ab eo rerum fundamenta sunt, ac census ratio. Tertio cōcinnatur loco cardinis potestas orientalis, è quo manat horoscopi adnotatio, uitæ arbitrium, morum moderamenta. Occidentali quartum contribuunt calculum: hic autem, uti ferunt, pertinet ad rerum summas & finem laborum.

Quot sint omnino sphaerae. De Manichæis obiter, & Gnosticis, ac Agnotis, & Chiliaftis. Recondita de Parcibus tribus. Cap. XIII



Consentaneum fortè studiosi censuerint, ut hic uellicatim attingamus globorum caelestium, siue orbium historiam aliquam, ut ne omnino uideatur a symboli nostro beneficio. Ista quidem diutius consecrari, non est omnino nostri instituti: quo tamē pleniori obsequio demereamur bonarum literarum candidatos, quæ uaria nobis lectione comperta sunt, non grauabimur figura quadam & typo, ac breuissime superioribus assuere. In primis uerò Peripatetica obseruanda est sententia: Sunt, inquit, corpora circularia plura, quia generationem esse, necesse est. Si est cælum corpus diuinum, motum esse illius perpetuū, & circulem oportet: si eius talis est motus, necesse est terram esse: si terra est, ergo & ignis. si duo hæc conceduntur, oportebit aliqua item esse intermedia. quod si est, generationem esse, necessarium est: si generatio est, motus in cælo haberi dissimiles oportet, ac quod consequens est, mobilia plura. Proinde sciendum, si per octauam sphaeram, quæ uerius firmamentum dicatur, locari celorum globos duos ab Christianis doctoribus, Strabo & Beda: & unum quidem empyreum uocant, idest igneum, uel intellectualem, gloriæ contemplationi aptum, & quietum. Nominis uerò rationem duci non ab ardore, sed ab splendoris exuberantia potius. Quod ipsum syderibus suis, hoc est angelis, sit insigne, proinde in lob legitur, Vbi tu eras, quum me laudarent astra matutina: Et hunc immobilem intelligit, quoniam si moueretur, eius motus per motum apparentis corporis deprehenderetur. Quum uerò Porphyrius

phyrius discerneret ab dæmonibus angelos, statuens in aere dæmonas, per loca empyreæ angelos, non utiq; cælum hoc intellexit, ut auctor est Thomas, sed sydereum potius globum, quem more Platonis igneum arbitrabatur, & ideo empyreum nuncupabat. Quod ideo dictum uelim, ne quis Porphyrii sententiam legens apud Augustinum decimo Ciuitatis diuinæ, incidat in errorem. Basilius, quod scitu dignum est, induxit empyrei cæli cõstitutionem, ne uideatur simpliciter deus opus suum à tenebris inchoasse, quod Manichæi calumniantes, deum Veteris testamenti, deum tenebrarum nominant. Sunt uero inter hæreticos Manichæi, ab Persa quodam appellatione ducta, cui nomen Manes, uel Manichæus, ut habent alij, qui duas introduxit naturas & substantias duas, bonam, & malam. At Gnostici itidem hæretici ab scientiæ magnitudine ita uidentur nuncupati, sicut Agnoita ab ignorantia, quod esse nouissimam horam Christo ignotam, opinentur. Chiliaftas appellarunt se nonnulli, propter illud ex sacra pagina, Vna dies apud dominum, ut mille anni, & mille anni, ut una dies: hosce miliarios interpretatur Augustinus. Sed ad rem. Orbem uero alterum crystallinum censent appellandum, atq; item aqueum, ex similitudine quam cum elemento habeat in diaphani ratione, nomen occupati. Post quem subsequatur firmamentum. Hinc est illud Hieronymi ad Oceanum: Inter cælum & terram medium extruitur firmamentum: & iuxta Hebraici sermonis etymologiam, cælum, id est samaim, ex aquis sortitur uocabulum: & aquæ, quæ super cælos sunt, in laudes dei separantur: unde & in Ezechiele propheta, Crystallum super Cherubim uidetur extensum: id est compactæ, & densiores aquæ. Illud uero singulari dignum obseruatione, ab sanctissimis proditum uiris: Triplicem uideri lucis substantiam, & esse primam utiq; cæli, quod firmamentum diximus, cuius beneficio & singulari uirtute plantis inferatur uegetatrix potentia. Sequentem uero crystallini esse cæli, præstantioris etiam potestatis, unde sit anima brutorum sensilis. Tertiam porro haberi eminentissimam empyrei cæli, à qua non sit quidam rationalis anima, cuius artificem solum agnoscimus deum, uerum animales uitaesq; spiritus, quibus uelut præcurrentibus, intellectus animæ tanquam proprio congruoq; domicilio excipitur. Aegyptiorum schola & Chaldæorum super octauum globum nihil agnoscit. Quorum scita Plato item, necnon Aristoteles, & Hipparchus amplexi sunt. Et, quod mirum uideri potest, Ptolemæus quoq; Apud eum quippe ne uerbum quidem ullum fieri comperies de sphaera nona, quam iuniores celestium rerum studiosi, aut deprehenderint, aut effinxerint: sicuti item alij, occasione hinc sumpta, decimam commentum sint. Hæc uero orbis noni sententia inde potissimum agnoscitur profluxisse, quod eius auctores opinati sunt, omnes qui octauam sphaeram ad orientem ab occasu moueri non inficientur, etiam nonam sphaeram necessariò admittere. Quod quum profiteatur Ptolemæus, dubiosum non sit illis, quin hic quoq; orbem eundem concedat. Parmenides cõmenticiū quiddam coronæ similitudine effecisse creditur, & *quod uel* appellans: continentem ardore lucis orbem, qui cingit cælum, quem deum dicit. Sed non prætereamus reconditum illud parte hac: Motum, per quem est formæ connectio & materiæ, spiritum quendam inter formam medium ferè ac materiam dici à quibusdam. Quem in aplane intelligunt profusum, & planetis ac terrenis rebus. Primum quidem Atropon nuncupant, uelut citra conuersionem: quoniam aplanem motu simplici ab ortu ad occasum moueri, coniectarunt. Secundum Clotho, id est conuersionem: quoniam planetæ aduersus aplanem ab occasu in orientem ferantur. Tertium Lachesis, id est sortem: quia terrenis rebus dominetur casus. Et motus quidem planetarum euolutio, est motus primi: at temporalium motus, & terrenorum euolutio, est planetarum motus. Porro in terrenis rebus latere quasdam euentuum causas produnt, uti in semine lateat seges. Propterea colliguntur item, quæ in mundi anima, uelut in globo agnoscuntur complicata, eiusmodi explicari motu, atq; extendi. Etenim sunt arbitrati, mentem, siue mundi animam, rerum in se exemplaria gestare, perq; motum eadem in materia explicare. Hunc autem motum esse in aplane, ac planetis, & terrenis rebus, quasi fatum descendens, & in substantia fati explicationem. Spiritum porro huiusmodi per omnia propansum, & diffusum, esse naturam interpretantur: quæ dicatur omnium complicatio, quæ per motum fiunt: uerum motus hic, siue spiritus, à spiritu profluat diuino, à quo per motum ipsum mouentur cuncta.

An qua

An quæ uisuntur, sint plane syderum corpora. Item an stellæ suo luceant lumine. Quid ætheris nomine intelligendum. Cur in planetis uarij cernantur colores. Cur luna maculosa. Asteriscus quid: diacodion: alteria: syderatio. Strichiomatici qui sint. Cap. xv



Vperest de stellis aliquid carptim quoq; cõscribere, ut mox ad alia transeamus. Occurrebat autem hac parte in Phædone Platonis opinio: Non esse quæ uideamus, syderum corpora, sed radiorum quasdam reflexiones in aere, similem syderi speciem referentes: sicut in profundo agentes pisces uideant in aquæ suprema facie non sydera, sed imagines syderum, & (ut sic dicam) radiosas umbras. Verum illud grauioris operæ ingerit sese amplius, luceant suo ac genuino stellæ lumine, an sicuti luna, id ab sole mutuentur. Mira siquidem inter auctores disceptatio est. Macrobius uir reconditissimæ scientiæ primo Rerum naturalium stellæ omnes suo propterea lucere lumine prodidit, quod supra solem locata in purissimo sint æthere, in quo quicquid est, lux naturalis sit, & sua. Lunā uero, quia infra solem sola sit, & caducorum iam regioni luce sua carenti proxima, lucem, nisi desuper posito sole, non habere. Deniq; quia mundi pars ima, terra est: ætheri autem ima pars, luna est: lunam quoq; terrā, sed ætherē dixerunt. Idem ferè Cleomedes approbasse uidetur, quum lunā scribat, corpus esse na cta cum aere permixtum, atq; tenebricosum, quia in puro æthere non uersatur, ut astra cætera. Aetheris autem appellatione, inquit ex Aristotele Apuleius, cælum ipsum, stellæq;, omnisq; sydereæ compago intelligitur, non (ut quidam putant) quod igneus sit, & incensus: sed quod cursibus rapidis semper rotetur. In Platonis Timæum Chalcidius: Summatem, inquit, locum ignis habet serenus, proximum ætherius, cuius corpus æque ignis est, sed crassior. Nicolaus uero theologus, ab solis luce illustrari stellæ scribit: & propterea secundo De anima, solem dici patrem uiuorum ac deorum, quoniam ab eo sydera, quæ antiqui deos putabant, sapientiæq; & æterna cæli in quilibet animalia, lucem mutuuntur. Idem & Metrodorus sensit apud Plutarchum. Succinere uidetur & Plinius, quum in laudibus solis, inquit, Hic suum lumen cæteris quoq; syderibus foenerat. Sed alibi ait, Supra lunā pura omnia, ac diurna lucis plena. Albertus secundo cæli, Aristotelis sententiā secutus, stellā quilibet eiusdem esse nature scribit, cuius sit corpus, in quo est. Ea uero est, inquit, essentia quinta, ab quatuor simplicibus corporibus, hoc est ab quatuor distincta elementis. At primo Astronomicon Manilius:

Ignis in æthereas uolucer se sustulit auras,

Summaq; complexus stellantis culmina cæli.

Flammaram uallo naturæ mœnia fecit.

Aristoteles ipse (si tamen Aristoteles est) de proprietatibus elementorum & planetarum, apertius perdocet: stellæ omnes ab sole illuminari, sicuti lunā. Cui astipulatur in libris compositionis magnæ Ptolemæus: quin & eiusdem interpres: sed & Auicenna. Albertus quoq; secundo Cæli: Cum illustribus, inquit, uiris stellam quamlibet astruimus ab sole illuminari: sed aliam plenius, aliam minus pro nature nobilitate: siquidem purissimas esse quasdam, manifestum est: proinde lumine excepto, perfunduntur protinus ab superficie soli aduersa usq; ad auersam, ut stellæ corpus integrum illustret omnino claritas, nihil ab calore degeneras intimo. Quod in Ioue uisimus, & pleriq; alijs. Ille uero ipse candor in ruborem uergeri incipit, sicuti in Marte, si ab corporis nobilitate quippiam fuerit declinatum. In quibusdam etiam pallefcit, ut in Venere. In Saturno obscurior est. At in lactei circuli stellis albescit. Luna uero, quæ terrestris est naturæ, ut docuit Aristoteles, non est adeo pura. quamobrem mutuatum ab sole lumen non quit admodum intima penetrare, quæ ratio illius reddit maculosam faciem. At fabulosus scriptor Diodorus, in Hyperboreorum insula lunam haud ita à terra distantem uideri, palam tradit, terrestribus uelut tumulis superciliosam. Orbis substantiam, ut nonnullis placet, esse à stellarum & solis substantia diuersam, illud esse argumento uidetur, quoniam splendore solis non illustratur, ut stellæ. Triplex igitur ibi substantia, orbis, stellarum, solis. Verum parte hac profum absurde fecero, si nobilem Hippocratis sententiā præteriero, cuius in libro De iudicijs, auctor mihi Albumasar est, Nisi noctu stellarum luce aeris crassitudo ac densitas rarefceret, dissecta animantia cuncta fuisset peritura. Illud ex grammatica

c fuerit

fuerit ratione, stellam signare plerumque claritatem, congruentiamque, quod asterisci comprobant appellatio. Id uero est stellæ signum, in angulis quatuor inter punctum, hoc modo ☼ Apponit consuevit, quæ optimè se habent in carmine, quæque cuiusdã stellæ imagine colluceant, quoniam apposite omnia & opportune promantur. Asteriscos item Græcis, sicut codia, est papaueris caput: unde insigne medicamentum uocari diacodion cepit, ac asteriace. Syderationem Firmicus appellat syderum in genitura coaptatione, quipiam inuentem euenturum. Hæc tamen (inquit) omnia, licet à malo signata fuerint talis syderationis influxu, beneuolarum stellarum ut plurimum testimonijs minuuntur. At quinto De causis, Theophrastus syderationem sphaelismum dicit. Verum de hoc alibi plura. Cælestes imagines, siue signa uocant astrologi, *ἀστρολογία*, unde *σοιχίωματι*, qui cælesti ratione imagunculas concinnant, euentu sæpe mirabili.

An planetæ afficiantur uaporibus terræ. Prius, qualis censetur in literis Ptolemæus. *ἐπιχρηστικὸν* quid. De trigono, quadrato, hexagono, diametro. Hæreticus  
Cap. xvi

**P**tolemæum astrologorum principem, & in mathematicis ingenij eminentissimum, incessere plerumque non desinunt, tanquam parum philosophiæ peritum, ut qui sæpe tot admittat errata, quot super re aliqua enuntiat uerba. Sed nos huius rei censuram ad alios reijcimus: & tanquam parum liqueat controuersia, amplius pronuntiamus. Interim placita eius uiri de planetis, siue dici erroneas debent, uti Nigidio placuit, apponã. De quibus is, ueluti ex elementis consistit, aut elementorum passionibus, ac inuicem calore, uel frigore se permulent, quin terræ quoque uaporibus afficiantur, ita scriptum reliquit: luna, inquit, humectior est: quoniam quum sit extrema celo, citima terris, illarum uicinia ascendens humoris concipit copiam. Saturni sydus frigidum est in primis, siccum uero modice: frigoris ratio est, quia sit ab sole remotius, ariditatem parit longius ab terra interuallum. Martem solis propinquitas torret, ac arefcere facit. Iouem temperatum reddit hinc Saturni frigus, illinc Martis incendium, præcipue tamē calefacere, quia Martis & solis incubat globis. Venus, ut luna, humecta est, quod & ipsa luminis copia terræ asciscat uapores, recipit tamen ex propinquo caloris uim. Mercurius semper soli adnexus arefaciendi potestatem inde comparat, humoris autem copiam, tum ab luna, tum ab terra. Hactenus ex primo *ἀστρολογικῶν* Ptolemæi. Quæ omnia, ut parum pensitate, immo per inscitiam maximam ab homine ex mandragora (quod dicitur) consopito pronuntiat, Peripatetici exhibebunt: inter quorum decreta illud est, Cælum ab hisce affectionibus esse penitus abiunctum. Sed nec ultra mensum stadiorum sexdecim, uapores surrigi, physica docet ratio: quo nomine altior deprehenditur luna, ut de Venere ac Mercurio taceam, tanto sublimioribus, quam ut illuc ex terra uapores posse pertingere, concipiamus. Adde, quod potentius multo in Venere solaris aget propinquitas, quam terrestris humectatio, tanto sequestrata interuallo, ut hac ratione nullo pacto intelligi possit humida. Illud uero nec relatu indignum, *ἐπιχρηστικὸν*, dici gradus, in quibus deprehendantur planetæ in zodiaco, cuius unaquæque pars in triginta distribuitur gradus, *μοίρας* uocant Græci: mox & mœra in sexaginta dirimitur portiones, quas *πρωτά* dicunt *λεπτά*, id est prima minuta: deinde & minutum primum in sexaginta *δευτέρα λεπτά*, id est secunda minuta. Mœram quoque Aratus zodiaci partem accipit duodecimam. *ἐπιχρηστικὸν* tamen inter equi instrumenta legisse uideor alicubi. Quin & cæli statum in thematibus, positumque syderum epochas dicunt eruditiores. Quia uero in planetarum ratione trigonum, & quadratum nuncupat Plinius: Sciendum, Diameter in celo nuncupari signum, ad aliud quod fuerit septimum, quæ maligna semper radiatio est, ac minax. Trigonum est à signo, à quo initiamus signum quintum. Nam ab ariete usque ad leonem trigonum est. Scire autem conuenit, dextrum appellari trigonum, quod ab eo signo à quo incipimus retro est: sinistrum uero, quod ante: utputa arietis dextrum est trigonum sagittarius, sinistrum uero leo. Quadratum est, ab eo signo à quo inchoamus, quod quartum fuerit signum: & in hoc dextrum intelligimus, & sinistrum, uti in trigono. Hexagona, idem sunt quod trigona, sed minoris potestatis: est autem ab eo signo, à quo sumptum initium est, tertium. Sed & in hoc dextrum concipere, ac sinistrum: uti supra, Triangulum recentiores triplicitatem uocant, Trigonocrator belle à non-

à nonnullis triangulator pronuntiat. Hæreticum planetam conditionarium intelligunt: siquidem quam Græci cælestium indagatores, hæresim dicunt, conditionem appellat Iulius Maternus.

Elementorum colores, saporisque. Item an planetæ colores habeant, unde colligi eorum possit natura. Elementa cur dicantur *σοιχία*. De Proteo scitur digna: item Idothea. Terra aphoratos quæ.  
Cap. xvii.

**T** quia cum astrorum peritis negotiari cœpimus, pergamus porro breuibus quædam illorum scita contexere: qui in philosophos aciem dirigentes, cœarguere illos enituntur, qui sanciant, Elementa nec coloris, neque item saporis partem habere ullam. Aqua uero ipsi colorem attribuunt album, saporem dulcem, terræ fuscum esse colorem, amarum saporem. Quod tamen elidunt alij, dulcem intelligendum potius astruentes: quoniam si amarum contendas, ex terra nil admodum egerminaturum sit. Ignis utique nullum confitentur esse saporem, cæterum rubro infici colore. Aeris apud eos nullus est color, nullus item sapor, multos tamen peregrinos aduentitiosque colores excipere. In commentatione tamen de coloribus scriptum comperias, aeris & aquæ naturam per se albam censeri: at ignem cum sole rubrum: terram quoque naturam esse albam, cineris argumento, qui albet, humido exusto. Lixiuum tamen rubere flammæ uel ac fumij, qui & aliquo modo cinerem inficit. At in planetis, etiam si exactissimi sint palati, nullos etiamnum sapores prægustando animaduertere ualuerunt. Varios tamen inesse colorum modos, non diffitentur, unde etiam natura queat indicari. In Saturno, inquit, præmonstrat fuscudo terrestrem proprietatem, & bili atræ congruam. Mars rubens igneæ qualitatis argumentum est, & rubræ bilis testimonium dicitur. Venere croceo & albo radiantem, tum calidam intelligunt tum humectam, & naturæ indicare temperamentum. In Ioue coniectant modo ferè eodem. Lunam albicantem, esse humiditatis indicium: quod uero insit nigricantis quippiam, frigoris signum habent. Mercurij non unam esse faciem, ut qui uirorem quandoque præferat, nunc fuscèdinem, nunc aliud quid, sapius tamen nigroris ostentare quiddam: prinde cum terrena siccitate analogum habere. Hæc dici quidem, sed præter omnem prorsus rationem, nō nesciunt, paulum modo philosophia imbuti. Nam prout elementa inuicem promixta fuerint, ita colorum enascitur uarietas: sed ea in celo esse permixtio nulla potest, propterea ibi esse colorem, planè inficiabitur Aristoteles: nisi quia lumen, color quidam est, quod tamen luminosi corporis naturam haudquaquam indicari. Quin, si maxime ibi ueros concesseris colores, ad examen syncerum in tanta spatij uastitate, non usquequaque sibi consimili, reuocari, excutique haudquaquam poterunt. Elementa uero prima fuisse in libro De philosophi historia Galenus scribit, ut à celo digrediamur parum, obscuram informemque substantiam, quam dicant nonnulli, *ἀποιον ὕλην*, Entelechiam alij nuncupent, ac *σφύσαι*, id est priuationem. Vocantur autem à Græcis *σοιχία*, uti interpretatur in nostris literis Ambrosius, quod inuicem conueniant, & concinant ambitu quodam, & concordia societatisque choro. Nam quum sit aridæ terra & frigentis naturæ, aquæ connectitur frigoris qualitate: aeri congruit aqua humoris ratione: sic, ut brachijs uelut duobus, frigentis ac humectæ uis, altero terram, aerem altero sibi cōsciscat. Rursum aer inter duo compugnantisque aquam, ignemque, mire utrunque conciliat, aquis humore connexus, igni autem calore. Porro ignis calens, arefcensque, hinc aeri, illinc terræ sese adoptat, inque naturæ illius participatum uenit. Non prætereundum uero quod Ponticus scribit Heraclitus, informem rerum materiam dici poetis Proteum symbolice, oportetque. Nam *πρωτὶς αὐτῶν γένετ' ἢ ὑγρῶν*, *ἀντάρ' ἐπειτὰ δροσικῶν καὶ πάροδ' αἰθρῆς, ἢ δὲ μέγας οὐρανὸν ἢ ἕρπον' ὕδωρ καὶ διφύθρον ὕψιπέτηλον*. Et leo quidem *ἑμπυρον ζωον* ætherem indicat planetam: terram draco, quia sit *ἀντίχθονος καὶ γηγενῆς*: arbor omnia quæ ex terra augetur. Idotheam uero Protei filiam dici, prouidentiam arbitratur *ἑδωλοπλάσασα ἑκάστα*. In insula Pharo traditur fuisse Proteus, quia *φάρσα* signat *ἰσθμὸν*: nam & terram *ἀφωρωτρῶν*, strepitem accipit Callimachus.

Planetarum potestas maior sit, an fixarum stellarum, Quæ in utrisque nominum, & in motu diuersitatis ratio. Chaldaeorum placita de planetis. Item dijs cōsiliarijs. Hesperides quæ sint. Planetæ pisces: item in re militari. Sol & Iu-

na an inter planetas. De planetis quoq; plura. An caelum initialis sit generat-  
tionis causa. Caput XV III

**S**tudioſi porro caeleſtium rerum, praſcientiam futurorum ex natura poſituſq; ſyderum pro uiribus conſarcinantes, dum in diſquiſitione uocant quodam modo fixas ſtellas & planetas, non ſatis ſibi conſtare animaduertuntur, nunc enim ſtellis non errantibus uim aſcribunt ceteris eminentiorem, nunc autem ediuerſo. Et plurimum quidẽ comũne felicitate pro naſcentis modo meſuraq; ab proſpiciore planetarum ſtatu contriui ſanciunt: ab fixis uero *πρωτοδοξον* quandam *ἀτυχίαν*, hoc eſt incomparabilem, & extra quam opinetur aliquis, fortunæ benignitatem. Quæ ſententia uel Ptolemæo auctore comprobatur. Alij omnino planetas ui eſſe, ctuſq; præpotentiores oſtendere conantur, tum Procli ſententia, tum rationibus id euidenter monſtrantibus, accedente item ueterum teſtimonio, qui planetas *κοσμοκράτορας* dicebant, uelut quosdam mundi principes intelligerent. Quo autem diſcerniculo certiore iſta teneant bonarum literarum ſtudioſi: Aſtra, inquit ſecundo Cæli Ariſtoteles, nequeunt per ſe & proprijs moueri motibus, aut locum mutare: ſed orbi inſiguntur, uelut in tabula nodus. Ita q; orbis motu feruntur, cui inhaerent. Hæc ſcribit Algazel diſſertationis tertiæ ambiguitate uiceſima ſexta, ni erratum in numeris eſt, duodecies mille, ducenta uiginti duo ferẽ cenſeri. Cæterum planetas deprehenſum eſt, diuerſo ferri in ceſſu, ac tum uelocitate, tum tarditate plurimum diſcrepante, atq; ſitu etiam. Quosdam namq; exortum petere, in occaſum alios remeare: porro in aſtruũ deiſci hos, in ſeptentrionem protolli aliquos: ideo q; ex motus inæqualitate nomen quoq; indeptos. Ex qua item certius coniectatum, orbibus eos diſtinctis ferri. Fixas uero globi octauũ ſtellas dicimus, non quod non moueantur, nam duplici ſaltem circumagi motu, animaduerſum iunioribus eſt: quibus & globus in quo ſunt, motibus rotatur: altero ab ortu in occaſum, reliquo ab occaſu in exortum ſuper zodiaci polis: tantæ tamen tarditatis, uix ut percipi uel annis centum queat. Nec item fixas dixeris, quod orbis modo circumferantur ambitu, nam eſt hoc illis commune cum planetis, quod ſecundo cæli (ut dixi) aſtruitur: ſed ita dicuntur, quia eandem perpetuo ſeruant figuram, ſitum, propinquitatẽ, diſtantiam. Diuerſitas planetarum in motu, dum uel propiores nobis fiunt, uel remotiores, cauſa eſt (ſicuti Philoſopho complacitum eſt) præpotens, ut uarij producantur effectus. Vniſormis autẽ & conſtans motus mobilis primi id agit, ut diuerſitas hoc genus perpetua ſit, ac uniformi pergat periodo. Ego porro in literis inuenio, Chaldeos cæli ſcrutatores eximios cenſuiſſe, Planetas quandoq; dici *ἐγμωυς*, hoc eſt interpretes, quoniam ex alijs aſtris quæ tum minime errant, tum certum ſeruant & ſtatutum meatum: ſola hæc in ceſſu proprio ſuoq; nitentia res futuras inſignitius oſtendant, ac ueluti deorum mentem interpretentur. Eſſe autem hoſce, Saturnũ, Martem, Venerem, Mercurium, Iouem. Mox ſub horum curſum eadem Chaldæorum obſeruatio ſydera conſtituit triginta, quos eſſe dicit conſiliarios deos: quorum quindecim ea tueantur loca, quæ noſtro continentur hemiſphærio: reliqui, res ſimul humanas, & quæ in cælo ſunt. Deos autem quibus uis principatusq; ſit, duodecim numero eſſe dicunt, quorum ſingulis ſingulos attribuant meſes: per hos autem, quorum ex animalibus nomenclatura eſt, meare ſolem ac lunam, & quinque errantia ſydera. Poſt zodiacum, ſtellas quatuor & uiginti numerant: ex quibus duodecim ad meridiem locatas tradunt. Et harum quæ apparent, duodecim uiuis aſcribunt: reliquas quæ non uiſantur, mortuis. Has præterea rerum uniuerſarum iudices appellant. Obſeruatũ id quoq; in Græcorum monumentis, Aegyptios appellaiſſe quidem zodiaci ſigna, *θεοὶ θελαίος*, id eſt conſiliarios deos: planetas uero *ῥαβδοφόρους*, ueluti ſceptrigeros quosdam intelligi uoluerint. Vbi uero poetarum princeps, deorum cuiq; ab Vulcano ſubſtructam domum canit, intelligendas planetarum domos interpretantur eruditi, quas induxerint recẽtiores, in quibusq; illos *οἰκοκράτορας*, id eſt dominari aſtruant, ueluti nouitio inuenito anſam uetuiſſimum poetarum præbuerit. Illud ex doctorum calculo, præter quæ diximus, adijciendum: falſo uideri errantes dici, quando errare poteſt nihil, quod in omni perpetuitate progreſſus conſeruat & reſreſſus, reliquosq; motus conſtantes & ratos. Eriam ſi apud Hippocratem planetæ uocantur piſces, & cy-matopleges ſaxatilibus diuerſi, tanquam erroneſ ac fluctuagi. Dignum relatu, quod Græci

Græci explicant interpretes, Hesperidas *λιγυφώνος*, id eſt canoras, aſtra ſignare, uelut *ἡ ἀσπὴρα φαινόμενα, καὶ οἱ οὐρανὸν ἡγνῶμενα*, id eſt ueſperi uiſitationẽ facientia, ac uelut naſcentia. Sunt qui nocturnas horas Hesperidum nomine malint intelligere, mala uero aurea ſtellas ipſas. Dicit uero *λιγυφώνος*, quia enharmonius ſefe inde promat ſonus, quoniam probabile non fiat, dum agitentur, minima quidem inſonare corpora, maxima uero & præſtatiffima, cuius proriſum modi caeleſtia ſunt, tacita omnino rapi uertigine. Muſicam uero indidem ſuauiſſimam edi ſimile ueri habet *ἁρμονικῶν* tertio Ptolemæus. Sed & alijs, de quib; mox paulo. Nos autem præterit ea, quod auditus noſter eius non uideatur capax. Illud porro non habendum inſuper, Solem lunamq; in errantium albo non cenſeri Ptolemæo, ac Theoni, ut Chaldæis: quam hæreſin ſequatur Plinius quandoq;. Sed nec inter cælo hærentes recenſueris, quod inuicem interualla non ſeruent, neq; item figuras. Inter errantes uero non ſunt, inquit Theon, quia ſtationes non faciant, nec recurrant quidem. In planetaria quoq; poteſtate ab eminentiffimis proditũ auctoriſtus eſt, ubi ſe mortalium corporibus diuinæ mentis ſpiritus inſudat, eorundem formam pro curſu ratione ab luna conſoueri. Quando ad eius luminis aucta, uel damna corporibus afficimur, in creſcentibus præſertim medullis augeteſcente luna, rurſumq; lumine deſtituta, tenuati corporis fatigatione elanguſcentibus. Singulis porro planetarum ab priſcis ingenijs metallorum dicantur ſingula, uelut ſoli quidem aurum, luna argentum, Marti ferrum, Saturno plumbum, Ioui electrum, Mercurio ſtannum, Veneri çs. Chronocratorem dicunt Græci temporum dominum: eorum autem initium in diurnis genituris ſol accipit, ac cæteris diuidit: in nocturnis luna. Quum itaq; ſol temporum dominus fuerit, annos decem, principatum obtinet, meſes nouem. Modo eodem & luna quum temporis domina fuerit, annos tenebit decem, meſes nouem. Vitæ datorem intelligunt *οἰκοκράτορας*, & genituræ dominum, cuius & paulo ante commemorauimus. Hunc uero eſſe tradunt eruditiores, cuiuſcunq; ſignum poſt natum hominem luna, relicto ſigno, in quo eſt, fuerit ingreſſa: etenim ſi quis prima natalis hora lunam in ariete habuerit, quia poſt arietem ad taurum ſecundo loco tranſitum facit, Venus genituræ dominum poſſi debet, eo quod taurus Veneris ſignum eſt. Id quod in cæteris conſimiliter intelligendum. Ex grammatica penu id nec prætereundũ: planetas item dici Græcis in re militari hac illac temere abeuntes: quos quandoq; *λεπτοτάτους*, id eſt deſertoris affectos pœna inter legendum ſubnotauimus. Nam Heraclius imperator *λεπτοτάτους ποιῶντας οὐδὲ πάλῃ πῦρ ἐξωμῆκεν ἁπὸ τοῦ πύλου, καὶ οἱ ὅσοι ἐπὶ τῷ πύλῳ χεῖρας ἀπὸντο, τῶν δὲ πύλου ἀπὸ τοῦ πύλου ἐκείνου ἐπὶ τοῦ πύλου, βασιλεὺς ὡς ἐπὶ τοῦ πύλου μετέγονε*. Planeten porro *ἀντι ξένου*, id eſt pro hoſpiti poſitum quandoq; inuenias. Planen uero, id eſt *πῶλον*, dicunt *πῶλον πῶλον ἀπὸ τοῦ πύλου*, id eſt ab propoſito, & ſcopo fruſtrationem.

Mundum, ſphæras, ſtellas ſentire, ac preces exaudire. Sphæram maximam eſſe mundi oculum. Terram item anima, & ſenſu præditam, ex Platonico-rum doctrina. Origenis placita de ſtellarũ animis. Quas intelligi oporteat Neptuni ſtellas, uel Iouis. Cælorum concentus. Mundus an finitus. Græcorum in motu terræ ſuperſtitio. Cap. XIX

**L**ibet parte hac cum Platoniciſ conſabulari: in quorum ſacrarijs quum alia ple-raq; non abſque admiratione ſæpius lectitamus, tum id quod ſubnotabo ſtatim, Mundum quum ſit animatus, ſentire, ac per ampliffimam ſphæram præcipue, ueluti per oculum intus omnia cõtueri: nam ſi nos per oculũ noſtrum, quoniam ſit animatus, & diaphanus, & lucidus, multa perſpicimus, & radio etiãnum in ſublime ſurrecto, caeleſtia apprehendimus: Cur non, inquit, mundi caeleſtis oculus, uiuus, perſpicuus, lucidus, radiosq; ſuos in omnia propagans, itidem ſenſibilium concipiat modum: Amplius mundi globos, ſtellas ſenſu item non carere, aſſerunt conſtantiffime: quoniã, ut Plotinus aſtruit, uota cognoscant noſtra, exaudiant quoq;. Cæleſtibus in- eſt quidem uiſus, ſpecie tamen ab noſtro diuerſus, uerum in eo non diuerſus, quia uiuit, perſpicuus item eſt atq; lucidus. Auditũ item prædita ſunt, ſed noſtro diſſimili. Inter omnia, quæ ambitu cæli luſa cõtinentur, uiget communio quædam, & ueluti nexus: cuius quinque uidentur rationes. Prima eſt, omnium materia una: inde, qualitatum eoncõrdia: mox, ſpiritus ubiq; unus: nam ſicuti cælum unus eſt ſpiritus in excellis, pariter in tra cæ- lum

lum unus itidem spiritus, uel caelestis omnino, uel caelo simillimus, omnibus est infusus, nostro consimilis. Quartum habet locum natura genitalis una, fouens omnia per spiritum mutuo copulata. Quintum postremo mundi anima, omnibus connexa. Sed cur non & terram, inquit Plotinus, sentire dicamus? Obstat uero nihil, terram esse sensu praeditam, ut humana commodius rectiusque dispenset, quae eius sunt muneris. Certe nil admodum impedimento esse potest, quin preces audiat aduataque, nec tamen ea qua solemus ipsi, ratione. Neque enim cuncta animantia sensorijs sunt eisdem communita, nam & quaedam aures habere non nouimus, nouimus autem sonos ab ijs concipi. Omnino sciendum, Terrae animam non censerit abiectioni cuiuspiam esse corporis animam, proindeque intelligere, atque insuper esse deam. Caeterum in hoc eminentissimarum rerum tractatu, quoniam pacto doctissimi Origenis placita praetereamus? Putare namque se primo *πρῶτον ἀρχὴν* scribit, Caelestia prorsum corpora esse animata, quoniam ab deo mandata dicuntur accipere, quod rationali tantum naturae contingere, consentaneum est. Scriptum enim legitur, Mandatum ego stellis iniunxi omnibus. At quoniam sunt, inquit, mandata haec nempe ut astrorum singula suo ordine, suisque meatibus indulta sibi quantitatis mundo splendorem praebant. Qua in re id omnino colligi uidetur liquidum, Corporum illorum motum absque animae functione posse haudquaquam effici. Nec rursus citra motum futura unquam, quae animantia sint. In tanta uero ordinis ac motus ratione atque constantia, nonne stolidissimum fuerit, rationis auferre potestatem? Apud Hieremiam sane, regina item caeli luna memoratur. Quinimmo ab peccati labe non seungi stellas omnino, consensisse aduertitur Iob. Ita enim scribitur, Stellae quoque in conspectu eius, mundae non sunt. Id quod ad corporis fulgorem non utique referri potest. Verum haec ille uiderit. Ex theologorum museo sunt qui astruant, etiam si cunctanter, Stellae, sicuti caelorum quoque globos, suapte uel, hoc est substantiae suae natura moueri, uelut elementa. Non ignorandum & illud, ueteribus Neptuni stellas dici consueisse, quibus hyems indicaretur, uel feritas: Iouis autem, quae agricolationi conferentia praemonstraret; ex quo eleganter Aratus,

*οἱ τε ποσειδάωνος ὀφθαλμοί, ἢ διὸς αὐτοῦ ἄσπερος, ἀνδρῶπιον τῆς γῆς ἀμείνοσι.*

At multo id grauius, mundum necessario esse finitum; nam omne quod duabus clauditur extremitatibus, finitum est: rursus, cui extremitas una est, necessario adest item secunda. Caeste autem corpus medio non carere, in cuius ambitu uertigine rapiatur asidua super polis duobus, palam est: quod propter Plinij caput primum libens attexui. Sphaerarum autem rotatam uertiginem, quum ambiens ac circumiectus aether motibus seindatur diuersis, iucundum, qualemque exactior perficit musica, inenarrabili suauitate sonum adere, interuallis iunctum imparibus, sed pro rata partium ratione distinctum, Pythagoricis & Platoni praecipue proditum est, approbauit Boethius quoque: irrigit cum Aristotele in Hexaemero magnus Basilus. Quod uero de terra multum, ac diu, facta nobis uerba sunt, ad rem forsan & illud spectant, ubi terram mouisse foret nunciatum, Graecis fuisse antiquissimi moris, conclamare uasa, ceu ingruens malum inde coniectantibus.

Dignitas caeli ex historia, item ex physicis rationibus. In caelo esse Trinitatis mysterium. Cur dicatur *ἕρως*. Si staret caelum, nihil moueretur. Si calor caelestis deficiat, nullibi erit calor uel frigus. Creatis omnibus inesse Trinitatis uestigium.

Cap. XXI

**C**Aeli dignitatem eximiam, uel inenarrabilem potius, contemplanti mihi subit quandoque: quod de Arabibus scriptum reliquit Arrianus, coli ab illis duos modum deos, caelum, & Liberum patrem: ac caelum quidem, quia cernatur, & syderum collucentibus oculis praecellenter contextum, solem praeferat utilitatis immensa auctorem incomparabilem. Neque item excidit quod de Anaxagora philosopho proditum scimus, qui interrogatus, Curnam se natum arbitraretur: respondit, Caeli ac solis uidendi causa. Quam quidem uocem ab philosophis summa exceptam admiratione, risu prosequitur Laetantius, putans, nescientem quid responderet, in hac prorupisse. Ego uero, ni me quid secretius fallit, facile contenderim, non temere id omnino effusum: sed ut ab sapientiae studio, pensiculate admodum & excusse. Nam qui exactius pensitarit rem totam, comperiet liquidum, caelestem claritatem adeo praecellere naturae

turae quadam praesigni maiestate, ut in perenni ac uitali luce illa augustissimum diuinitatis mysterium sit facile deprehensurum. Siquidem uertiginosus ille motus ampliolem nobis indicat potestatem, lux nitidissima sapientiam, calor suauissimus amorem. Quibus ab principe rerum deo mouentur, illustrantur, perficiuntur omnia atque seruantur, primo, inquam, inter separatas atque spirituales formas, sicut inter corpora longe clarissimo caelum principatu censetur. Extra haec, qui plura in clarissimo putat globo requirenda, is plane quae sit corporea natura perfectio, parum perspexisse deprehenditur. Quicquid alia partiaro ac diuisim possident, in unum id est amplissime congestum. Sine hoc nec inferius generabitur quippiam, nec genitum suas exercebit operationes. Et quidem sicuti intimus, & uitalis noster calor corpora confouet ac seruat, eiusque fomente quae agunt in nos, non frustra agunt: ita si non addit caelestis ille calor, corporum uirtus omnis, praesertimque ille ipse tam uitalis tamque familiaris nobis calor, proflicus depereat necesse est. Caelum utique naturale corpus est, omnium corporum naturalium perfectissimum. Corpus naturale tam motus, quam sensilis qualitas consequuntur: perfectissimo igitur corporum naturalium perfectissimus quoque motus, & sensilium perfectissima congruunt. Nullus motus perfectior orbiculari, nulla qualitas sensu perceptibilis luce perfectior: quare haec caelestis corporis propria sunt, necesse est. Quoniam uero perfectissimum corpus est, comparem quoque locum, id est supremum habere, ex rerum dignitate consequens fuit. Propterea Apuleius cum Chalcidio dici *ἕρως* Graece interpretatur, quia sit altitudinis finis: & uti in Deorum natura scribit Phurnutus, *ἕρως ἂν ἂν πάντων, καὶ ἐκείνων τῶν φύσιν*: aut ab *ὀρέγαν*, quod est *φυλάττειν τὰ πάντα*, quia cuncta seruet custodiatque. In libro De mundo scribit Aristoteles, siue is fuerit Theophrastus, Vranon dici, quoniam supra *ἕρα*, id est montes, existat. Etiam si in Hexaemero Ambrosius sic appellatum opinetur, quia sit uisui peruius. Scitum illud Aristotelis est ex libro octauo auscultationis physicae, Motum primi caeli uitam esse omnibus, quandoquidem euidentissima est & communis operatio uitae intimus motus. Cessante autem caelo, nec caetera mouebuntur. Sicut in minore item mundo, si cesset motus cordis, omnes animalis motus perire necesse est. Nec lapis itaque deorsum moueretur, neque ascenderet ignis, quod mirum utique est, sed uerum rationibus ostenditur, si motus quiesceret primus. Est autem quod primum in uno quoque genere, causa reliquorum quae sub ea continentur serie, licet non omnia eandem causam habeant rationem. Porro quod de motu astruimus, patet in caloris item ratione. Nam si caelestis intereat calor, nec ab frigore profluet frigiditas nec ab caliditate calor. Siquidem non est frigori contrarius calor ille sydereus, sicuti calor igneus: sed omnes continet elementares qualitates eminentia simplici, sicut lux omnes colores. Quae uniuersa discretissime colligit Picus Minadula, uir omnifariam doctissimus. Verum quia de Trinitatis uestigio in caelestibus facta mentio est, amplius sciendum, quod equidem memoratu non indignum est: In omnibus creatis extare trinitatis uestigium, quod sexto De trinitate comprobatur Augustinus. Quippe in uno quoque est, quod ad diuinas referri personas, ceu ad causam, necesse est. Inest siquidem substantia, nec non forma speciesque, item ordo. Et patrem utique indicat substantia: uerbum autem forma, ut quae ex artificis conceptione proueniat: spiritum item sanctum nobis ordo praefert, quoniam amor est, ac ordo effectus ad aliud quippiam ex creatis profluit uoluntate. Ad haec porro tria reuocantur illa, numerus, mensura, & pondus: de quibus mentio fit Sapientiae undecimo. Namque substantiam indicat mensura, speciem numerus, ordinem denique pondus. Haec item ab Augustino significantur in libro Quaestionum octogintatium, ubi ait: Quod constat, quod discernitur, quod congruit: constat enim aliquid per substantiam, per formam discernitur, congruit per ordinem.

Mundi colores tres. An sint in caelo colores ex Peripatetica schola. An ite calor. In quota signorum parte contingant dierum mutationes. Astra unde dicantur. Caelum quot modis dicatur.

Cap. XXI

**S**Vnt ex Platonicis non ignobiles, qui tres esse uniuersales praecipuosque mundi colores arbitrentur, uiridem, aureum, saphyrinum, tribus caeli Gratius dedicatos. Et uiridem utique Veneris esse uolunt, atque item lunae: aureum solis, ab Ioue tamen, Venereque non alienum: saphyrinum uero Ioui maxime accom-

modatum prædicant, cui & saphyrus dicatur consecratus. Hinc formulam mundi compingentibus præcipiunt, expedire ad Gratiarum caelestium munera capeffenda tris potissimum hos contueri colores frequentissime. Atq; saphyrinum quidem mundi sphaeris inferere: aurea uero sphaeris ad ipsam caeli similitudinem addere sydera. Ipsam porro Vestam siue Cererem, id est terram uiridi prorsum excolere indumento. Quamquam in planetarum mentione paulo ante, non esse in caelestibus colorem ullum astruere, uisi abunde sumus, nec grauabimur Peripateticorum fusius hic argumeta explicare, ne quis ipsum hunc, cuius modo commemoramus, oculis deceptus saphyrinum esse caeli putet colore, quamuis *ἰσχυροχρόμαστα* Græcis uocare mos sit, quæ caelesti colore tincta cõuissimus. Cælum igitur, inquit, coloratum non est, quia cõsurgat ex elementorum qualitatibus color. Cælum autem nec elementum est, neq; item ex elementis compactum; non elementum quidem, quoniam sit elementum proprium, habere in se cõtrarietatem, agereq; in contrarium; si ei cõiungatur, id ipsum corrumpendo: si peruincat, speciem quoq; suam in materia generando. Proinde, si cælum esset elementum: quæ elementa omnia se ad cælum habeat, sicuti ad uniuersam terræ molē punctus: diu iam deperissent uniuersa, essentq; omnia cælum, quod non sit. Itidē non esse ex elementis cõcinnatum, asseueramus, inquit. Nā quod huiusmodi est, minus est suis elementis, ex quibus consurgit, connectiturq;. At maius est elementis omnibus cælum: igitur non ex elementis. Argumentantur item ratione motus qui in elementis rectus est. Nam uel ad imum feruntur, uel euolant hinc ad superna, Sed cælum eiusmodi motum nescit: uerum conuertitur assidue in ambitum: igitur consecutio manifesta. Addunt porro illud quoq;, non esse ibi elementarias qualitates, caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humectandi uim, & propterea non consensere. Quod si dicat aliquis, solem dici utiq; calidum, & lunam humectam, Saturnum frigidum, respondet, ex effectibus prodijisse nomenclaturam hanc. Quamobrem Aristotelem scribere in libro De elementorum proprietatibus: ubi planetæ coierint in piscium signum, contingere mox, ut aquis diluantur omnia. Quod si in geminis fiat coitus is: futuram uniuersi conflagrationem. Sed ijs addunt patrum nostrorum scita diuinæ uoluntatis iudicium: quod tam fallere, quam falli nescit. Quod uero ad calorem attinet, ut de alijs interrim taceam, non omnes idem sentiunt. Platonici cælum esse igneum fatentur omnes, & lucere quidem proprie, sed & consecutione quadam calere, sed non urere. Calor certe lucis proprietas quædam uidetur, sicuti est lux caeli qualitas propria. Cæterum super hac re fusius alibi. At prius quam inde digrediamur, illa uelut corollaria adiecero, Miram fuisse ueteribus uarietatem, in quibus signorum partibus contingant dierum mutationes. Hanc uero M. Manilij carminibus exprimemus, potissimum ex Astronomico tertio:

Has quidam uires octaua in parte reponunt:

Sunt quibus esse placet decimas: nec defuit auctor

Qui primæ momenta daret, frenosq; dierum.

Cælum ex poetis nonnulli Acmonis, id est *ἄκμωνος*, filium tradidere: circumlatæ uertiginis *ἄκμωνος* innuentes, uel quia sit corruptionis nescium. Nam functos fato *λεκμῶνας* pronunciamus. Astra uero ex lationis, ac motus assiduitate dici coniectant, uelut *ἀστῆρα, ἰσχυρὸν ποτὲ ἰσχυρόν, ἀλλ' ἀπὸ λυγρόν*. Proditum quoq; à memorabilibus est auctoribus, Multos persuasum habere, longo aui situ caeli qualitatem mutari & statum. Quin credidit Hipparchus quoq; futurum quandoq;, ut mundi cardines emouerentur loco. Quod inter nostros approbauerat agricolationis auctor Salserna, & ab Columella relatum scio: Cælum deniq; uno modo substantiam dicimus extremæ circulationis, aut naturale corpus, quod in extrema est totius circumferentia, & in quo diuina omnia locata credimus. Alio modo dicitur cælum extremæ circumferentiæ cõtinuum corpus, in quo sol & luna, hæc nãq; in caelo esse prædicamus. Tertio modo uocatur cælum, ab circumferentiâ extrema contentum corpus: propterea ubi unum esse cælum, pronunciat, de mundo intelligendum.

Regio apud Platonem terrestri paradiso assimilis. Item ubi sit paradysus is.

Paradysus quid. Arriani historia ad id mirabiliter faciēs. De habitatione sub æquinoctiali. Item an ibi sit mare. Antiscij qui. De hemispherijs duobus non ingrata

Ingrata. Item de Olympi uertice.

Cap. xxii

**M**Vndi rationes quidem omnes, quas lectione uaria auspici sumus, in unum hunc locum, ueluti in molem unam corporis cõgerere, non fuit consilij, neq; item operis instituti, in quo congestitiam quandã rerum dignarum cura syluam pollicemur, potius quam naturæ ordinem. Ita subnotantur omnia fere, ueluti inter legendum sese obtulere, nisi quatenus libro hoc, qui omnium prodibit primus, & deinceps aliquamdiu, delectum quendam habuimus, ut sic auspicio prosperiore reliqua impetu quodã miscello consequerentur. In quibus pleraq; recognoscentur hunc ipsum respectantia locum. Interim ingerit sese mihi Plato sua illa philosophi, aut theologi potius maiestate uenerabili, atque aurem peruellens: in Phædone suo ait se quiddam mandasse literis, quod huic loco congruat uel maxime. Esse uidelicet terrarum regionem quandam prominentem, adeo ut imbres nesciat, neq; item flaminum ullos perferat imperus. Summa, præsignisq; sit aeris temperies, proindeq; inibi perfectissima queq; uberius enascantur, nec desit exactissimum genus hominum, quorum æuum sit longe nostro diuturnius. Eorum corpora sunt qui opinentur, ex æthere plurimum compacta, & aere, aqua, & terræ utiq; habere minimum, nec non compari fructuum modo uesci, atq; alia: adeo uti more Pelia: uelut recocti, iuuenili gaudeant flore perpetuo. Hæc eo ex scripsi libentius, quod non ita magnam cum deliciarum orto in sanctis literis celebrato diuersitate habent, ut intelligamus uere dici, ac prædicari, Platonem demutatis paucis fore Christianum. Sed occurrit hac parte aliud, nec minus admiratione dignum. Legimus Geseos caput tertium, in quo excusso Adam ab delicijs ob peccati atrocitatem scribit Moyse, collocatum à deo ante paradysum uoluptatis Cherubin, & flammeum gladium atq; uersatilem ad custodiendã uiam ligni uitæ. Vbi astruit interpres, esse qui opinentur, paradysum hunc uideri sub æquinoctiali circulo situm: abs quo decussari cælum, ac terram nouimus: proindeq; flammei gladij nomine zonam reddi torridam, quæ propter solis conuersiones uersatilis nuncupetur. Quæ uero ad hoc maxime pertinentia, aut certe mira, & relatu digna in primis, obseruauimus, ab nullo (quod equidem sciam) antehac animaduersa, pergam in literas promerere: ut si nil aliud, utique sint post difficultates auocamenta, quibus lassescens forsitan lectoris animus relaxetur molliaturq;. Arrianus inter Græcos historicos tantæ est in scribendo integritatis, ut *Ἐλαχιστὸς*, id est ueritatis consecrator, studiosusq; sit uulgò cognominatus, atque ita etiamnum honestetur in libris. Hic in parte postrema Indici commentarij, ueluti ipse quoque Moyse succineret, ita scribit: Hanno Carthaginiensis prouectus classe ab columnis Herculeis in Oceanum, relicta ad læuam Libya, diebus triginta enauigauit occidua petens, mox ubi in meridiem diuertisset, plurima sese illi obiecere impedimenta. nam præter ardores feruidi syderis, ut in perulsa regione mundi, aqua potabili deficiebatur: audiebatur porro creber de caelo fragor, interim late promicantia in sublimi fulgura oculos perfringebant. Visebanturq; ueluti flammæ riuus à caelo præcipitantes, quamquam Cyrene ad extrema Libya in tanta camporum uastitate herbis nuda non sit, neq; item aquarum inops. Quid, quod Auicenna tanquam Platonem, Moysemq; interpretaretur, primo canonis in cæleon, id est temperaturarum ratione, temperatiorem sub æquinoctiali, comodioremq; esse scribit habitationem, quam sit usquam terrarum. Quod Eratosthenem quoq; & Polybium sensisse, Straboni credimus. Nec ignoro tamen quæ sit in eare inter doctissimos disceptatio. Et Damascenus scribit in paradiso fuisse regionem diuinã, & prorsus eo dignam, qui dei opificis gestaret imaginem. Illud animaduertendū quod & Thomas adnotauit, & Conciliator non omisit differentia sexagesima septima. Quosdam tradidisse, Paradysum hunc uideri situm in oriente, quæ portio mundi nobilior est, quia dextra sicuti secundo Cæli cõprobat Aristoteles. Sed eum tamen locum itidem sub æquinoctiali Conciliator intelligit. Et rei ambiguitatem reteggit in primis idem beatus Thomas articuli secundi in fine, quæstionis eiusdem. Quicquid autem sit, credendum (inquit) paradysum in loco constitutum temperatissimo, siue is sub æquinoctiali sit, seu alibi. Quid, quod in libro Hebraicarum traditionum in Genesim, scribit Hieronymus, Prius quam cælum & terram faceret deus, paradysum ante condidisse. Nam in Hebræo legitur, Plantauerat autem deus paradysum in Eden à principio: signat uero Eden



Eden delicias. Pro quo Symmachus transtulit paradysum florentem. *παράδεισος* Græc hortum intelligunt: sed primo *αὐαδωσεν* Xenophon, prope Celænas Cyri fuisse regiam scribit, & agrestibus feris differtum paradysum. Obiter illud hac in parte subnotarim, ab erudito (quod aiunt) puluere nō ita disparatum, Macrobiū secundo Naturalium, Oceani legitimum, ueroremq; alueum sub perusta collocasse, abs quo profluentes sinus, qui ambitu suæ flexionis orizontem imitentur, omnem aut terrā quadrifidā diuidere, & habitationes singulas efficere insulas: ac propterea Ciceronem scripsisse, Omnem quæ incolatur à nobis terram, esse paruam quandā insulā. Quod ipsum Eratosthenes, Polybius, & Strabo quoq; approbasse uidentur. Sed hos Ptolemæi ratio refellit, & meminit Cōciliator. Quod de sublimi terrarum parte pluuijs inconcussa scribit. Plato, id ipsum & de Olympi uertice antiquioribus proditum, & repetit Eustathius. Sed liquidius in Odyssæa Homerus quoq; etiam si recētorum obseruatio secus deprehendisse uideatur, elusā ueterum ingeniorum sedulitate in pensilandis naturæ arcanis, & (quod dicitur) corniculo oculis confossis: Apud Meroen Aethiopiæ partem, æquinoctiali proximam circulo illud dicitur euenire, ut per nonaginta dies umbræ nostræ in contrarium cadant, unde Antiscios eius incolæ tractus nuncupant. Nec illud ignorandum, ab rerum peritis duo statui hemisphæria, ab æquinoctiali unum ad Septentrionē, ab eodem æquinoctiali alterum in meridiem. Quorum permeet quidem utrunq; sol, uerum dispari ratione, etiā si sectionis utriusq; signorum haud dissulter numerus: nam solstitiale obit diebus centis octogintaquinque, adnexo diei noctisq; quadrante: quod uerò brumale est, centum modo & octoginta diebus absoluitur. Quod eo fieri argumento periuincitur, quoniam orbis solis eccentricon statuunt terram cælestium non incuriosi.

CAMILLI RHIDERII RHODIGINI IN ANTIQVARVM  
lectionum libros Lodouici Cælij patris ad reuerendissimum episcopum  
Phil: Rouerellam Præfatio secunda.



**S**olebant qui apud antiquissimos Parthorum reges, gratiorem gratiam aucupabatur, nō nisi aliquo suffulti munere, eorū atria spatari, rem quidem et si Barbaricæ initiaturæ, ad nostrorū tamē temporum præsentiam nō illaudabiliter delapsam: ut quæ de selectiori benignioris frontis animo, submissa interioris suæ mentis deiectione, uadimonium aucuparetur: quo ductus impulsus, ad te reuerendissime præsul accessurus, diu multumq; dubitauit, quo præuio munusculo te ueneratus obseruarem: qua defatigatus mentis ambitione uaria peragratus, in Lodouici Cælij mihi olim patris meritis similiboriosissimas Antiquarum lectionum lucubrationes incidit, opus et si ab ipso antea æditum, nouissime tamen ab ipso tanta castigatione elimatam, tantisq; additionibus suffultum, ut non quidem doctius elaboratum, aut elimatius expolitum, sed altius reformatū noui operis nomenclaturā adipisci merito censeatur. Quod cum pluribus ipse iam impartendum destinasset, mortisq; sæuæ præuentus sæuitie, sua frustratus opinione, aliquas eius partiunculas gratioris patroni tutelæ frustratas reliquit: earum unicuiq; patrocinium destinandum mihi iniunctum cognoscens, tibi eiusdem operis libellum hunc ordine quidem, expolitione autem primum dicandum decreui. Quod iure quidem, nō minus quàm debito, faciendum mihi uisum fuit, ut qui amplissimam Rouerellam familiam, tot, tantisq; magni culminis decoratam insignibus tanto affectus uinculo obseruatā habuerim, ut in ipsius famulitium ascriptione mirè oblectatus cōgaudeam, eoq; maxime quod nobilissimi tui fratris, uiri nō minus ingenij solertia, quàm doctissimæ eruditionis cultura expolitissimi, magnis in me collatis meritis, talis euaserim, ut de tāta familia præconia promulgare pro uirili semper teneat. Eoq; magis, quo mutua inter nos dilectionis talem nouerim obseruantiam, ut mei in te solo affectus nutu gratiorem eius intuitus benignitatem mihi satis uideat uendicare. Hoc igitur ad te destinatum munusculum, hilariori quam eius tenuior exigat genitura, alacri illa tua ingenij promptitudine, mentis perspicacia, animi magnitudine, eo gratius accipies, quo libentius ad te id destinatum adscribo, meq; magnificæ tuæ familiæ perpetuū affectum æquis respicere oculis non dedignaberis. Vale.

## LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI SECVNDVS.

Simulacra duo nobis esse proposita, mundum, & Christum. Mundum esse tanquam rempublicam & dei templum. Angelos à deo præfectos humanis rebus. Qui mox euaserint daemones, & immundi spiritus. Angelorum numerus. Platonis & Aristotelis ad id sententia. Cap. I



**A**ETERVM ne quis nostra hæc putet, ueluti hirundinum murea, & Archytæ crepitaculum, si diutius ijs immoremur, re in immensum quodammodo recasura, palæstra utemur ea, quā nobis præscripsimus in hoc uelut præfloramēto, ac mox huic parti coronidem impingemus, si prius in hac mundi historia, quæ Christiana ueritas obseruat, contexuerimus. Duo scilicet fuisse proposita mortalibus simulacra, quibus ad inuisibilia mire prorsum surrigeremur, attolleremurq; unum quidem naturæ, alterum uerò gratiæ. Et naturæ quidem simulacrum, esse mundi huius speciem: at gratiæ, humanitatē uerbi. In utroque præmonstrari utiq; deum, sed nō intelligi in utroq;. Siquidem natura specie utiq; sua, uelut digito præferbat artificem, sed contemplantium oculos illuminare non poterat. At præpotentis & inenarrabilis saluatoris humanitas, lux unica, uera, bona, de unico, uero, bono manans lumine, medicina fuit, ut cæci lumen reciperent, & doctrina quoq;, ut uidentes agnoscerent ueritatem. Hæc singularis profecto est mundi excellentia, hoc præconium eximium: quod & ueterum scientissimi nō omnino uidentur ignorasse, quādo etiam Senecam scimus nono epistolarum ad Lucilium dixisse, Mundum sapiētis esse rempublicam. Quamobrem nō uideri illum extra rempublicam, etiam si recesserit, immo fortasse, unum si reliquerit angulum, in maiora atq; ampliora trāsiturum, ac cælo impositum tunc demum intellecturum, quum sellam aut tribunal ascenderet, quā humili se derit loco. Nunquam, inquit, plus agit sapiens, quàm ubi in conspectum eius diuina humanaq; uenerunt. Idem alibi, ingens dei templum mūdum uocat. Id ipsum & M. Tullius facit: quod interpretatus uir doctissimus, Bene, inquit, uniuersus mundus dei templū uocatur, propter illos qui existimant nil aliud esse deum, nisi cælū ipsum & cælestia ista quæ cernimus. Ideo ut summū omnipotentiam dei ostenderet, posse uix intelligi, nunquā uideri: quicquid humano subijcitur aspectui, templū eius uocauit, qui sola mente concipitur, ut qui hæc ueneratur ut templa, cultū tamen maximum debeat cōditori: sciatq; quisquis in usum templi huius inducitur, ritū sibi uiuendū sacerdotis. Scribunt porro theologorū nōnulli, Ab initio deum quum fecisset mundum præposuisse illi quasdam cælestium uirtutum potestates, quibus regeretur ac dispensaretur mortalitū genus. Quod etiā indicare uidetur Moyses in Deuteronomij cantico, ubi legimus: Quum diuideret excelsus gentes, statuit earum terminos secundū numerū angelorum dei. Sed horum nōnulli, sicut & ipse, qui princeps appellatus est mundi, datam sibi à deo potestatem, non ijs quibus acceperant legibus temperarunt: nec humanū genus diuinis obedire, sed suis parere præuaricationibus docuerunt, unde aduersum nos peccatorum chirographa composita: nam, ut Propheta testatur, peccatis nostris uenundati sumus, siquidem animæ suæ pretiū caput unusquisq;, ubi uoluptatum titillationes expleuerit. Hosce uerò tum immundos spiritus, tum Christianis detestando nomine, daemones nuncupamus. De quibus lucubratione sequenti in medium promere pergemus, quæ de ijs ueterum ingenia prodidit, ad ditis & nostrorum placitis, ut sese ostentari occasio. Sed interim illud minus hic prætereundum, Angelorum numerosam uideri à deo seriem productam: quia Danielis septimo ita dicatur, Milia milium ministrabant ei, & decies cetera milia assistebāt ei. Verū hic amplius attendendū, In angelis non dici numerum, ut est discreta quantitas, ex continui diuisione

diuisione producta, sed ex formarum distinctione potius, quando inter transcendentia censetur multitudo. Sed enim & parte hac cum antiquioribus aliquandiu confabulari, haud operae fuerit uacantis. Substantias quidem separatas censuit Plato, esse rerum sensibilium species, ueluti si naturam concipias humanam esse disparatam. Quo posito, consequens est, substantias utiq; separatas rerum sensibilium assequi numerum. Id quod Aristoteli improbabile sit, quoniam sit materia de sensibilium specierum, ut sic interim loquar, ratione, Proinde non posse substantias separatas censerit sensibilium exemplares species, uerum esse eminentioris cuiusdam naturae. Idem tamen Aristoteles, naturas haec perfectiores ordinem statuit sensibilium respicere, mouentis ratione, ac finis. Propterea ex numero motuum primorum substantias coaptat separatas. Quod nostrorum patrum decretis, & ueritati inconcussa fidei dissentaneum sancimus omnino.

Dæmonis nomen fuisse ueteribus honestum, nobis non ita. Cur Aristoteles dicatur dæmonios, & Plato diuinus. Qui a ueteribus dæmonij dicantur.

Caput

II

**D**AEMONIS nomen in Christiana religione odiosum sanè, infestumq; est, non ita ueteribus: quippe quod postea patebit amplius, eiusmodi nomenclatura deus quandocq; significatur, & pro admirabili & immenso dæmonium usurpat Græcorum natio: sed quibusdam quoque, ut Aristoteli, adhæsit dæmonij cognomen: nam quod non insuper habendum utiq; est, Platonem singulari sapientia philosophum omnibus ferè calculis ab ueterum scientissimis ita approbatum, summisq; elatum præconijs legimus, ut diuinum uirum appellare non desinant, præsertim in ea philosophiæ parte, quæ diuinorum rationes cõplectitur. In qua & operæ multum, nec olei minus ab eo impensum, compertius est quam ut demonstrari res debeat. Quin in ijs quæ ad naturæ modum spectant, plures quoq; in eius sententiam procliuus feruntur, quam Aristotelis. Et ut arbitri honorarij, quanquam nostrum non sit onus, uice fungamur, Omnino in philosophia prima, & in ijs quæ mathematicas requirunt demonstrationes: in oratoria item facultate, ac in morum disciplina pleriq; omnes ueluti omnium principem suspiciunt Platonem, ueneranturq; etiam si flumen orationis aureum fundi ab Aristotele, auctor M. Tullius est. Proinde institutum, ut ab utriusq; consecratoribus diuini symboli Platonem, dæmonij uero Aristoteli affigeretur: ceu innuerent opere, tanto Platonem uideri Aristotele præstantiorem, quanto naturalibus diuina censentur augustiora, amplioraq;. Vt præteream quod Græci scribunt, & repetit Seneca, Athenis rapit Aristotelem profugisse, ueritum ne impietatis nomine in uincula cõiectus ultimo afficeretur supplicio. Appellationis autem ratio profluxisse uidetur inde, quod naturalium scientiam in primis complexus Aristoteles est, quorum ratio sublunari ferè continetur mundo, qua in parte (sicuti mox liquebit) dæmonibus præscripta putabant loca, Plato uero altius sese surrigens intelligibilium contemplationi addictus comparem uitæ, morumq; normam eximia integritate consecutus est: spretisq; quæ cæteri usq; ad insaniam demirantur, quod in nobis diuinum est, ad id diuinum, quod solum uereq; est, redigere omnibus (ut dicitur) remis uelisque adnuebatur. Hinc diuini cognomen longe clarissimum, uulgo celebratum illuxit. Auctor allegoriarum Hesiodi Aristotelis nuncupat δαίμονιον. Plutarchus tamen in libro De liberorum institutione, Platonem quoq; dixit δαίμονιον: sed in artibus item Dionysius Homerum δαίμονιοπατον appellare sibi permisit. Adnotatum ab rhetore scientissimo, dæmonium à diuino apud oratores differre nihil, sed dici ἐκ παραλλήλου, sicut Olynthiaca secunda apud Demosthenē. Sciendum uero, dæmonij appellationem ἐπιμφοτελέειν, id est capi nunc in bonū, nunc in malum, præcipue apud Homerum, abs quo reges dici dæmonios nouimus, uelut eudæmonas. Plebeios item, priuatosq;: sed ut δυσδαίμονας, infelicesq;, quoniam mediæ potestatis sint dæmon, & fortuna. Sed iam de dæmonibus plura.

Rationalis naturæ gradus esse tres, deorum, dæmonum, hominum. Dæmones cur. Item eosdem dici Lares, ac Genios. Dæmonum descriptio. Qui Medioximi, Patellarij, Semones, Heroes, Manes, Pluto Sumanus, Sangus, Popi, Diopi, Stenopos, Stenoparchæ. An angeli omnes sint speciei unius. De Dionysio Areopagita carptim.

Cap. III

Illud



**L**lud uerò in primis testatum uolumus, in negotiatione (ut sic dicā) ista Platonem ipsum Platonicosq; plures nos esse amplexuros, quoniam inter cæteros hi maxima curæ indagine dæmonum rationem scrutati sunt, non disculis tamen, aut reiectis, quæ apud alios comperta legendi appetentiam conciliare, aut lassescerent stomachum excitare ac reficere poterūt. Igitur Platonem animaduerto rationalis naturæ gradus fecisse tres, non dignitatis tantum maiestate interpunctos abiunctosq;, sed etiam locorum intercapedine. Ergo immortalibus dijs summam attribuit sedem, id est cælestem. Sed horum alios dici, & esse intelligibiles, ab omni materiæ contubernio semotos: quorum parens princepsq; is sit, quem rerum conditorem opificemq; ueneramus, maiestatis amplitudine ultramundana, sanctum & humano sermone inenarrabilem, ac ne mente quidem facile apprehensibilem. Quisquis est is, aut quantuscunq;, unus est: uerus, bonus, ueritas una, bona, bonitas una, uera. Cæteri non tam dij, quam ministri. Visibiles deos intelligit cælestia corpora. Atq; hic gradus utique unus, qui & primus. Imum uerò tenet, numisma præcellæ diuinitatis eximium, homo. Cuius eminentissimam naturam, cælitibus ferè comparem paulo post latius explicare ingrediemur. Medium uerò inter hosce extremos gradum, ab lunæ collimitio ad nos ulque expansum iam habent quos ab scientiæ magnitudine præsci dæmonas uocarunt. Sed M. Tullius Lares, etiam si in eo satisfacere uix sibi uideretur. Apuleius nunc Lares, nunc Genios nuncupat. Hos tanquam interpretes quosdam, & salutigerulos arbitrati sunt priores: qui concepta à nobis uota ad deos deferrent, & illinc ad nos diuina muneris, ueluti *μειραι* quidam, & pararij. Ad hos item magica excantatio, & prælagiorum species referebantur: quod in Symposio docuit Plato. Romæ uicus fuit larium ruraliū, quod docuit P. Victor. Verum & L. Aemilius Regillus Antiochi classe profligata, larium permarinis ædem uouit, quæ annis quadraginta post dedicata est. Plutarchus in libro De philosophorum decretis, nimis præcise, cuiusmodi forent dæmones, descripsit, quum ait: Thales, Pythagoras, Plato, Stoici dæmonas esse sanxerunt substantias animales: sicuti heroas, ab corporibus amotas animas. Floridius multo Apuleius: Dæmones, inquit, animalia sunt ingenio rationalia, animo passiuua, corpore aëria, tempore æterna. Mox adijcit, Passiuos dici, quoniam iisdem quibus nos, perturbationibus sint obnoxij. Hosce Romani ueteres Medioximos item nuncuparunt, quod intersiti ex sui ratione, ac loco, & potestate dijs summis sint minores, hominum natura, uelut complacium antiquis est, utiq; maiores. Propterea Plautus in Cistellaria:

Ita me dij, deaq; superi atq; inferi & medioximi.

Apud eundem quin etiam Patellarios dici comperias deos, qui patellis, sacrificio uasis accommodis, placarentur. Propterea in Fastis Ouidius:

Fert missos Vestæ pura patella cibos.

Plautus:

Dij me omnes magni, minutiq; & patellarij.

Ut salinum, inquit Lilius, & patellam deorum causa habere possint. Semones dici putant, eos qui ab aëris meditullio quicquid interpatet ad terram usq;, habent. Quos credit Martianus, *ἡμιθεός* dici, hoc est semideos: heroas quoque, sicut Iamblichus item significat: quoniam, inquit, *ἡραν* ueteres dicebant terram. Ibiq; manes, id est corpori humano præfules attributi, qui parentum seminibus manarunt. Heroas fuisse iracundos, & occurrentibus infestos, cuiusmodi *κακῶν ἕχους* uocant Græci, Menander signat, proinde prætereuntes herosa silentium mire seruabant. Hosce tamen *κρείττους* dicebant, id est meliores: forte diritatem sic mollituri. Scribit Ioannes grammaticus, heroas illos credi patre deo natos, mortali uerò matre, qui theoretica & rationali sint uirtute præditi. At qui opifice actiuacq; pollent uita, hosce dea prognatos uolunt. Porro nuncupari item heroas, *ἄρ' ἄρετῆς*, quando ita canit Orpheus: *μηδ' ἄρ' ἡρώων ἀρετῶν κλησόντες*. Porro quicquid ab luna ad terram intersitij est, Plutonis imperio ascribitur: qui inde Sumanus dicitur, quasi summus deorum manium. Sed lunam in uicinia constitutam, Proserpinam appellarunt. Semones Fulgentius non omnino malus auctor, esse deos opinatur, qui cælo digni non censerentur ob meriti paupertatem: cuiusmodi esset Priapus, Hippo, Vertunnus. Nec terrenos tamen putarent per gratiæ uenerationem: sicuti in Mytagora scribit Varro, Semoneq; inferius derelicto, deum depinnato attollam eloquio.

d In ciui-

In ciuitate diuina Augustinus Semonem dici Ianum sentit, quod seminio præsist, dum concipitur infans. Semonis Iani meminit ab Vrbe condita libro octauo Lilius, quam alij expuncta lectione ista, substituunt Sabino Sangi, ex Dionysio, qui Antiquitatum secundo, Sabinorum genti inditum nomen scribit ex Sabino Sangi diui gentilis, quem Sangum quidam Pistium uocent. Sangi facellum Urbis regione septima statuit P. Victor. Sunt qui Dryopum lingua Popos dici dæmonas arbitrentur. Omnino qui Homero posteriores sunt, etiam deos ea uoce significari putant, ut sint Popi quasi Ipopi, ex ueterum doctrina, *ὡς τὴν πύλα δὸν ἰδύοντες*, id est omnia dispicientes. Sicuti indidem corruatur & Diopos, quæ dictio apud Aeschylum ducis est peculiaris, id est *ἰνὴ μωνία*. Stenopos autem angiportum signat, unde Stenoparchos dici, auctor est Dion, qui aduersus incendia constituebantur ex plebe, quibus ueste uti permissum est principali, & duos habere lictores in locis sui iuris. factum hoc imperij stationem tenente Augusto. Apud Græcos *πύρι πύρι*, commiserationis censetur uox. Sed Appion dæmonas intelligit. Hinc sanè admonet Varronis lucubratione titulo æditam *πύρι πύρι*. Etiam si in Nonij codicibus passim legitur, papia papæ. Nec obstrepat hic arguitur aliquis, rideatq; ineptius ueterem hanc dæmonum diuersitatem, quando & in angelis peruincere eandem possumus. Siquidem in ijs quæ speciei censentur unius, haud prius inuenias & posterius: quod ex Metaphysices tertio amplius dilucet. In angelis autè uel decuriae unius, & primos comperias & medios & postremos: quod ex Areopagita Dionysio est, Angelicæ hierarchiæ capite decimo. Proinde colligendum, non esse speciei unius omnes angelos. Quod Dionysium aduocauimus, sciendum amplius, doctis ambagiosum fieri, ecquid ex Areopagita officina prodierit lucubratio ea, quando tres leguntur Dionysij.

Esse item in sphaeris quorundam sententia dæmonum ordines. Prouidentia triplex. Quomodo ab dæmonibus afficiamur. Qui dæmones naturales, quicq; aduentitij. Dæmonum præfectura. Item dæmones esse tanquã pastores. Ca. IIII

**S**ed in hac dæmonum distinctione id utiq; minus ignorandum, Ex ueteribus plerisque, præter quæ hæcenus collecta nobis sunt, etiam singulis planetarum globis peculiare ascriptis dæmones, ueluti stellas, ita planetæ illi famulantes, in cuius orbe sunt, ut in firmamento stellæ minores ab illustrioribus gubernantur. Inde Saturnij leguntur dæmones, aut Iouij, & deinceps. Immo uerò inter Saturnios esse, qui præstent alijs in globo eodem. Quod & in cæteris intelligunt, quemadmodum inter homines nõ omnium eadem ratio agnoscitur fortunæ. Orphici terrestres etiam dederunt dæmones: sicuti etiam aquei dicuntur, & ignei. Tradunt porro qui hæc curiosius peruestigant, esse ab summis ad infima ueluti catenas quasdam extensas. Nam stellarum quælibet dæmones suos tanquã asseclas certis afficit modis. Sed eadem item ratione ab dæmonibus animæ afficiuntur, ab suis utiq; suæ. Id ut facilius percipiatur, prouidentiam Platonicæ schola in tria distribuit, Vniuersalem, minus uniuersalem, & demum particularem. Et uniuersalem quidem ad tria refert principia, quorum & superioris facta nobis mentio est, Bonum, intellectum, animam mundi: qua omnibus, & omnia prouideant. Minus uniuersalem, ad sphaerarum, stellarumq; animas: quando harum una quæq; omnium quidem rationem habet, sed non in omnibus tamen. Particularem uerò dæmonum esse uolunt, qui quædam non omnibus, sed quibusdam gratificantur. Quamquam & in humanis animis prouidentia particularis est ad inferiora. Igitur pro loci ratione nobis non uno modo fomenta adijciunt: siquidem ignei dæmones contemplandi excitant potentiam, aerei uitæ fauent actiua, aquei uoluptuosæ. Hos Plato scribit à primordio, malorum plurimis uoluptatem immiscuisse. Porro dæmones quidem omnes esse affectu passiuos: superiores uerò, mediosq; etiam immortales: infimos duntaxat longætos, qui ex terræ uicinia terrena etiam titillentur libidine, nimiamq; habeant cum sylvia communionem, quam sanè malignam animam ueteres dicitabant. Afferitur & illud, Dæmonum alios esse (ut sic dixerim) indigenas, aduentitios alios: & indigenas quidem uolunt, qui sint initio sic producti: aduentitios autem, qui ex humana ratione mox inter dæmonas sint centuriati, ac nihilominus humana curent. Quod uerò ad dæmonicas atinet præfecturas, alij latissima procurant terrarum spatia, alios detinent angustiora: qui

dam

dam urbibus modò præponuntur, aut ex hominibus singulos tantum amplexatur. Atq; hinc Saturnium alius, ille Iouium, hic quemuis alium dicitur dæmonem sortitus: sicuti etiam unum quencq; nostrum credunt suo (ut sic dixerim) syderi mancipari: quæ utiq; dæmonica ratio atq; cælestis, non in homine tantum efficax putatur, sed & in cæteris naturæ partibus. Nam sæpe animal hoc uel illud solare dicimus, aut Iouium: sic & in plantis, lapidibusq;. Certe Plato dæmonicam potestatem, ut conciliatricem in Symposio, & Legibus admiratur. Propterea in Protagora & Politico, dæmonas ut pastores recognoscit: in Critia, etiam gubernatores. Quibus nos diuina prouidentia commendandos censuerit, ueluti moderatoribus, qui nos tum diuinationibus plurifariam, tum oraculis adiuuarent.

Dæmones an habeant corpus: item angeli. Corporum genera quinq;. Ne-reides quæ sint. Qui, & ubi uisibiles dæmones. De Glaucos interim. Ca. V

**A** Nuerò dæmones huiusmodi, siue bonos intelligas, siue malos, habeant corpus, potest uideri quæstione nõ indignum: ac si Apuleium audimus, non omnes habent, siquidem in Socratis dæmonio ita scribit, Genus aliud augustius animo dæmonum, qui semper à corporeis compeditibus, & nexibus liberi procurantur certis precibus: quorum è numero Somnus atq; Amor. Vbi uerò statuit Hesiodus dæmonas, hominum custodes, *ἠὲρα ἰοσαυβύς*, id est aere conuestitos: inquit Proclus ideo dictum, quia nos lateant, sintq; inuisibiles, sicuti aer: uel quoniam aerea sint eorum corpora, sicut deorum *ἠερύβεια*, id est ignea, hominum autem terrena. Psellus dæmonum naturam non putat esse sine corpore, quando (inquit) sunt qui fateantur, dæmones ab se cum corporibus uisos. Quin & magnus Basilius non dæmonibus modo, sed puris etiam angelis corpora tribuit, ueluti spiritus quosdam tenues & aereos atq; puros. Cui David a stipulari uidetur, quum ait, Qui facit angelos suos spiritus, ac ministros suos flammeos. Sed in Ciuitate dei Augustinus ait, Qui facit angelos suos spiritus: id est eos qui spiritus sunt natura, facit esse angelos. Eandem quoque asserit Psellus idem apostoli Pauli fuisse sententiã, quoniam sic commodius locum permutent, quiescant, item sine fallacia sensibus se offerant. Sicuti uerò in scriptura legantur incorporei, respondendū, esse moris, corpora quidè crassiora corporea nominare: quæ uerò prætenuia sunt, quæq; aspectum tactumq; effugiunt, incorporea dicere. Non idem tamen uidetur angelicum, & dæmonicum corpus. Illud enim radiat, & nequit oculis sustineri: dæmonicum uideatur aliquando fuisse eiusmodi, quoniam Esaias angelum nominat Luciferum, qui lapsus est. Nunc certe obscurum tenebricosumq; est. Angelicum quidè corpus, omnis expertum est materia. Etiam si in libro Fontis uitæ Auicebron angelos prodit ex materia concinatos & forma: quoniam ubicunq; proprietates inueniantur materiae, ibi insit & materia. Proprietates autem materiae sunt, recipere, ac substare. Propterea in libro De trinitate Boethius, Forma simplex, subiectum esse nequit. Sed in angelo compertum hoc est, quare consecutio manifesta. Nisi quod modus idem non est, quo recipit intellectus, & quo materia. Formam siquidem recipit materia, ut ex ea in specie constituatur aliqua uel aeris, uel ignis, uel rei alterius. Verum ratione alia formam intellectus recipit: alias uerum probaretur quod prodit Empedocles, Terram terra cognosci, ac igne ignem. Inteligibilis forma in intellectu est secundum ipsam rationem formam. Ita enim ab intellectu cognoscitur, proinde receptio eiusmodi, materiae haudquaquam receptio est, sed immaterialis substantiæ. Verum ad rem. Dæmonica corpora quodammodo materialia censentur, & subiecta passioni, præsertim quæ sub terram intrusa sunt. Itaq; pulsata dolent, & igne admoto exuruntur, cinere item conspicuo, quod in Thuscia quandoq; factum, proditur memoria. Sed, ut hæc expendantur exactiore libra, Corporum (quod ad hanc spectat rationem) inuenio species quinq;. Est quidem corpus unum, & id primū, quod igne tantum constatur. At si ignis ille uisui subijciatur, sydereum corpus dicitur: si uisum non patitur, dæmones sunt: quos igneos dicit Orpheus, aut cælestes. Altera species corporum est, quæ ignis aerisq; nexu attemperata sunt: & hi atherei uel aerei nuncupantur dæmones, eodem Orpheo docente. Quod si aqueum quiddam, ueluti tenuius ferrum accesserit, tertium consurgit genus dæmonum, qui nominantur aquei: qui quandoq; etiam percipi possunt uisui, si densius paulò subactum corpus sit. Vbi autem terræ

d 2 aliquid

aliquid addatur, sed non adeo crassum, terreni iam efficiuntur dæmones. Postrema sunt iam humana corpora, spissitudine crassiora obefioraq. Aqueos dæmonas in Perfide atque Africa uisitari præcipue, Zoroaster existimat; eos Nereidas uocauit Orpheus. adicit tamen Porphyrius, illos dæmonas solum uideri, in quorum corporibus præter aqua uaporem, ignis abundet. Idq. in Oriente contingere, atq. meridie. Glaucum quoq. esse marinum dæmona Græci scribunt, hunc esse Melicerten, interpretatur Nicanor. in primo Aetolicorum scribit Nicander, Apollinem ab Glaucio diuinandi scientiam esse consecutum. Porro, quod obseruatione dignum est, Augustinus astruere uidetur, Angelos omnes ante confirmationem, uel lapsum corpora habuisse aerea, ex puriore superioreq. aeris parte conformata. Cæterum ad faciendum idonea, non item ad patiendum. Taliaq. etiamnum bonis angelis conseruata, quæ uisum tamen non patiantur, ni crassamenti quippiam fuerit inductum. Malis uero angelis in lapsu demutata fuisse corpora in aeris spissioris qualitate, ut igne possent torqueri. Super Genesin Augustinus idem sic ferme prodit, Dæmones aerea dicuntur animalia, quia corporum aereorum natura uigent, nec per mortem dissoluuntur, quoniam præualet in eis elementum ad faciendum aptius, quam ad patiendum. Patientia quidem, humor terraq. congruunt maximè ad faciendum uero, aer ignisq. Verum ne quid dissimulem: in secundo Sententiarum adnotatum animaduerti, hæc de aliorum sententia fuisse Augustino conscripta: quoniam Christianæ ueritatis sectatores complures conspiratu cõsono prodiderint, Angelos esse incorporeos, assumere tamen quandoq. corpora, ut exequantur ab optimo maximo deo iniuncta, quibus mox exuantur. Beatus item Thomas quæstionis propriæ articulo primo, Augustinum scribit Platoniorum opinionem explicuisse. Origenem quoq. ut in alijs item, esse deceptum, ubi in libro  $\alpha\beta\chi\delta\epsilon$  Deum patrem modo tradit, & filium, ac sanctum spiritum, nullum habere cum materia commercium. Quod si Gregorius angelum uocat rationale animal, id per metaphoram dictum exponit, ex rationis similitudine. At Damascenus angelum scribit substantiam esse intellectualem, semper mobilem. Nil autem mouetur, nisi corpus: sicuti Auscultationis physica libro sexto probat Aristoteles. Verum ita prorsus astruendum, In angelo motum ita accipi, ut intelligere, ac uelle, motus quidam sunt. Ex quo angelus substantia finitur semper mobilis: quia semper actu intelligit, non quandoq. actu, quandoq. potentia, ut nos. Porro circumscribi terminis localibus, est corporis quidem proprium, sed terminis circumscribi essentialibus, creatis promiscuum est omnibus. Propterea in libro De spiritu sancto Ambrosius, Licet quædam locis non contineantur corporalibus, circumscriptione tamen substantiæ non carent. Vbi uero Bernardus ait, spiritus creatos indigere instrumẽto corporeo: intelligendum, non naturaliter adglutinato, sed ad aliquid assumpto. Denique in diuinis nominibus Dionysius, incorporeos esse angelos, constanter affirmat. Amplius adnotanda nihilominus ex secundo Moralium Gregorij uerba: In hoc, inquit, est nunc natura angelica ab nostræ conditionis naturæ proprietate distincta, quod & nos loco circumscribimur, & cæcitatibus ignorantia coartamur. Angelorum uero spiritus loco circumscribuntur quidem, uerum eorum scientia longè super nos propagata differtur: interius quippe, exteriusq. sciendo diffusi sunt, quia ipsum scientiæ fontem cõtemplantur. Quid enim de his quæ scienda sunt nesciant, qui scientem omnia sciunt? Eorum itaq. scientia nostræ quidem cõparatione exuberantius excreuit. Quæ tamen si diuinæ componatur, arctius euadet angusta. Sicuti & ipsi illorum spiritus corporum utiq. nostrorum cõparatione spiritus sunt: at summi cõparatione, ac incircumscripti spiritus, sunt corpus. Mittuntur igitur, & assistunt: quia per hoc quod circumscripti sunt, exeunt: & per hoc quod inter quoque præsentibus sunt nunquam recedunt. Faciem ergo patris semper uident, & ueniunt ad nos tamen, quia & ad nos spiritali præsentia foras exeunt: & tamen ibi se, unde recesserunt, per internam contemplationem seruant.

Dæmones esse semine fœcundos, & coire: angelos bonos minime. An angelus dicatur de homine. De gigantibus interim. Dæmones qua ratione uarias exhibeant figuras. Quæ sint Naiades, Dryades, Onosceli. Cur quidam dæmones ingerant se puerperis. Mirum pestilentia genus Constanti nopoli.

Cap. VI

Marcum



Arcum quendam in Cheroneſo, Græciæ contermina fuiſſe legimus, qui genus ſuum in Melin fluuium referebat, homo ſolitudinis præcipue amator, & dæmonũ cultor eximius, quo nomine de illorum natura pleraq. perſecutus, alijs etiã eſt impertitus, ſicuti illud, Dæmonas non pati ſolum, ſed ualde utiq. pati. Quin eſſe item ſemine fœcundos, idq. generandi ſtudio effundere, ſuccreſcereq. inde animalia quædam modi non magni: habere enim genitalia, ſed neutique noſtris ſimilia. Porro quia excrementitium quiddam effundant, connutriri quoq. alios quidem inſpiratione, alios etiam humore: uerum non ore, ſicuti nos, immo uero ut ſpongiæ atq. oſtea. Nec tamen dæmones hoc omnes pati, ſed qui materiæ coniunctiores ſint, quicq. lucifugæ intelligantur, aquatici atq. ſubterranei. Hinc Auguſtinus multos tradit, experientia magiſtra didiciſſe, Syluanos & Faunos, quos uulgo Incubos uocent, improbos ſæpe extititſe mulieribus, earumq. appetiſſe, ac peregiſſe concubitus, & quosdam dæmones, quos Galli Duſſos nuncupent, hanc aſſidue fœditatem tentare. Adicit tamẽ, ſe hic nil admodum temere auſum affirmare, Angelos uero dei ſanctos ea turpitudine inquinatos, non credere. Sunt qui affirmant (de Chriſtianiſ loquor) genitalium humorem à dæmone profuſum, hauddquaquam ipſius percoqui natura, quod animantibus obtingit, ſed excipi à uiro, cui ſe ut fœmina ſubcecerit: qua ratione uatem Merlinũ eſſe genitum, Britannorum hiſtoriæ memorant. Quum uero legimus Geneſeos ſexto, Angelos dei uidentes filias hominum quod eſſent pulchræ, accepiſſe uxores ſibi: non accipiendum (inquit) eſt, ita illos eſſe angelos dei, ut homines non eſſent, ſicut putant quidã: nam homines fuiſſe, ſcriptura ſine ambiguitate declarat, quando dixit deus, Non permanebit ſpiritus meus in hominibus his in æternum, propterea quod caro eſt. Sed & homines dei angelos fuiſſe nuncupatos, ex eiſdem literis teſtatiſſimum eſt: nam de Ioanne legimus, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Et Malachias propheta angelus item dictus eſt. Fallit autem quosdam, quod ex illis qui dicebantur angeli dei, nati, ac propagati feruntur gigantes, ueluti hoc humanum non ſit. Quum tamen paulo ante Goticam uſtitatem Romæ uiſa ſit fœmina, quæ corpore quodammodo giganteo longe cæteris præminebat, quod eo mirabilius eſt uiſum, quoniam uterq. parens nec ſtaturoſorum quidem hominum proceritatem aſſequebatur. Sed redeo unde ſum digreſſus. Nullus, inquit Marcus idem, dæmon mas cenſendus eſt, uel fœmina: hæc enim interſtitia, & ſexuum diſcernicula ad compoſita pertinent: dæmonum uero corpora ſimplicia ſunt, ductu, flexuq. facilia, ad omnemq. configurationem apta naturaliter. Etenim ſicuti nubes nunc hominum, nunc cuiuſcunq. uiſitationem faciunt, conſimiliter & dæmonum corpora, ut collibuerit, uarias concipiunt figuras, qua ratione uirum modo præferunt, modo etiam fœminam. Inſremunt quandoq. ut leones, ſaltant ut pardalis, iatrant ut canes. Nec tamen tot ac tam uaria, unumquodq. dæmonum genus perſecerit. Nam igneis aereisq. facile huiuſmodi ſuppedit facultas: ſiquidem in id ſe nullo negotio conformant, quod imaginatio conceperit. Tenebricoſi uero dæmonis phantaſticum anguſtijs fluctuans eam neſcit diuerſitatem: corpore item inagili, minimeq. actuoſo. Aquei, necnon terreſtres in horum meditullio cõſtituuntur. Sed qui in aquis agunt plurimum, ex elementi mollitie aues ferè ac mulieres aſſimulant. Ex quo genere ſunt celebratę poetis Naiades, Nereides, necnon Dryades. Qui uero in aquoſa & arida frequentant, corporibus areſcentibus: cuiuſmodi onosceli pernoscuntur, qui ſunt aſininis cruribus, hi ſe ſe marès plurimũ exhibent, interdum quoq. leonem ac canem induere uidentur. Quare non ita mirum, ſi quandoq. puerperis fœminea ſpecie ingeratur dæmoniũ, quod aduſterum ſit, & impuris humectationibus afficiatur plurimum. Cæterum id hac parte haudd prætereundum utiq., debacchari amplius quandoq. Conſtantinopoli cõpiſſe nouum inopinatumq. peſtilentiæ genus. Quod apud Peluſiotas Aegyptios in ortũ primo, craſſari mox latius adortum eſt. Eius mali hæc ferè habebantur initia: Dæmonum terriculamenta ſpecie humana miſeris ingerebant ſeſe ita, uti ab hominibus incuti ſibi plagas optinarentur, quibus occuſa id genus obſiciebatur: erantq. ea orientis mali uelut procemia. Quibus aueruncandis nullis prorsum amuletis opus erat, uel (ut aſſolet) myſticis, ſacrisq. uerbis: ſed uelut lymphati, ac arreptiti, uocantes nec audiebant, etiã ſi in arcto aſſeruantur. Per quietem obtingebant hæc quandoq., in horreſcebat febris, ſed

d 3 ita

ta, uti nec color demutaretur, neq; insitus item calor: nam nec inflammatio, ut sit, pertinebatur, uerum tussis infesta erat, nulla discriminis specie. Tubercula sese ostentabant, sed non eodem tempore omnibus, nec eodem loco. Quibusdam profundior obrepebat somnus: alijs dementia cum rerum omnium obliuione, ut in cibi neglectu conficeretur, ac furens electo sese proriperent, ut se daturi in præceps, aut sitis ardore flumina petirent. Morbus tamen hic contagiosus haud fuit.

Dæmones mali. Dæmonū ē cælo lapsus. Quem Ates nomine intelligat Homerus. Trygodæmones qui sint, & Sorodæmones. Couali, Soroadios dæmon. An dæmones sint naturaliter mali. Cap. VII

**D**AEMONES quidem omnes, CHRISTI cultus, tanquam malos (ut diximus) abdicat: illorum commercio nullatenus utendum cenet: quando, ut in Apologetico testatum reliquit Florens Septimius, Dæmonum operatio, est hominis euersio. Græcia non ita multos dæmones damnandos putat. Addit, nec hos quidem esse ex proposito tales. Sed quod ab condito æuo rerum dispensatio ea sit ratione instituta, ut animæ impuræ carnificina (ut sic dixerim) iniungeretur. Cuiusmodi dæmonum opera magica uanitas impendio uti assueuerit, aduocans in aspectu imaginarij, & multa itidem imaginaria spectantibus obijciens. Verum de boni maliq; dæmonis discerniculo plura mox. Nos in literis interim antiquioribus ab Pherecyde traditum obseruauimus, Dæmonas olim cælo lapsos, quod nostra continet doctrina, Ophioneumq; nuncupatum, hoc est dæmonicum serpentem, qui antesignanus fuerit agminis, ab diuinæ mentis placito deficientis. In mysterijs exploratum illud quoq; Iouem quandoq; dæmones inferiores ad inferna deturbasse. Adde, quod & Pythagorica doctrina hoc ipsum ferè opertius referre animaduertitur, dum fractis alis animam labi ē cælo fingunt: inq; nouem distribuunt gradus, tanquam nouenarium angelorū chorū. Quin & in sermone, qui est de fœnore, Plutarchus, Empedoclem eiusmodi dæmonū lapsum nouisse, significat, ubi ait, Semel fœnore illaqueatum euadere nō posse, uerum oberrare, perinde ac dæmones à deo fugati, eq; cælo dati in præceps apud Empedoclem. Quos ather ad maris ima deturbat, illo ad terram reiectante, hacq; rursus extimulante in altum, qui illinc mox aliò contruderentur. Verum & illud singulari dignum admiratione, poetarū principem Homerum, Bessarionis calculo, dignitate cardinalis, doctrina uerò & classici & eminentissimi: Ates, id est ἄτης, nomine, quam interpretatur noxam uel detrimentum, Luciferi de cælo lapsum, uel naturæ eminentioris sublimitate, uel quod Mosaica introspexisset modo aliquo sacraria, nescientibus præmonstrasse, quum Iliados unde uicelimo ita canit de ipsa hac Ate,

ὅς ἐπὶ τῷ ἔργῳ ἀπὸ τῶν ἀστέροισιν  
ἔκειτο, καὶ τὰς ἀστέρας ἐκείνην ἔβλεπε.

Platonici arbitrantur, septentrionales dæmones esse malos: id ipsum & Hebræorū astronomi comprobant, qui Martios, noxiosq; in Septentrione locatos tradunt: propitios autem, & Iouios in meridie. Iamblichus porro scribit, Imaginum fictores à dæmonibus malis occupari sæpius, atq; falli. Ex quo, ut festiuus aliquid interim appingamus: Trygodæmones, apud comicum Aristophanem in Nebulis, dicuntur poetæ, quod fecibus quas Græci τρύγας uocant, faciem collinere consuevit in uis curribus insidentes, ne cognobiles fierent, poemata concinebant, cauillis probrisue laceffentes qui præterirent: quod erat suum Comicorum. Proinde (inquit interpret) institutum, ut quisquis impudenter nimis cōuitando iniurius est, de currulo qui dicatur. Plutarchus in ratione liberorum institutionis, Senes hisce cōuitijs proscissos tradit, ut χρολόγοι uocarentur, id est ætate desipientes: & Sorodæmones, hoc est sepulchrales laruæ. Erant & dæmones quidam Dionysiaci, quos nuncuparunt ἰοβάλοι, asperi & immites: quanquam & Coualos dicebant, qui iusu assimulato fallerēt: ut scribit Harpocratio, meminisse Philochorus: sed & Aristoteles octauo De animalium historijs, Otum esse scribit Coualum, etiam si luxatis (qui modò circumferuntur) Græcis codicibus, & imitandi studio teneri, atq; ita saltantem capi. Plinius parasiticum transtulit, Theodorus blateronem hallucinatoremq; sed & eo uerbo signant Græci prædonem aut sicarium, ab genere gladij quem ἰοπίδα uocant. Apud Indos colebatur dæmon Soroadios, quod in linguam Græcam tralatum uerbum

uerbum, cenopœum signat, seu οἶνοποιός, id est uini factorem. Cæterum id forsitan quaestione uideatur dignius: Sint ne dæmonum aliqui naturaliter ac suapte uero omnino mali, quando scribit Porphyrius, Esse genus dæmonum fallax natura, quod deos effingat, & defunctorum animas. Porro sicuti à deo creati sunt angeli, ita & homines: uerum ex ijs quosdam naturæ uero esse malos, palam sit. Nam hinc est ex Sapia illud: Erat eorum malitia naturalis. Proinde angelis posse ipsum hoc obtingere, probabile sit. Sed Areopagita Dionysius in nominibus diuinis, Non esse dæmones naturaliter malos, asruit constantissime. Augustinus præterea Porphyrium refellit, quia uoluntatis propriæ uero dæmones probentur mali. Porphyrius autem inde falli aduertitur, quoniam dæmones animalia credidit sensilia: quæ quidem bonum respectant particulare, cui adnecti ualeat per acc idens malum, uel ut igni accidit, uti reliqua exurat. Sed uniuersali bono malum coaptari quæ nullum. Manifestò autem dilucet, intellectualem naturam in bonum tendere uniuersum, quod ualeat apprehendere, ac uoluntatis est obiectum. In hominibus malitia & prauitas creditur naturalis, uel consuetudinis potestate, quam esse alteram uelut naturam, exploratum est: uel ex naturali inclinatione, sensilis naturæ uero. Sic enim quosdam uidemus iracundos, aut in cupiditates, ac lubentias proniores: uerum intellectuualis potentia ratione haud sit.

Dæmones an sentire doloris uim possint. Spiritum esse, qui sensum efficiat. Cur enses offerantur dæmonibus. Virgilij locus explicatur. Theologica sententia de supplicio dæmonum. An corruptioni subijciantur angeli. Exorcista qui sint. Cap. VIII

**N**EC parua illud quoq; disceptationis censerit solet, Doleantne dæmones, ac excarnificari pulsariue uero illo pacto possint: & multi adnuunt quidem, & nos paulo antè commemorimus: sed qua id effici ratione possit, non est obtritum ualde: eo utique amplius, si nec solido, nec cōposito præditi sunt corpore. Nā ad compacta ex pluribus uidetur sensus pertinere. Cæterum quonam modo infligatur dolor, exactius perpendendum. A struunt quidem multi, esse neruos qui sentiant: sed nō id efficit neruus, uerum spiritus potius neruo insitus. Nam quod spiritus expers est, sensus item expers sit, necessarium est. Ergo spiritale dæmonum corpus magna parte, ubique sensibile est natura, & absque medio tangit, uidet, audit: sed & tactum patitur, & perinde ac solida, diuisum dolet: eo tamen interstitio, quod solida intercisa ac reuulsa, aut persanantur nunquam, aut uix contingere id potest. Relectum uero dæmonicum corpus coit rursus, recreaturq; aeris modo aut aquæ. Et id quidem celeritate incredibili. Interim tamen dolet insigniter, dum peragitur dissectio, quo fit, ut ferri aciem reformident reclinentq; quantum possint maxime. Propterea qui exagitare dæmones moluntur, enses, ac tela studiose prætendunt. Ex qua ueterum, & quidem Platoniorum doctrina Platonicus ipse poeta Aeneidos sexto ita scribit:

Procul o procul este profani,

Conclamat uates, totoq; abstinate lucò,

Tuq; inuade uiam, uaginaq; eripe ferrum.

Eum uero locum quam apte excusserint interpretes, iudicabunt uolentes. Nam satis habuit Seruius dicere, uoluisse Aeneam habere cōtra umbras enses consecratum. Spiritum uero primò uiuere atque sentire, argumento est (ut dixi) quod eo ab membris reuocato, mox illa & sensu & motu defecta commoriuntur. Animas uero eiusmodi item præ tenuia corpuscula habere præter solidum hoc & crassum, in quibus pariter sint, in quibusq; potissimum sentiant, & perseuerent longe diutius, quam in solido, alibi ex ueterum sententia docebimus, unde lux multa Maroni inferetur. Sed postea quam antiquorum placita in his recensuimus, adnectamus & theologici doctoris sententiam. scribit beatus Thomas, timorem, dolorem, gaudium in dæmonibus esse non posse, ut sunt passionis, uel (ut Latinius loquar) perturbationes, quoniam sint hæ appetitus sensui propriæ, qui uirtus est in organo corporeo. Vt uero intelliguntur simplices uoluntatis actus, sic in dæmonibus esse posse: etenim hoc modo dolor est oblectatio uoluntatis, ex eo quod est, uel non est. Multa enim sunt, quæ non esse dæmones mallent, & econuerso. Ideoq; dolorem cooriri, necesse est. Sed quum dicat CHRISTVS, ignem æternum sup-

placis hominum esse attributum, & dæmonum, quoniam modo esse queat in eo spirituum immundorum discruciatio: Discedite à me (inquit Veritas) maledicti in ignem æternum, qui preparatus est diabolo & angelis eius. Sed sunt, inquit iterum Augustinus, sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus uisum est, ex hoc aere crasso & humecto: quod genus elementis, si nil posset perpeti, non ueretur feruefactum in balneis. Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseuerat, non est de hac re aut laborandum inquisitione operosa, aut contentiosa disputatione certandum. Adhærebunt igni corporeo spiritus, quamuis incorporei, ut crucientur modo utiq; miro, & homini nequaquam explicabili, sed tamen uero. Cur enim hoc censeatur impossibile, si fieri potuit, ut spiritalis anima corpori alligaretur. Adnexa uerò huic loco quæstiuicula est, Corruptioni subijciantur angeli. Et certe non corrupti, probabile fit, immo & necessarium: neque enim corrumpitur quippiam, nisi quia ab materia disparatur forma. Quum uerò angelus subsistens dicatur forma, fieri nequit, ut admittatur ibi corruptio: quod enim alicui conuenit secundum se, ab eo reuelli nunquam potest. Propterea in diuinis nominibus Areopagita Dionysius, Intellectuales ait substantias uniuersæ corruptionis expertes, mortis, ac materiæ. Quod si de angelo pronunciat Damascenus, esse intellectualem substantiam, gratia non natura immortalis: intellige immortalitatis nuncupatione mutationem signari, quæ Augustini astipulatu mors quædam est: ubi uerò in Timæo ait Plato: O dii deorum, quibus ego opifex & idem sum pater, hæc attendite, Quæ à me facta sunt, me ita uolente, indissolubilia sunt: ad cælestia corpora referendum, putant eruditiores, quæ ex elementis concinnata, uidentur adcredidisse philosophis, ac perinde suapte uolubilia. Denique id corruptibile dicitur, quod in seipso corruptionis initia continet: propterea illud Gregorij contrarium non est, In nihilum omnia recasura, nisi à deo seruentur. Notandum illud porro, exorcistas uulgo nuncupari, qui sint dæmonibus formidabiles, quicq; aduentu suo illis plurimum incutiant terrores, quo nomine confestim mandant fugæ præsidium, & conspectum reclinant: eoque uel solo citra ullam uerborum uim obfusa destituunt corpora, Siquidem quantumlibet uolentis fuerit dæmon, eorum præceptis & cum ueneratione terretur. Eiusmodi uerò nasci uirum prodidere cælestium studiosi, qui loco nono Martem habuerit uel in domo propria, aut louis, aut in altitudine peculiari, nec in horoscopo fuerit Iupiter.

Dæmonem pluribus modis dici. Animum nostrum etiam dæmonem nuncupari. Locus Virgilij declaratur. Genitura loca in cælo. Cap. ix

**S**cribit autem Proclus, Dæmonem non uno modo dici: alius enim ipsa essentia dæmon est, comparatione alius, alius item habitu. Vbiq; enim quod proximè præstet ac prouidet, appellare dæmonem consueuerunt: sicuti apud Orpheum, Iupiter Saturnum dæmonem uocat. Sed & Plato, deos qui generationem e propinquo disponunt, dæmonas nuncupauit. Comparatione utiq; dæmon est, qui proximè unicuiq; prouidet, etiam si deus sit. Habitu uerò dæmon dicitur animus, qui similitudine quapiam ad genus dæmonicum mirabiliores, quam secundum hominem actiones adit, totamq; uitam suam suspendit ex dæmone. Quæ ratione in Republica Socrates dæmones animos appellauit, qui uitam bene transegerint. Dæmon uerò essentia hanc per seipsum proprietatem est sortitus, uiribus proprijs, modisq; differentiibus actionum distinctus. Anima rationalis omnino in Timæo dæmon animalis est appellata. Dignum scitu quod cum Proclo Apuleius inquit, Quodam significato animum humanum etiam in corpore constitutum nuncupari dæmonem: unde & apud Virgiliū, Dij ne hunc ardorem mentibus addunt.

Euryale: an sua cuiq; deus sit dira cupido?  
Ergo & bona cupido animi, Deus est: unde eudæmonas dici beatos putant, quorum dæmon bonus, id est animus uirtute perfectus est. Intellectū item nostrum possumus recte dæmonem nuncupare: nam Timæus inquit, Deum nobis supremam animi partem tanquam dæmonem contribuissse. In Symposio uerò, ipse mentis amor ad diuinam pulchritudinem contemplandam dæmon cognominatur. Porphyrius etiam, ut scribit Iamblichus, Dæmonem proprium non esse alium, quam intellectum putabat, & inde eum esse eudæmona, qui sapienti sit intellectu præditus. Sed Iulius item Pollux, Homero auo-  
re, dæmo-

re, dæmonas scribit deos uocari: quando etiam Plato omnium moderatorem magnum dæmona nuncupare sibi permiserit. Demum in cælo dicuntur secundæ potestatis loca in genitura ratione ipsi ferè nominibus illustrata, deus, dea, bona fortuna, bonus dæmon, id est (ut Græce dicam) θεός, θεά, αγαθή τύχη, αγαθός δαίμων. Deam intelligunt ab horoscopo posignum tertium, cui per diametrum obiectum uocant deum, id est ab horoscopo nonum signum. Bona fortuna, quantum ab eodem habet signum. Bonus uero dæmon in diametro signi huius constituitur, id est in undecimo ab horoscopo loco.

Dæmonem esse unicuiq; proprium, custodem, testemq;. Quæ sint ab eo emolumenta. Quando fiat dæmonis ab anima electio. Dæmonium Socratis quale foret, & cur diceretur deus. Dæmonius uir. Item de Augusti, & M. Antonij dæmonio. Zabulus. Malleus terræ. Dæmonium bonorum, & malorum nomina.

Caput x

**X** sublimiore autem dæmonum genere Platonis sententia est, animis in uitalem hanc prodeuntibus lucem contribui dæmonem, qui sit actionum inspettor omnium, & cogitationū quoq; diligens explorator: quicq; corporeo exolutis nexu afflatur semper, raptetq; ad iudicem protinus, singula testimoniis approbans suo, uel diluens, quod in Phædone confirmat Socrates, & repetit Proclus. Postea ipse hic dæmon, si religiose colatur à nobis probitate ac sanctitudine, quod Socrates fecisse scimus, putant Platonici, mire ab eo nos iuari tum somnijs tum signis, mala auertendo, bona auctius sospitando: posse nanq; humilia, iacentiaq; surrigere, nutantia tibicinibus offulcire, obscura illustrare, demumq; improperum sydus restituere. Hoc non è philosophorum modo scholis est, sed & Menander approbasse uidetur, ubi ait, Δαίμων ἐν δὲ συμπαύσει τοῦ θύβος γινώσκω. adest, inquit, statim nasceti unicuiq; dæmon. Inde in φαρμακίδεια Theocritus, οὐ δαίμωνι τένω, ex Interpretis astipulatu intellige, cum suo ipsius dæmone. Nec mirum est, additum nobis augustiorem sanctioremq; præsidem, quando non ferè sit aliud homine imbecillius: qui ab cælesti tranquillitate semotior, diuersisq; fortune telis obiectus, uoluptatū perniciosissimis circumfusis delinimentis, quæ assidue aduersus animam stipendia facere sentiuntur, ut insecitæ malum præteream, quo ab ineunte ætate, tanquam teterrimo cæno obuolutus, & demum ab hoste uigilantissimo aggeribus, fossa, ualloq; circumfessus, & nulla non hora pulsatus arsete, & paulo minus solo æquatus, clarissima illius prouidentia, ab benefico munere nusquam cessantis, opem summa uel ad extrema redactus implorabat, quo adminiculatio pleniorq; spei destinata gentibus metam posset contingere. Proinde apposti nobis hi, quos diu iam more ueterum dæmones dicimus, tanquam pastores, ut placet Platoni. Ea uero si displicita est nomenclatura, nuncupemus iam, sicuti patribus Christianis appellare moris est, angelos bonos, quod Areopagita Dionysius comprobât, nec ab Platonis mente dissentaneum est. Qui preces nostras etiam optimo maximo deo exhibere, ab Platonis creduntur, & confirmat Cassiodorus in Psalmorum enarratione. Et in tertio De trinitate Augustinus, Corpora omnia per uitæ spiritum rationalem regi pronunciat. Libro quoq; Dialogorum quarto Gregorius, in mundo uisibili nil, nisi per inuisibilem creaturam disponi asseruit. Cæterum Aristoteles quanquam cælestibus corporibus substantias assignarit spirituales, quarum rationem ex motuum cōcipiebat numero: nullas tamen inferioribus præsidere corporibus tradit, nisi forsân humanas animas. Et id quia non alias in inferioribus excogitabat operationes præter naturales, quibus cælestium corporum sufficeret motus. At Christiana ueritatis affectatores, quum hic multa fieri astruant, quæ naturæ mensum excedunt: ideo necessarium arbitrantur, immediate nobis præsidere angelos. Nam uelut angeli inferiores, quibus adsunt minus uniuersales formæ, à superioribus diriguntur, quibus uniuersalior inest scientia, sic & ab angelis corpora regi inferiora, compar fuit. Quod & philosophorum asserunt pleriq;. Nam humanis in rebus, quin & naturalibus quoq;, ab uniuersali potestate particularis gubernatur, & regitur perpetuo. Auicenna unam modo immaterialem substantiam uniuersis præsidere inferiorum corporibus probauit, quam agentem nuncupabat intelligentiam. At sancti doctores ab Platonis haud dissentanei, diuersis corporeis rebus spirituales præsidere substantias diuersas, prodidere, docente in libro octogintatium quæstionum Augustino

Augustino, Rem unamquaq; uisibilem in mundo præpositam sibi habere angelicam potestatem. Damasceni quoq; proditur monumentis, Diabolum ex ijs unum fuisse, qui terrestri præessent decuria. Origenes Numerorum capite uicesimo secundo, Mundo esse opus angelis scribit, qui bestijs præsent & animantium generationi, item uirgultorum ac plantarum, & id genus cæterorum incrementis. Quidam præterea, sicuti in Matthæum tradit Origenes idem, ab tempore baptismatis humanæ assignari custodiæ angelum sanxere, sed ab natali luce maluerunt alij: quod arrisit Hieronymo uehementer, & diuinæ bonitati amplius congruit, ut quæ homini conferuntur beneficia, statim in uitalem adsint lucem producto. Zabulum obiter pro diabolo positum apud Hilarium obseruauimus, nisi forsan mendum exemplarium est. Aliàs tribus Zabulon est in sanctis literis. Sed apud Sudam Zabulos dicitur, qui uehementer uult, *ὁ πῦρ βολύμω*. Satanam item malleum terræ uocat capite quinquagesimo Hieremias, & ad Lætam Hieronymus. Sed redeo ad institutum. Sunt qui opinentur, animam non tunc creari primum, ubi corpori adnectitur, sed uixisse diu ante. Horum item sententia est, animas iamiam descensuras ex dæmonum numerosa serie custodem naturaliter secernere. Putant alij ista perfici, quando iam electione uti cœperit anima, siquidē dum sibi mores indiget hos aut illos, optare item uitæ ducem latenter. Nec absurdum rentur, dæmonem eundem ab pluribus secerni. Adijciunt illud quoq; morum ratione eadem non manente, non manere item dæmonem. Item sicuti dæmonis optio nobis datur, ita nos ab dæmonibus uicissim optari. Hi uerò non alij sunt, quàm malefici quidam, prauitas quorum ab diuinis nos se iungendo in materiam penitus adobruat. Aegyptiorum doctrina traditum est, ab dæmonum præside deo pro ratione propolita uitæ dæmonem assignari, non ab astro, nec ab planeta: quod sensisse Porphyrius existimatur, ut auctor est Iamblichus. Quare concinentes Pythagorici, ita louem apprecari consueuerant: ut uel ipse à malis abduceret, uel à quo dæmonum id posset præstari, monstraret. Iamblichus refert, eatenus ab dæmone nos dirigi, donec sacris expiati deum subeamus ducem pro dæmone, cui posthac dæmon ita cedit, ut uel uacet eo præsentem, uel ad idem conducat. Hinc Plotinus nos exhortatur ad deum pro dæmone consequendum, quamuis ad excellentiorem dæmonem id retulerit qui Plotino multum intulit claritatis: quoniam excellentior dæmon quandoq; dicatur deus, qualem Plotinus habuisse creditur, atq; item Socrates. Nam & inferiores dij, sicuti præsignificatum nobis est, quandoq; dæmones dicuntur. Qua ratione Apuleius librum De deo Socratis attitulauit potius, quàm De dæmonio Socratis, etiam si uerbo quodam uerius id ab Apuleio factum, octauo Ciuitatis diuinæ interpretatur Augustinus. Dæmonem Socratis deum quoq; appellatum ratione quam dixi, auctor est Proclus, id ipsum Platonis auctoritate in Apologia, & in Alcibiade primo, quem interpretabatur, corroborans. Erat uerò dæmon hic Socraticus tum igneus, quia ad cõtempationem cælestium rerum Socratem inflammabat, tum etiam Saturnius, quoniam abductum à sensibili cura, intellectu plurimum uiuere hortabatur. Hunc sensu percipiebat, sed nō corporis huius: uerum, ut Platonici persuasissimum habēt, sensu ætherei corporis intra hoc delitescens. Qua item ratione ab prophetis uideri solitos, audiriq; angelos, credit Auicenna. Feruntur quidem passim dæmonum uerba, inquit in libro De Socratis dæmonio Plutarchus: sed illis modo insonant, qui tranquillam seruant animā, nec tumultuantem perturbationibus: quos sacros nuncupamus, & dæmonios uiros. Refert idem, redditum patri Socratis oraculum, Ne quam illi omnino uim adhibere tentaret, aut porro inducere suasionibus pergeret, sed suo ipsius arbitrio permitteret, fuis loui Agoræo precibus, atq; item Musis: habere enim præceptoribus uniuersis, aut etiam pædagogis ducem augustiorem. Dignum scitu & illud, Putasse quosdam Socratis dæmonium fuisse *πῆγμα*, hoc est sternutamētum, quo dextra in parte obueniente, ad agendum concitaretur, in sinistra uerò auerteretur. Sed quoniā uolentes in Plutarchum incidimus, succurrit ex libro eiusdē de Romanorum fortuna exemplum illustre, quod quia arrisit plurimum, etiam apponendum curauit. Tradunt, inquit, M. Antonium & Augustum singulari amicitia & beneuolentia iunctos, quum suppeteret otium, sæpe lusibus inter se diuersis transmittere tempus solitos. Verum in ijs, quum semper uictus abiret Antonius: quidam apud eum, diuinādi peritia clarus, audacter ita submonere perrexit,

O Antoni

O Antoni, quidnam tibi cum adolescente isto? Refuge ipsum, & uita. Tu quidem illustrior es, natu item grandior: sed plurimum quoq; imperator. Bella multa exanclasti, peritia rerum præstantior es. At nescio quo pacto huius ipsius dæmonem dæmon reformi dat tuus. Quin tua quidem fortuna ex se ampla est, sed fortunæ adolescentis subblanditur. Quod ni abieris procul, ad illum defecturam apparet. Hinc uero traditum eruditioribus est, non deos cælestes, uti apud Homerum est, cum fortibus uiris colloctos: nec affuisse pugnantibus, uel iuuisse, sed cum illis familiares genios esse obuerfatos: quorum adminiculis præcipue Pythagoras enituerit. Nam de Socrate dictum iam est. Dæmones nocumenta auerentes, *ἀλεξίκατοι* dicebantur à ueteribus, & Apopompæi, Apotropæi, Lysii, Phyxii. Approbantes uero, æ rata firmaq; fancientes, Aliterij, Prostopæi, Palamæi. Nam & apud Aeschinem in oratione *πρὸ τῆς ἀπερὸ βίας*, Prostopæum dici pro scelere nefario obseruauimus.

An mutato loco, mutetur & dæmon. Cui quis alibi fortunatior. Dæmone illustrante, mira sæpe à nobis fieri. Theologorum de angelis bonis placita: Parangeliarchus.

Caput XI



Nuero, si locum, regionem ue mutes, simul mutetur & dæmon, non fere inter eruditos constat, absurdum ratis quibusdam, dæmonem unum uelut in mancipium uenerit, à nobis ne latum quidem unguem aut culmum (ut dicitur) reuelli, quantumuis longinqua terrarum spatia obierimus. alijs uero unicum esse dæmonem, & esse ubiq; fancientibus, quod Iamblichus placet: propterea non cogi demigrare. Quod si non est ubiq; simul, non dæmon tantū unus, id est unus numero, sed etiam specie unus in singulos accipit præfecturam. Qua ratione solares homines solaribus subiiciuntur dæmonibus. Qui si commigrarint, nihilominus in ordinis eiusdem dæmonum incidunt ducatum. Quod de solaribus dico, de cæteris item intelligendum. Quoniam uero in qualibet dæmonum decuria plura sunt dignitatis & uirtutum discernicula, sicuti etiam Venerij homines aut Saturnij fortuna inter se disparantur, hinc efficitur ut uariantibus locis, uarij sint etiam rerum nostrarum euentus. Nam cõmodiores sæpe nanciscimur duces, aut ediuerso. Accommodatissimos uero, qui unici sunt in regione certa. Ex ijs autem cõsequitur, ut idem alibi fortunatior pernoscat, quàm ubi erat prius, adeptus uidelicet potentior dæmonem. Quin huius illustratione præstanti fieri quoq; putant: ut sæpe doctore nullo res excogitentur miræ, perducanturq; ad exitum feliciter præter opinionem, quæ nostrarum uirium excedere uidebantur mensum. Porro ut nostrorum quoq; id est Christianorum patrum scita non prætereantur, quæ ex parte quoq; attigimus: colligit beatus Thomas (quod & superius est eomprobatur) diuinæ prouidentia congruentissimum fuisse, angelos bonos nostræ addixisse custodiæ, quibus ad bonū perduceremur, à quo sapius insita imbecillitate declinemus, nostrumq; sit proprie, coniuere in pluribus. Recte enim Sapientia nono legitur: Cogitationes mortalium timida, & incerta prouidentia nostra. Hieronymo humana arrisit dignitas parte ista plurimum illud exponenti, Angeli eorum in cælis: Magna, inquit, est animarum dignitas, ut unaquæq; habeat ab ortu in custodiā sui angelum delegatum. Vni homini unus debetur custos, sed interdum destinantur plures. Quæ curæ ratio spectare uideatur ad infimum angelorum ordinem, quorum munus est, Gregorio docente, minima nuntiare. Minutum uero uidetur, unū tantum homini ad salutem necessaria procurare. At humanæ reipublicæ protectio altiore exigit decuriam, cuiusmodi principatus sunt uel archangeli. Nam parangeliarchum uidentur appellasse Græci, quem nostrorum aliquot officiorum dicunt magistrum.

Oracula fuisse ab multis cõprobata, ab multis item damnata. Oraculorum origo. Theologia genera tria. De Taciti, & Floriani statuis. Annum milesimum expectare, quid sit. Thulis rex. Thule unde. Statuæ dæmonicae. Vnde habeant uaticinium dæmones.

Caput XII



De oraculis forte curiosior aliquis à nobis expetat, compertius quippiam in literas promi: quæ tamen uanissima sunt deprehensa sapius, nihilominus theologos ueteres, & Platonicos summe illa uenerari solitos, exploratissimum est: conatosq; etiamnum rationibus corroborare. Testatur in Phædro hoc ipsum

hoc ipsum Plato, testatur & in Timæo, ubi ea demum de diuinis astruit afferenda, quæ oracula comprobant. Immo uero etiam ab oraculis & uaticinijs Socratis orditur apolo-  
 logiam, quæ & Socraticos mores ex Apollinis responso concinnatos ait. Verum quum  
 tria haberentur prisca theologiæ genera, unum fabulosum, quod & historicum nuncu-  
 pabant, poetis maxime attributum: naturale, quod mysticum est, & ab philosophis su-  
 scepium: ciuile, quod in singulis ciuitatibus consuetudine inoleuit, ac mox legibus est  
 sancitum. Hoc genere postremo continebantur oracula atq; item responsa. Quod si un-  
 de irreperint oracula primum, indagine curiosa sit scrutandum, uideor lectione iugi cõ-  
 perisse, non ab dijs, non ab demonibus instituta, uel propagata: sed ab uafrijs quibusdam,  
 & quæstuarijs initio inchoata. In quam sententiam celeberrimi è Græcorũ sapientibus  
 iere pedibus, Peripatetici, Cynici, atq; Epicurei. A quibus non solum scriptis oraculo-  
 rum uanitas est palam facta, sed cõmonstratum quoq; quæ malorum soboles inde pul-  
 lularit. Argumento sunt responsa improborum hominum, & ad imposturam & carnifi-  
 cinam auaritiæ fomitijs exercitatorum nimio plus, ad utrumlibet euentum solertissi-  
 me coaptata, quæ ita demum consarcinabantur, uel (ut ille ait) confutis dolis attexeban-  
 tur: ubi solite ciuitates oberrassent emissarij, ac uelut Corycæi quidam, quos haud pa-  
 rum multos, scelerum administratos ac partiaros habebant. Hi siquidem intentissime,  
 quid cuiq; opus foret, persequebantur, renuntiabantq;. Mox ad hoc destinati in adytis  
 obscurioribus, aut speluncis illatebrati, uenientibus responsa dabant. Quos multum ad-  
 iuuabat insita homini futura pernoscenti audivitas, inscitia sæpenumero combinata. Est  
 & hinc euidens indicium: quippe expressum per quæstiones aruspicum & uatum ple-  
 risque, ut totum diuinandi pontificium suis ipsorum nechi fraudibus faterentur. Quid,  
 quod Demosthenes, uti accepimus, Pythiam tum *ἐπιπικίζου* dicebat, id est quasi cum  
 Philippo facere. Quod nimirum illuc spectabat, ut ab Philippo corruptam diceret. Quo  
 sanè commonemur, ut est Diuinationum secundo scriptum, in id genus oraculis, etiam  
 num Delphicis alijs quippiam fuisse non synceri. meminit historiæ contra Ctesiphon-  
 tem Aeschines. Exemplum uanitatis insigne nequeo præterisse, quando & ipsum ora-  
 culis est affine. Nam Taciti & Floriani imperatorum statuis Interamnæ disiectis fulmi-  
 ne, ab aruspibus responsum, ex eorum familia proditorem imperatorem post annos  
 mille: qui terram omnem, quæ Oceano ambitur, suam faceret, moxq; senatui resignaret  
 imperium, anti quis legibus uicturus, ac post centum & uiginti annos moriturus hære-  
 de nullo. Diuq; sic à posteris expectatum hoc, ut in prouerbij faciem uerti res possit, an-  
 num millesimum expectat. Qui felicitatem concipit nunquam futuram. Illud admiratio-  
 ne non caret: Fuit Aegypti totius rex Thulis, à quo propagatis ad Oceanum imperij li-  
 mitibus, Thule insula habere nomen creditur. Hic secundioris fortunæ afflatu extume-  
 scens, Serapin ita cõsuluit: *φράσον ἡμῶν πνευδονες, ἀψιδὸν δὴ μάκαρ ὁ καὶ ἀθεῖοιο μετέγκλινοῦ  
 ἄρῳ, πῆρ πῶ τῶ μῆς βασιλείας ἐδωκίθη ἔσῳτα, ἢ τίς ἐστὶ μετ' ἐμῆ.* Respondit deus: *πρῶτα θεός,  
 μετ' ἐπειτὰ λόγος, καὶ πανδύμα σὺν αὐτοῖς. σὺ μὲν ἴα δὲ πᾶν ἴα, καὶ εἰς τὴν ἰόντα ἔκρηστος ἀνώνιοι, ἀκίσι  
 ποσι βελδίζεθνητε, ἀδολοῦ ἑσάνων βίον.* Quibus pronūciatis, quum è templo exisset, à suis  
 mox est iugulatus. Nec me tamen fugit, Lactantium scribere, & Apuleius confirmare  
 uidetur, & nos supra attigimus, astrologiam, auspicia, auguria, & oracula esse daemonum  
 inuenta, quorum sit, tenebras offundere, & ueritatē caligine obducere. Quod si quis mi-  
 racula obiecerit, scire licet, herbarum potentia, & lapidum uirtutibus, nobis non perin-  
 de manifestis, multa item perfici posse, quæ nos per inscitiam daemonibus, aut cælo ac-  
 cepta referimus. Omnino non absque daemonum participatu hæc tractabatur negotia-  
 tio, ut quicquid sensero, promam ingenue. Nam Mercurius scribit, ex proprijs certisq;  
 rebus certo cuidam demoni congruentibus compositam rite statutam confestim per dæ-  
 monem congruum animari. Id quum Augustinus legisset, repetendum apponendumq;  
 censuit Ciuitatis diuinæ octauo libro. Quod si qua nam ratione daemones futura præno-  
 scere ualeant, putet quis amplius esse quærendū, respondebit Porphyrius in libro quem  
 de oraculis ædendū putauit, Quæcūq; à dijs futura prædicentur per oracula, ea ex cæ-  
 lesti obseruatione prædici omnia. Sed aduertant obsecro Christianæ ueritatis cultores,  
 quæ ab eodem subijciuntur Porphyrio: Sciendum, inquit, deos quoq; sæpe mentiri: nam  
 explorata, certaq; futurorum perspicientia non hominibus tortuosa modo, sed & dijs  
 ipsis

ipsis incertissima, plurimisq; referta ambagibus est. Quin si cui deo contingit, non ta-  
 men omnibus contingit horis. Adijci uero & illud potest, Velocitatem sæpe in illis di-  
 uinitatis loco censerit, quoniam omnis spiritus ales est, proinde momento ubiq; sunt, nam  
 totus orbis locus illis unus est, quid ubiq; geratur, tam facile sciunt, quàm enuntiant. Cæ-  
 rerum obseruatione dignum, quibus interstitijs, quibus uel discerniculis diuinatio hæc  
 de mundo ex mundi concinnata signis, ablataq; hominibus, concessa daemonibus ab  
 Origene, atq; Porphyrio, tandem dispensaretur. Dæmones qui ætherei nuncupentur,  
 quicq; aeris colant superna, cælestibus futurorum indicijs, uti uetus tenet opinio, addicun-  
 tur amplius, quàm terrenis. Qui uero infima hæc frequentant, dicunturq; aquei dæmo-  
 nes, non tam cælestia ad hunc usum suspiciunt, quàm nostra obseruantes præscientiam  
 sibi aucupantur aliquam. Medios uero putabant certius ex ijs, quæ utrobicq; eueniant,  
 prædictionum argumenta captare, proindeq; istorum operam in diuinationibus expeti  
 consueisse in primis, & fuisse præcipuam, ut qui hominibus quandoq; prælagijs præsto  
 fuerint, ut prodit Origenes. Quæ tamen siue ab ijs accepta, siue acri obseruatione depre-  
 hensa, confusanea fuerint, & multa rerum caligine hallucinantia.

Dæmonum bonorum malorumq; distinctio ex Porphyrio. Dæmonum de-  
 scriptio ex Augustino. An dæmones sint hominibus præstantiores. An illis  
 fometa suggerentibus, semper peccatis obretiamur. *ὅτι γούρνοι* qui dicun-  
 tur. De Serapi. Quos facile arripiant dæmones. Cerberus qui. Dæmonas non  
 posse diuitias dare. Animas defunctorum à daemonibus effingi. De arrepti-  
 tjs plura. An humanis animis illabi possit immundior spiritus. Ternistrato-  
 res qui sint. Item Paredrus, exedrus.

Caput XIII.

**P**orphyrius in libro De causis ad intelligibilia nos ducentibus, dæmones ho-  
 nos à malis sic ferme distinguendos putat. Anima, inquit, quæ sub luna pla-  
 gas gubernant latiores, quæq; spiritali innitunt corpori: si rationis usu id exu-  
 perant, boni dicuntur dæmones, à quibus ampliter eorum quibus præficiuntur,  
 emolumenta procurantur. Fieri uero nequit, ut detrimenta ab his inferantur: ijs au-  
 tem connumerandi, quos Plato Internuntios dicit. Cæterum anima, quæ coniuncto spi-  
 ritui minus dominantur, sed succumbunt sæpius incrementibus perturbationum incen-  
 tiuis, & uoluptatum titillationibus: hæc uero iam malefici dicuntur dæmones. Sunt au-  
 tem tam boni, quàm mali dæmones ferè inuisibiles, quod corporis indumentum minus  
 solidum, minusq; sit compactum. Dæmones mali libaminibus, & carniū nidore oble-  
 ctantur plurimū, siquidem spiritale corpus ijs crassescit, obesusq; euadit. Etenim uapo-  
 ribus uiuit, & fumigationibus. Aurelius Augustinus hos illosq; malos arbitrat, atque  
 etiamnum ita scitissime describit, deformatq;. Esse uidelicet spiritus nocendi cupidissi-  
 mos, à iustitia penitus alienos, superbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos, qui  
 in hoc quidē aere habitent, quia de cæli superioris sublimitate deiectione merito irregressi-  
 bilis transgressionis in hoc sibi congruo uelut carcere prædamnati sint. Nec tamen,  
 quod supra terram, & aquas aeris locus sit, ideo meritis superiores nobis censendi. Nec  
 quia corporibus sint præditi melioribus, alioqui etiam bestias multas nobis uidemur  
 prælati, quæ nos & acrimonia sensuum, & motu facillimo, atq; celerrimo, necnon ui-  
 ribus, & firmitate corporum animosissima exuperant. Sed ut omnibus ratiocinando in-  
 telligendoq; meliores sumus, ita etiam daemonibus bene & honeste uiuendo præstan-  
 tiores esse debemus. Qui nec loci sublimitate antecellunt, alias etiam uolatilia notæ me-  
 lioris arbitrabimur. Verum illis uel ex hoc longè præponendi homines sumus: quod  
 spei piorum nequaquam illorum comparanda desperatio. Adde, quod quamuis aquas  
 Plato terris præponat, nemo tamen nescit, esse aquatilibus hominem præstantiorem: ut  
 intelligamus, non eundem ordinem tenendum, quum de meritis agitur animarum, qui  
 uidetur esse in gradibus corporum: fieri enim potest, ut inferius corpus anima inhabitet  
 melior, deteriorq; superius. Non negligendum porrò, quod Porphyrij est, malignorum  
 dæmonum principes Serapin dici & Proserpinam: quum sacrae literæ Beelzebub prauitatis  
 primarium soleant nuncupare: & *δαμονάρχων* Lactantius. Est autem apud Aegy-  
 ptios Serapis, qui apud Græcos Pluto. Hic symbola hominibus dedit, quibus exagiten-  
 tur dæmones, hic supplices docuit, quo modo brutorum assumpta figura, dæmones ho-  
 minibus



minibus insiliant: quibus maxime obnoxij fiant, qui cibis subinde lautioribus distendantur. Idcirco inquit Porphyrius, ieiunium & castitas laudantur maxime, non quia ipsi placatior in primis efficiatur deus, sed ut retro agantur, qui sanguine ac immunditia gaudentes, ut perfuui possint his, urentium corpora inuadunt. Horum symbolum triceps est canis: ille scilicet qui in aqua, terra, & aere uersatur perniciosissimus daemon. Nam & exitiales demones aperte canes uocantur atri. Hominem uero ab impuris infestari demonibus, etiam apostolica Pauli comprobatur sententia: Non est, inquit, nobis aduersus carnem ac sanguinem colluctatio, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores ac tenebrarum. Aut enim ad peccatum, diuina permittente iustitia, nos proliciunt: aut supplicia irrogant, ab deo immisisti, etiam si diuersa puniant intentione, quam mittantur. Nec faciendum tamen, horum prolestatione peccare nos semper: quoniam ut est in libro Ecclesiasticorum dogmatum. Non omnes nostrae cogitationes mala a diabolo excitantur, sed ex arbitrii motu ingenti emergunt quandoque. Quod si Diuinorum nominum capite quarto Dionysius ait, Daemonum multitudinem esse malorum omnium causam, tum libi, tum alijs: & Damascenus, malitiam omnem pronunciat & immunditiam ex diabolo excogitam: quo ad primi hominis lapsum, id plane intelligendum. scribit namque Origenes, etiam si non sint demones, nihil fecius ituros homines quandoque praecipites in Veneris & gulae prolubia. Scribit porro Pselus, quod adnotat dignissimum censui equidem, daemonia sepe diuitias nobis, uel addictis sibi potius polliceri, nec non gloriam quandoque ostentare: quum tamen nil prorsus tradere ex se possint, quippe qui imperium nullum habeant. Caeterum uisu inania quaedam suis monstrare cultoribus, quae tamen impij diuina opinentur spectacula. Tradit etiam Augustinus, ab hisce demonijs deos effingi, & animas defunctorum. Vnde irreperisse uulgo contenderim, ab quorundam flagitiosorum animis corpora obsideri: quae etiam beatus Thomas, cuius erudita uolumina, uelut per transennam praetereuntes strictim quandoque prospectamus, in Compendio theologiae uocat arreptitia. Et mentio est in Canonicis decretis distinctione trigesimaquarta. Verum & *ψυχοποιου* dici quandoque uidentur ab demonibus obfessi, puto ab *εργασι*, quod detineri signat ac impediri, quanquam & lunatici eo intelliguntur nomine, uelut in eos agat luna, id est *μηνη*. In quo illud egregie mirandum, rusticos Latine ac Graece plerumque loqui. Quum tamen lingua daemonum propria, nulla queat inueniri: nil enim ipsis uoce opus est. Sed quum ueluti etiam angeli, alij alijs gentibus assistant, singuli singularum gentium idiomata exprimunt: quamobrem apud Graecos ratione heroica profari oracula consueuerant. Sed qui nam maxime extra iam dictos daemonum patent incurfibus: Nempe ubi per aram bilem, uel alio quopiam eiusmodi, imaginationi prorsum mancipatur animus, facile tunc immundorum spirituum sit conceptaculum, a quibus insigniter uexatus debacchari non desinat. Quod si philosophicis expiatus mysterijs totus euadat rationalis, a media daemonum corripitur decuria, Platonici putant, tuncque illi miras rerum humanarum naturalium uel explicari rationes. Quod si altius iam surrigatur humanus animus, sola mente uiuens, tunc fieri arbitrantur spiraculum quoddam daemonum sublimiorum, uel angelorum uerius, quibus illustrantibus, admirandis diuinorum insinuetur arcanis. Quoniam uero etiam theologorum poemata ingredimur quandoque numerosis lita sententiarum luminibus, scientiae profunditate micantibus, indeque nobis spicilegium facimus, ne transeamus quidem locum hunc sine illorum aduocatione: est enim apud eos consideratione dignissimum, an demones seu corporei sint, siue etiam incorporei, substantialiter (ut interim sic nobis permittamus loqui) humanis sese inserant corporibus, animisque illabant: an uerius, non ingredi, astruendum sit: etiam si malitiae suae sibi effectum exerceant, deo permittente, opprimendo atque uexando eas, ac subinde in peccatum praecipitando. Et ueritas quidem euangelica comprobatur quandoque daemonia quibusdam insinuata, atque inde per CHRISTVM excussa. An uero per substantiam dicantur ingressa, an propter mali effectum, non adeo perspicuum est. Gennadij quidem sententia est in Definitionibus ecclesiasticorum dogmatum, Daemonas per operationem non credendum substantialiter illabi animae. Caeterum applicatione, ac oppressionem uniri. Illabi autem menti, deo tantum esse possibile. Sed & Beata illud exponens ex Actibus apostolorum, Cur tentauit Satanas cor tuum, sic ferè scribit

bit: Notandum, inquit, mentem hominis per substantiam nihil implere posse, praeter creatricem trinitatem. Implet uero Satanas cor alicuius, non quidem illud ingressus, sed calida & fraudulenta deceptione in malitiae affectum animam trahens per cogitationes uitiorumque incentiua: quibus ille per diem, perque noctem scateret. Igitur Ananiae cor Satanas implese narratur, quia malitiae suae uirus infudit. In libro De Spiritu & anima, sic item scriptum inuenias, siue auctor sit Augustinus, siue alius: Non enim naturae participatione uel substantiae, ut rentur nonnulli, animum implet diabolus, aut eius efficitur habitator: sed per fraudulentam deceptionem atque malitiam in eo creditur habitare, quem implet. Solius enim Trinitatis est, intrare ac naturam implere, siue substantiam quam creauit. Scitu dignum, & huic loco maxime accommodum, quod tradit Origenes: Per figuram omnes qui in carne sint nati, dici equos, & habere ascensores suos: sunt quos dominus ascendit, & circumeunt omnem terram: propterea Abacuc tertio, Equitatus tuus salus: alios ascendit diabolus & angeli eius, qui ternistratores dicuntur, quoniam triplici calle ad animae properant interitum, uerbo, cogitatione, opere. Adnotauit Eusebius, daemonicam uirtutem dici Paredrum, cuiusmodi fuerit in Simone mago. Dicitur & paredrus assessor, Aristoteles in Politia: Capiunt, inquit, paredros binos Archon & Polemarchus, quos uoluerint, ad quod respexisse M. Tullius uidetur ad Tyronem libro de cimosexto: Paredrum excita, ut horum ipse conducatur. Sunt qui regi assidentes, ac uel custodes, paredros interpretentur. Quod in Pericle Plutarchus significat perspicue. At in Lycurgo, quicumque custodiae causa assideant. Quin erant Athenis quoque *σωρευετες* *μαρτυροι*. Ab Procopio Persici belli primo, Proclus celebratur imperatoris Paredrio magistratu insignis, quem Romani quaestorem nuncupant, Iureconsultum interpretantur hunc Latini. Exedrum intelligimus consternatum, ac mente excussum: item auspicium non bonum.

Afferuntur ex Augustino rationes aliae, quibus possint demones futura praenoscere. Croesi historia, Futura noscendi modos esse duos. Cordis arcana modis cognosci duobus.

Cap. XIII



Erum quod ad daemonum attinet uaticinia, uideo praeter quae nobis paulo ante sunt prodita, recte quoque adijci illa posse quae ab Augustino in libello De daemonum natura scite admodum & acute apposita sunt, quorumque uel in Canonicis decretis mentio fit. Nam summa plerisque dignum uidetur admiratione, illos praedamnatos spiritus, omnique circumfusos impietate, tam apposite interdum futuri perspicentiam uendicare. An ergo aeternas temporum causas, & quodammodo cardinales in dei sapientia contemplantur? Minime. Quid ergo? An uerum illud est, eos corporis aerei sensu terrenorum corporum longe sentiendi praecedere potestatem? Certe eiusdem incomparabili quoque pernicitate non hominum modo celeritatem & ferarum, uerum etiam uolatus auium mire exsuperat. Quibus duobus multo ante cogitata nuntiat, quae nos pro sensu terreni tarditate mirari non desinamus. Vnde est redditum Croeso, ut regum stultissimum, & coquorum infelicissimum. Accedit & diuturnioris uitae beneficium comparata insignis rerum experientia, cuius nos momentanea uita, ut quae bulba propemodum sit, compotes esse nequimus. Aduertendum item, demones non nunquam quae facturi sunt ipsi, nuntiare. Nam saepe potestatem accipiunt, incognito nobis modo, grassandi in homines & bruta pestilentiae uel, aut aliud quiduis id genus perpetrandi. Saepè quin etiam contingit illud, ut exactius peritiusque naturali signorum obseruata ratione, quam ipsi nequimus assequi, praecinant mox paulo uentura. Quid, quod conceptus animorum, promentibus se inde quibusdam in corpus notis, ualent altitè deprehendere: Quanquam in Retractationum libro idem Augustinus, audaciori assertione rem occultissimam esse prolaram, ingenuè queritur. Nam praenoscere ista demones, ferè compertum est. Sed an aedantur in corpore signa, illis sensibilia, nos uero latentia: an alia quauis spiritali diligentia ista dispiciant, aut difficillime, aut nulla prorsum ratione discuti humano ingenio potest. Quo autem ista colligatur certius, sciendum modis duobus futura praenosci. Alter ex causa est, qua solem cras oriturum necessario praenoscimus.

e 2

Causa

Causa uero quae sunt ut in pluribus, per coniecturam praemonstrant, quo modo agri salutem praestigat medicus. Quae uero ut in paucioribus, ignorantur omnino, cuius sunt modi casu euentia & fortuito. Angelis autem ratio haec futura praecinendi adest prorsum. At quum in seipsis praecognosci uentura pronunciamus, iam alter hic modus unitantum deo congruit: qui in aeternitate speculatur uniuersa, qui omnibus adest temporibus, quia simplex est, eaq; amplexatur. Proinde per omnia, ceu praesentia, unus fertur dei intuitus. Quod ad cordis attinet arcana, aduertendum duobus ea perspicui modis, aut ab effectu, signis in corpore comparentibus, aut prout cogitationes in intellectu sunt, & in uoluntate affectiones. Qui posterior modus dei tantum est, quoniam rationalis creaturae uoluntas uni subiacet deo. Propterea apostolus Paulus ad Corinthios: Quae sunt (inquit) hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Quod autem dei proprium est, angelis haud congruit. Vnde propheticum illud Hieremiae: Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscat illud? ego dominus scrutans: & quae sequuntur.

Origenis opinio de corpusculis aethereis atq; aereis. Item de restituendis daemonibus. Origenis excellentia. Cap. xv

**C**Aeterum transituri mox ad mundi minoris modum, appingamus & Origenis placita breuissime de daemonibus: Rationalis, inquit, creatura incorporata & inuisibilis, si negligentior fuerit, ad inferiora labitur, & pro loco qualitate, ad quae defluerit, corpora sibi assumit, uerbi gratia, aethera primum, deinde aerea: quumq; ad terrae uiciniam peruenit, crassioribus circumdatur corporibus, nouissime uero hominem induit. Ipsi quoq; daemones, qui proprio arbitrio cum principe suo diabolo ab dei ministerio recesserunt, si paululum respiscere ceperint, humana carne circumdari incipient: ut hac deinceps poenitentia post resurrectionem eodem circulo, quo in carnem uenerant, ad dei uisionem postliminio redeant, liberati etiam num aethereis aereisq; corporibus. Tuncq; genua deo curuentur omnia caelestium, terrestrium & infernorum, & sit deus omnia in omnibus. Sed & illud ex Origene est tertio *πρὸς ἑβραίους*, Huius mundi peccatores homines in alio mundo posse diabolum & daemones fieri: & rursus, nunc daemones in alio mundo posse uel angelos uel homines procreari. Ad dicitur & id impium praecipue libro quarto: Pro daemonum salute Christum etiam in aere ac supernis locis esse passurum, ut consecutione quadam fiat necessum, sicut pro hominibus hominem induit, sic & pro salute daemonum deum futurum, quod sunt hi. Omnia uero haec citra admirationem, ac summam utiq; legi non queunt, quando hic est Origenes ex infantia magnus, martyris filius, uoluptates adeo auersatus, ut dei zelo uel genitalia ferro demeteret, avaritia prorsum uictor, sacrarum literarum ita studiosus, ut perinde ac unguis, omnes nosset, aederetq; ad eam rem tractatus mille, necnon commentarios qui inscribuntur Tomi. Hic tamen tantus, talisq; male de filio concepit, de sancto spiritu peius multo. Quod non insciabuntur, quibus exacte librorum eius salua identidem regurgitata innotuit.

Euchetarum & Gnosticorum impia sacra daemonibus concipiendis. Curq; Euchetae dicantur, ac Gnostici. Cap. xvi

**E**Visse praeterea quosdam, inuenio in libris, qui communi nomine dicantur Euchetae, quorum dogma nefarium ab Manente quodam sit in Syria propagatum. si simul cum Gnosticis copari praesignibus impietate, scelestissima quadam obire sacrificia consueuerant, non alia magis ratione, qm cum daemonum commercio amplioris. Coibant insimul occiduo tempore eius diei, quo CHRISTVS crucis est suffixus: aderant puellae, cum quibus peractis sacris, luminibusq; extinctis, congredebantur, nec fororum ibi, nec filiarum ulla omnino ratione habita. Moris uero erat, ut locum repeterent eundem nono mense post, natosq; ex nefando concubitu infantes a matribus conuellerent: eorum mox corporibus dissectis crudelissime, profluentem inde cruorem phialis excipientes. Illis autem concrematis, cineres cruori promiscebant, quo postmodum epulas condirent, & pocula. Faciebant uero ista, opinati sic maxime diuinum, qui nobis inest, characterem, quoq; in primis retro agantur daemonia, obliui, expungitq; atq; inde daemonibus aditum patefcere prorsus liberum & impauidum. Euchetae, qui & Psalliani dicuntur, nomen tradunt inditum de orationis assiduitate, quod incredibiliter

credibiliter (ut inquit Augustinus) perpetuo faciebant, adeo ut monachos fouenda uita gratia quippiam facere, impium ducerent, quia interpellaretur orandi facultas. Horum fuit haereticis, posse humanam uirtutem ac scientiam, non ad dei modo similitudinem peruenire, sed perfectionem quoq; aequalitatem, adeo uti sit mox *ἀνὰ πρῶτον*, id est (ut sic dicam) impeccabilis, quoniam ne cogitatione quidem, aut inscitia ubi perfectionis fastigium contigerit, queat delinquere. Gnosticis uero conciliatum nomen de arcana mysteriorum scientia, quam sibi uendicabant: sed a turpitudine uerius dici Borboritae debent, hoc est *βορβορῶν*, id est lutulentis.

Anacephalæosis superiorum. Hominem esse miraculum magnum, ac quodammodo omnia, & dei simulacrum æmulum. Item quid sit homo, quo modo miraculum. Trinitatis uestigium animae impressum. Homo cur rerum mensura, & secundus deus. Anima cur dicatur *ψυχή*, ex Origene. Cap. xvii

**H**omines emensi, demum exoptatam contingeremus metam, ab summo rerum opifice, sicuti decuit & comonuit Plato, initia duximus, mox ueluti quibusdam scientiae gradibus in mundum declinauimus, inenarrabilis illius agentis templum augustissimum, ut celeberrimi auctores dixere. Inde daemonum rationem excussimus, quantum nostra paruitas tulit, Platonicos parte plurima secuti: sed ab nostris quoque, hoc est Christianis, flores modo rerum praecipientes: ut quadam apum imitatione, ex diuersissimis (ut sic dicam) succis non incomparabilis quidem conuulgeret sapor, sed qui fastidientem modo stomachum reficere ac prouocare appetentiam posset. Nunc peraccommodum sane uisum est, quaequam de homine non exculcata quidem, & triualium quoq; ludis recantata sapius, uerum ex secretioribus monumentis ueterum ingeniorum, quae nobis suis acuminibus ac uigilijs lucem peperere, uellicatim quodammodo excerpta tendentibus ad prociuctum, qua possumus perspicuitate proferre. Quando propositum non est, quae nobis laboriosissima suggerunt studia, intrudere in arcana quadam, ubi situ adobruta pereant, sed uolentibus benigne impartiri: quoniam ea quoque lege, non ista modo, sed caetera quoque omnia optimus maximus deus contribuisset uideretur, ut quod munificè ex illius immensa bonitate percepimus, munificè elargiamur, ac reddamus quodammodo mutuum. Igitur, ut praefari desinamus, uolenti mihi nuper Mercurij libellum, qui est De uoluntate dei mirabiliter concinnatus, occurrit grauior illa sententia, & toto perpendenda examine, qua hominem miraculum magnum, animal adorandum & honorandum diuiniore quodam spiritu concitus, & interiore instructus scientia nuncupauit, quod in legibus item Plato confirmat. Caeterum eundem hunc hominem idem quoque Mercurius in naturam dei transire scribit, tanquam ipse sit deus. Quin in libro De sapientia & potestate dei, humanae naturae potentiam admiratus eximiam, audendum esse ait dicere, hominem quidem terrenum, deum esse mortalem, deum uero caelestem esse immortalem hominem. Hic profecto tam est eximius, ut quum ad duas res, quod Aristotelicum est, natus sit, ad intelligendum, & agendum, tam augustis, tamq; felicibus pernoscatur productus auspicijs, ut non elementis modo uelocitate misceatur, et acumine mentis descendat in maris profunda: sed omnia plane illi collucescant, nec caelum uideatur altissimum, non quidem stultitia (ut ille ait) sed uelut e proximo mentis sagacitate id sua subiiciat contemplationi, intueatur, miretur. Ut, ni forsitan uidemur modestiae transgredi mensum, sit homo uerus uel caelicolis praestantior, uel saltem pari sorte potiat, sicuti uetus theologus proderè non dubitauit. Nam quicumq; caelum descendit ad terram, caeli deserit limitem. Homo autem ubiq; simul esse uidetur: nec uidetur tantum, sed esse affectat omnia, & est quodammodo ratione mirabili, sicuti deus est omnia. An non in eo plantarum agnoscimus uitam, quatenus nobis item uegetalis inest potentia, qua alimur & augetur? Nonne & brutorum: quando sensuum, ueluti satellitum, perfruimur ministerio? Secundum hominem uero tunc agimus potissimum, quando de humanis rebus rationis adminiculo fulti disquirimus perpendimusq;. Quod si naturalia rimari indagine solerti ceperimus, heroicam praefereamus amplitudinem. Si mathematicam certitudinem speculemur, daemonicam subtilitatem consecramur, quantum more ueterum interim loqui licet. Ut uero mentis altitudine caelorum claustra supergressi di-

uinae maiestatis arcana penetramus, angelicam nobis induimus claritatem. Deum uero ipsum rerum principem atque patrem effingimus, dum immensa illius bonitatis contemplatione omnia operamur. Proinde ueritas euangelica, omnis creaturae nomenclatura hominem intelligi uoluit, ubi praedicandum omni creaturae praecipitur Euangelium. Tanta denique, inquit Ambrosius, est in hominibus dignitas, ut dicatur homo ad dextram dei sedere, non angelus: qui & ab angelis honoratur unigenitus, imago dei. Et quid mirum? Propheticum illud omnes nouimus: Manus tuae fecerunt me, & plasmauerunt me. Id uero quanti demum censendum est, quod theologi ueteres praecipunt, duo esse principis rerum dei simulacra, mundum, & hominem? Dicitur & hic propterea in Canonis decretis charagma dei, siue signum, aut sculptura. Vbi pecuniae nomine spiritaliter significari hominem praedicant: nam sicuti in nummo charagma Caesaris, ita in homine conuulitur charagma dei & obsignatio. Et, ut nummus absque Caesaris reprobatur imagine, consimiliter & homo, in quo non pernoscamus lumen impressum dominici uultus. Quod, ut inquit Augustinus, totum est, & uerum hominis bonum, quo obsignatur, uelut nummus regis imagine. Proinde in templo nummulariorum subuertuntur mensae, dum significatur, in Dei templo spirituales tantum nummos esse debere: qui deum praefertant, non diabolum. Quid, quod Plato rationales animos tanquam specula putat quaedam nitidissima, in quibus diuinitatis summae esplendescat diuiniorem imagos? Quare deum in singulis acrius scrutando in animi speciem subinde mentis aciem dirigit, oraculo monitus ueteri, quo significatur debere, quisquis deum apprehendere cupiat, seipsum nosse prius. Inde Phauorinum recte laudari animaduerto, ubi ait, Nil in terris magnum praeter hominem, nil magnum in homine praeter mentem & animum. Sed audi mysterium: Refulget in homine interiore praecellens Trinitatis imago; nam sicut ex patre generatur filius, tum ex patre ac filio procedit sanctus spiritus, ita ex intellectu generatur uoluntas, & ex his item duobus procedit memoria. Neque enim citra haec perfecta dici anima, aut concipi ualet. Porro sicut deus pater, deus filius, deus spiritus sanctus est, nec tamen tres dii sunt, sed deus unus personis excellens tribus: sic & anima intellectus, anima uoluntas, anima est memoria, nec proinde animae tres in corpore uero, sed anima prorsum una, dignitate insignis triplici. Propterea quum dicitur: Diliges dominum deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, sic accipiendum, ex toto intellectu, ex tota uoluntate, ex tota memoria. Porro nonne in plurimis sese dei amulum fateri uidetur homo? Quis nescit ex Plinio, & alijs tum Graecis, tum Latinis, Zeuxin pictura nobilem tam artificii ingenio uuas pingendo representasse, ut deceptae aues ad eas, tanquam plane ueras aduolarent. Iam uero Apelles quomodo nam silerimodo possit: cui tantum superuicit excellentis peritiae, ut equum sic ad uerum expresserit, & canem, ut praeteruientes equi adhinnirent, adlatrarent canes. Proditum memoriae est, marmoream Venerem arte tam mira ab Praxitele elaboratam, ut spectantes subinde libidinis titillarentur incentiuis. Quis Archytam nescit Tarentinum ultra hominis captum a deo mathematicis rationibus progressum, ut e ligno columbam sic affabre compingeret, libraret, inflaret, ut uerarum instar in uolatu surrigi uideretur? Id quod Phauorini, ueterum memoriarum exsequentissimi, monumentis proditum, & in Noctibus Atticis repetitum, scio. Aegyptios scribit Mercurius uirtute quadam inenarrabili deorum confinxisse simulacra, ut articulatam promerent uocem, necnon (ut nil admirationi desit) progredierentur. Iam & Archimedis ingenium supra quam ullo possit eloquio explicari, docile, perspicax, & (ut uno omnia complectar uerbo) diuinum, in mundi opificio deum ferere ipsum laceffere uisum est, quando tam concinne caelum conflasse aeneum memoratur, ut inibi septem uiserentur planetae, & ratione incomparabili etiam motus uerissime deprehenderentur, quando nec caelestis deerat uertiginis simulacrum. Non igitur miraculorum omnium maximum miraculum homo est? Sed audi quae non inscite opinor, addi his etiamnum possunt. Homo quidem, ut Peripatetici astruunt, atque item Stoici, est quod anima constat & corpore. Pythagorici ac Platonici hominem esse putant diuinam quandam mentem terrenis uinculis alligatam. Apud illos itaque hominis pars animus est, apud hos totus homo animus est: Sed nil obstat, quum dicatur corpore utens. Hoc significasse uidetur aenigma magicum, quo dicitur, Est res undique lucida, est res

res undique obscura, est media quoque tum lucis compos, tum casta. Mens siquidem est lumine plena, irrationalis anima prorsus uacua. In medullis est; ac ueluti collimitio rationalis natura: quae partem habet luminis intellectualis, parte caret. Anima immortalis, corpus morti additum, quo quid admirabilius? Quod diuinum est, quod architecti obsignatum imagine est, uinctum (ut sic dicam) catenis ab terreno, crasso, obesoque, & re uera nugali pertrahitur corpore. Sed adest admiratio altera, quoniam pacto in carcerem tenebricosum intrusus animus afficitur ad diuinam? Aut curnam Plato hominem non contentus miraculum appellasse, adiecit diuinum miraculum? An quia ex intimo prouidentiae sinu id ita profluxit? docuit certe Timaeus, ab opifice mundi deo rationalis animae substantiam emanasse. Hominem denique ne quid praeteream sciens, pronunciat Pythagoras, esse rerum mensuram. Id aenigmaticè prolatum sic ferme intelligendum: sensu enim utique sensibilia metiri, intellectu intelligibilia: quae ultra intelligibilia sunt, excessu attingi. Nam dum cognitiuam animam esse cognobilium scit finem, ex sensibili potentia sic se habere sensibilia scit: ut sentiri ualeant. Idem & de intelligibilibus, ut intelligi possint. Excedentia autem ita, ut excedant. Quo fit, ut in se comperiat homo uelut dimetiente ratione, creata omnia. Hominem Mercurius etiam secundum esse deum uaticinatur, quando sicut deus entium creator realium est, ac naturalium formarum, sic & homo rationalium entium, ac artificialium formarum, quae sunt humani intellectus similitudines, uelut creata diuini censentur intellectus imagines. Non praeteruendae parte hac Origenis praestigiae ausi prodere, quod & ante paulo attigimus, Animas fuisse in caelo angelos, ex peccati autem labe ad inferna deuolutas, & uelut in sepulchra proturbatas. Siquidem corporibus coercitas ueterum delictorum supplicia luere. Namque corpus haud censendum Christi templum, sed plane damnatorum carcerem. Quo argumento animas Graece *ψυχαι* nuncupari, & *πνευμα*, quoniam pristina exuta caloribus uel ad terrena sint dilapsae. Sicut uinculi ratione corpus eiusdem linguae proprietate uocetur *ψυχαι*, aut etiam sepulchri, *σδμα*.

Mundos esse tres. Hominem dici quartum mundum, in quo simulacra sint reliquorum trium. Item esse ueluti Proteum. Pyramis. Aether quid, & aethra, Mundos esse innumerabiles, ex Origene. Cap. xviii.

**M**erum esse ne putamus alia, quibus praecellens haec, uerissimaque miraculi ueritas possit amplius latiusque comprobari? Audi, modo ne sit fastidio studiose lector rationalis naturae peculiare symbolum nosse, fateberis nil a me confectum, nil conquisitum uiolenter, omnia ad uerum appositissime congesta: quae artificis dei inenarrabile praedicant artificium. Cuius incomparabilis bonitas tam innumeris, tamque immensis instruxerat hominem suum dotibus, ut parentis uerissimam se inde imaginem recognosceret, ni ita obbrutesceret quandoque, ut caeno prouolutus teterrimo non iumentis modo, quod nec ipsum ferendum est, sed plane reptilibus propinquior omnino fiat, quam luminum & claritatis patri. Sed nos interim querelis dilatis, agamus quod praestat. Sunt auctores celeberrimi, qui ab maioribus mundos tres esse posteris traditos, prodant. Esse enim primum, & quidem summum, in cuius contemplatione caliget mens; rerum adobruta magnitudine, hebescant sensus: nec ullo modo par sit concipiendae excellentiae qualiscumque & quantuscumque sit humanus animus. Ultramundanum hunc intelligimus, eximium, augustissimum, incomprehensibilem: quem scientissimis angelicis, philosophis uero etiam intellectualem mos est appellare. Cuius commemorerit Plato etiam in Phaedro, illum astruens non posse pro dignitate uerborum copia ulla, uel ingenij praestantia efferi, decantarique. Proximum deinde locum habere, quem caelestem dicamus. Infimum uero, postremumque, quem sublunarem nuncupemus mundum: qui sit hominis maiestati contributus, sed quem etiam tenebrarum uocent conceptaculum, sicuti claritatis incomprehensibilis illum. Nam caelum mediae cuiusdam naturae ex luce contemperatur, & tenebris. Nec me fallit doctissimos opinari, hosce tres mundos esse mundum unum, quando ab eadem profuunt origine, & in eundem corriuantur fontem, & debitis numeris, harmonicaque naturae cognatione, & graduum serie colligantur. Adde, quod singuli ferè habent, quod in omnibus simul deprehendas: illo tamen discerniculo, quod quae in mundo uisuntur infimo, in superioribus item pernoscentur, sed am-

pliora angustioraq; Siquidem nostra hæc ab sublimium excellentia abire longius & degenerare. Est apud nos elementaris ignis urens: est in cælo igneus sol fouens uiuificansq;. Postremò seraphicus intellectus est ultramundanus ignis, amore ardens. Elementaris aqua calorem perimit adobruitq; uitalem, alit cælestis. Supercælestis mens che rubica intelligentia supereminet. Sunt uerò qui quartum astruant mundum, in quo item recognoscamus quæ in reliquis. Hic nõ est alius, quàm homo. De quo id extritum passuumq; circumfertur, esse utiq; hominem mundum, sed minorem: sicuti cõmeminitiam in Physica auscultatione Aristoteles: cuius sit corpus elementare, spiritus cælestis, uegetalis potentia, cuiusmodi in plantis, sensus, perinde ac in brutis: adsit demum ratio, & mens angelica, & dei charagma insignitius. Sed & mundus ipse, magnus dicitur homo. Verum audi præsignem rerum excellentiã, audi quod admirari nõ desinas. Tres esse mûdos, liquet. Sed esse in homine simulacra omnium, necdum forte liquet. At qui sunt quidem argumento, quod nequaquam refelli aut dilui possit. Sic autem manifestò deprehendas, si hominem trifariam distribuas: ut sit caput portio prima, quæ & summa: mox secunda, quæ media, ab collo ad umbilicum spatietur: reliquam habeant ima corporis. Hæc examullim ratione exactissima tribus mundis analogicè responsant. Caput rationis mentisq; sedes est. In pectore cor, motus, calor, uita continet principia. Genitalis portio, seminarium productionis est. Mûdus itidem angelicus, siue intellectualem maus nuncupare, intelligentiam habet, ut scopum. In mundo mediano, uita, calor, motus fontem habent: ubi cordis uice fungitur sol, immoq; cæli cor sæpe appellatur. Noster uerò mundus (ut palam est) tum generationis, tum etiam corruptionis cõceptaculum. Iam arbitror, liquidò patet, eam esse hominis præstantiam, immo uerò naturæ maiestatem, ut meritò dici miraculum ualeat. Quod Barbarus quidam uerum nõ barbarè pronuntiasse, sed scienter fertur: qui quum interrogaretur, Quid in hac quasi mundana scena maximè putaret admirabile? Hominem, respondit, omnem planè admirationis caput excedere: ut qui non animalium modo princeps, & rationis ac mentis splendore diuino sit, ueluti naturæ totius interpres: sed tanquam Proteus aut chamæleon defultoria quadam potestate sese in quidiuis subinde transformet. Cæterum illa omnium exactissima demutatio, qua mente ac intelligentia uiuens in animæ florem reuocatus transit in deum, quæ solida demum ac uera est humanæ excellentiæ admiratio. Inter placita Origenis est ex secundo *πῶς ἀρχαῖν*, innumerabiles esse mundos: nec, ut est ab Epicuro proditum, uno tempore plurimos, & sui similes: sed post mundi unius finem, alterius esse principium: nam & ante hunc mundum fuisse item alium. Scitu uerò nõ indignum, Pyramidem dici lucem igneam in corporei ac immaterialis mundi, qui uocetur Græcis *αἰὼν*, à nostris æternitas, & æther: quando æthra quoq; æternitatis indicet fulgorem, ubi non corpus uisitur, non locus habetur, non uacuum, non tempus, sed entia optimam uitam ducentia: ut scribit Peripateticorum Coryphæus. Ætherem hoc sensu accipit Pythagoras, quum ait: Si relicto corpore in ætherem liberum perueneris, eris immortalis deus. Liberum dicit, ut qui sit à materiæ potentia segregatus, calefcatur autem dei ardore, ac insensibili motu inferiora calefciat: unde sit æther nuncupatus, *ἐκ τοῦ αἰὸς ὁρᾶν, ἢ γινῆναι*.

An ex terra fortuito generari homo queat. Mira de animalium quorundam spontali generatione. Venenatorum, & morsu obledentium origo. An esse possit uniuersale diluuium, ex Auerro.

Cap. XI

**S**ed in hac rerum angustiore excellentia mirari succurrit, quorundam parte hac parum perspicacem, parumq; excussum prudentiam, immo uerius oscitantem planè, ac dormitantem sapientiam: qui eximiam, ultraq; quàm pro dignitate possit quis expendere, hominis amplitudinem nil prorsum suspicientes, nec artificis statera sed trutina examinantes populari, eius productionem, & initialem originem incertis fortunæ flatibus mandare, nil sunt ueriti. Phœnicum siquidem & Aegyptiorum theologia casu homines, ac reliqua animantium genera prorepssisse è terra alleuerabat, nullum inter rationalem animam & irrationalem substantiam interstitium opinata. Scribit enim Porphyrius, uisibilis solis agente uis, animantes cunctas ex terra profusas uisceribus, inter Aegyptiorum placita censerì. Quod ipsum nec Euripidi Anaxagora

gora consecratori displicuisse uidetur, asseruit & Archelaus cognomento Physicus. Verum inter alios mirari me plurimum ingenuè fateor; singulari scientia uirum & ingenio exactissimo, ac subactò in primis, id est usu, auditione, lectione ac literis perpolitò cultòq; Auicennam, qui opere eo quod De diluuijs est, astruere est ausus: Post immensas terrarum inundationes, humano semine nullo, tabidis tantum cadaueribus semini ubertatè præstante cælestium corporum affluentia, hominem & solere & posse reparari. Proinde colligit, nõ uideri ad generationis necessitatem uuluam requiri, aut locos, nisi ut melius formetur infans. Alias perrarò admodum regionem inueniri generationi accommodã ob repentinas elementorum mutationes: Assertioni uerò suæ argumētum inde profert, nõ modo alicubi è terra mures progigni, qui mox per coitum mirè excrescant: uerum serpentes quoq; ex mulierum præcipue capillis concipi, quod productiores sint, humectioresq; natura. Quin De animalibus item libro quintodecimo, sibi amicum astruit fuisse, qui scorpionum generationem mirabili procurarit modo, à quibus mox alij plures propagati. Porro, inquit, uideri quandoq; animalia produci capitibus longe à suo genere diuersis, cuiusmodi esset homo elephantino capite, aut alinus canino. Id uerò fieri nõ posse, nisi cælestis cooperetur uirtus. Vnde coniectatio manifesta, inesse illi formandi potentiam: Obseruatum rursus, stellarum quasdam hominis generationem prepedisse, quanquam cæteris ad generandum nitre concurrentibus. Esse uero stellas hæc in arietis signo, quarum uirtute, monstrifica succrescat soboles: diuersa uerò ab ijs effici, quæ generationi sint destinata, quod lapides probent natura producti ad membri uirilium muliebrisue imaginem. Vt uerò poetica item non omittamus, arbitrat in Theriacis Nicander, Venenata & morsu obledentia ex Titanum sanguine, hoc est Typhoei, esse cõcepta. Quin Heliodum habere se auctorem fatetur. Sed apud illum hoc nusquam comperis. Verum id genus animalia ex Typhonis cruore propagata, scribit Acusilaus. Apollonius uero Rhodius in Alexandria constitutione, ex Gorgonis guttis sanguine stillantibus. Sed ad rem. Huius deniq; sententiæ, quæ Auicennã præfert auctorem, Auerois item commemorat octauo Physicæ auscultationis, ubi ait: Hominem ex terra generari, possibile arbitrat Auicenna. Cæterum astructio hæc infausta, & ueritatis nescia, censerì debet, nisi Mosaico intellecta sensu: auctor enim Auerois est, sufficere quidem stellas animalium generationi nõ perinde dissimilium, quo in genere mures sint, uesperitiliones, talpæ. Ad perfectiorum uerò productionem, ut hominis & leonis, imparem esse cælestium corporum uim. Et de homine quidem cõstare creditur, quoniam eius anima nõ educitur de potentia materiæ, sed contribuitur ab datore primo, uel ex philosophis scholis: proptereaq; ad eius productionem præexistere hominem, necesse est. Sed & in cæteris item perfectis astrui fere hoc ipsum potest. Eorum quippe generatio nõ parui est operis, sicuti auctor Aristoteles est: ad eamq; plura concurrant, oportet. Asserit quoque tertio De anima Auerois idem, diluuium ita nunquam inundasse terras perniciosè, quin aliqua euaserint animalia: nam quum stellarum diuersa sit potestas, si quarundam uis alicubi scaturiat inundatio, alias diuersæ, ac interim contrariæ uirtutis aliud posse alibi efficere. Sed non inutile forsan uideatur Aueroica protulisse argumenta, quibus subuertitur Auicenna: Si fieri posset, inquit, hominem è terra generari, ut concipiuntur uermes, tunc aut foret id necessarium, aut maiori ex parte, aut minori. Quod si necessarium, tunc ab homine non omnino generaretur homo. At si maiori ex parte, tunc ab homine generaretur homo minori ex parte. Si & casu hoc contingeret, minori utiq; esset ex parte, id est casu: eademq; inueniretur species, natura & casu. Quum tamen quod casu sit, ei semper opponatur quod naturæ prouenit uis. Si uerò sic detur, perierit comparatio causarum, & respectus ad ea quæ ex causa profluunt, & inde necessarij tolletur natura. Et mox idem Auerois: Nulla, inquit, species inuenitur casu: at quæ huiusmodi comperiuntur, monstrosa intelligi utiq; debent, non naturalia. Et hoc totum per se manifestum sit. Illud omnino mirum, quibusdam ex philosophis traditum, quia respuat natura in finitum, uideri forsan non impossibile admodum, aliquem unum assignare hominem naturalitè aditum humano semini: quod duodecimo Metaphysices Aristoteles innuit, eumq; *πῶς ἀρχαῖν* uocat, id est perfectum.

Homo

Homo duobus modis ab Hebreis dicitur, Enos, & Adam; sed Adam, idem est simpliciter quod homo. Vnde sit coniectatio, hominem recte ab humo dici. Animantium interstitia compositionis ratione. Cap. xx

**Q**uoniam uero de homine nobis indago est proposita, non inepte opinor, hic illud inseruerimus, Eum in Hebraica ueritate duplici insignitum uideri nomenclatura: aut enim dicitur Enos, aut Adam. Sed Enos Latino interpretamento non fere signat aliud, quam hominem uerum: & hunc non alium intelligunt, nisi qui deum uerum scienter cognoscat & pie colat. Reliquos ab pecoribus nil admodum diuersos opinantur, quoniam uelut bestia ad terram proni, uentri obediunt & Veneri: quorum alios lupos, alios canes, alios porcos, uaria quadam uitiorum similitudine appellant. Adam uero est humani generis appellatio communis, quo nomine terra natus significatur. Eademque uoce utrunque includi, marem, foeminamque, probat Geneseos quinto scriptura: Masculum & foeminam creauit eos, & benedixit illis, & uocauit nomen eorum Adam. Quo in loco testantur interpretes, & est contra Iouinianum ab Hieronymo confirmatum, sed & in libro Hebraicarum traditionum in Genesim, dictionem Hebraicam id sonare quod apud nos homo. Nam & Caius ait, hominis appellatione, tam masculum quam foeminam contineri. Quam obrem Lactantium arbitror ad credidisse, uideri appellatum hominem, quod sit factus ex humo. Sed etymon id Fabio non admodum arrisit, Quasi uero non omnibus, inquit, animalibus eadem sit origo: aut si primi mortales ante nomen imposuerint terrae, quam sibi. Ceterum quam procedat Quintilianus ratio, perspicuum arbitror ex ijs quae proposuimus. Hinc quum in sanctis literis dicitur filius hominis CHRIS TVS, Adae filium intelligunt eruditiores. Quum uero ex animalibus dicantur quaedam *αγέλαα*, id est gregalia: quaedam *μοναδικά*, id est solitaria: nonnulla *ασορική*, quae inciuilia dixeris, & ipsam habitantia: hominis naturam *επιμορφωμένη* apertum est, quod ancipitem signat societatis & solitudinis. Putauit forte Fabius, ex sociali coitione nuncupari hominem, ex Graecis rationem aucupatus, apud quos *ἄνθρωπος* insimul signare manifestum est. Verum Hexaemeri sexto Ambrosius, ab humanitate inflecti nomen est opinatus, sicuti ab intuenti uiuacitate *ἀνθρώπου* à Graecis nuncupari. Vbi uero in literis sanctis legitur: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: haec uocabitur mulier, quoniam ex uiro sumpta est. Non uidetur, inquit Hieronymus in libro Hebraicarum quaestionum in Genesim, in Graeco uel Latino aperte respondere. Id uero Hebraice seruat ratione etymologica integrum, nam uir appellatur *אדם*, & mulier *חַוָּה*. Propterea Graece Symmachus: *αὐτὴ κληθήσεται ἀνδρὶς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρός ἐλήθη αὐτή*. quod Latine haud exprimas aliter, quam uocabitur haec uirago, quia sumpta ex uiro est. Illud uero huic potissimum loco impingam, ab instituto nil profus dissentaneum, Ex animantibus quae plus habeant aeris, ea esse praetenera: quae uero aquae, lenta humoris uis: quae terrosa, duritiem praeferre. At quae ignis exuberent copia, uideri utique fragiliora. Ex ijs porro liquere potest, unde sit, quod si recipiat aquam & harenam calx, confirmatur structura. Non dissidet ab ijs illud quoque, uolucres in aere suspensas ideo perseuerare, quod de leuioribus confurgant principijs, quippe minus habent terreni atque humoris, item aeris multum cum caloris temperatura. Aquatiles autem piscium naturae, quod a calido cōtemperantur, ex aere terrenisque compositae plurimum, humecti minimum habentes: proinde, quo minus e principijs habent humoris, facilius in humore perdurant. Terrestria uero, quod e principijs ab aere caloreque temperata sunt, minusque habent terreni, humoris plurimum, haud ita diu in aqua perseuerare quiuerint. Empedocles non satis perite animalia censet calidissima, & summam ignis uim habentia, esse aquatilis generis, quo caloris exuperantiam, quam in seipsis inclusam sentiunt, eurent. At summa ratio est, inquit in libro De spiratione Aristoteles, ut quae ex humore ac frigore consententur, in humore locentur: quae ex siccitate, in re omnino sicca: unde sit, ut arbores non aquarum, sed terrae, quasi uernaculae sint. Porro quae calida in aere, si humor & siccitas, ut materia, omnibus subternuntur corporibus.

Quibus item probetur homo similis mundo. Apocatastasis quid. De stellis in quatuor mundi cardinibus. Hominis laus ex Cicerone. Cap. xxi

Quod uero



Quod uero attinet ad hominis cum mundo assimilationem, id item adijci posse, animaduerto: nam inquit in Polyhistoro Iulius Solinus, Quatuor manibus expansis inter digitos longissimos modus est, tantum constat esse fere inter calcem uerticemque summum: ideoque ab physicis coniectatum, hominem esse plane mundum quendam minorem. Commeminit horum & affluentius quoque primo De animalibus magnus Albertus, astruens hominis membra situ ac positione caelo esse cōsimilia proportionem ac mundo, ideoque esse perfectissima. nam ueluti superna mundi mouet intelligentia, & regit: ita humanum caput, in quo intellectuales sunt uirtutes & animales, supernam obtinet sedem. Verum ex quo cœpsimus, ne praetereamus id quoque quod asseri scitissime potest: siquidem apocatastasis illa ueteribus obseruata & prodita, imaginem hanc adiuuat eximie: Ea uero nil est aliud, quam restitutio siue redintegratio rerum, quae certis temporum curriculis redeat ad metam. Fit autem uel per *κατακλιση*, hoc est cōflagrationem: aut per *κατακλυση*, id est inundationem. Id ipsum uero quod in homine magno usu uenit, nec a paruo item abesse; cōpertius est animaduersum a peritissimis rerum, ubi transmissis uitae spatijs, interuenit resolutionis necessitas. Quandoque enim intimo calore acutus grassante, incenduntur uitalia. Quandoque uero corpus nimis laxatum humorum inundationibus euaporat. Ita semper aut ignito ardore decoquimur, aut nimia desudatione dissoluimur. Nec aliter artis medicae prudentissimi interpretes, substantiam humani generis naturali pronuntiant ratione compleri, nisi aut humore igneus contabescat calor: aut hoc amplius inualecente, humectatio exarescat omnis. Sic omnifariam ad mundi imitationem artifex natura, siue deus potius hominem compegit: ut quicquid mundum senescentem perimit, uel instaurat nouum, id ipsum hominem quoque aut natum foueat, aut adultum perducatur ad interitum. Sed animaduerte quae ab peritioribus sunt uisibus nostris prodita: esse uidelicet per singulos mundi cardines a conditore ac principe deo stellas ratione mira cōstitutas: quarum prima sit, & orientalis *ἀνατολή* nūcupata: occidua uero *δύσις*; quo nomine significatur occasus: nam & *δύσις* uocat Aristoteles, quae demergi in aquam solent. at quae ab Aquilone refulget, Arctos: in diuersa uero parte, quae medij est diei, *μυθη βενός*. Ex quibus, demptis modo elementis primis, coalescere ac confurgere parentis primi nomen; non ingeniosius, quam admirabilius excellentis doctrinae uiri deprehendere. Nec fallimur parte hac, caelestium peritos, cardinalia intelligere loca, ortum, occasum, mesuraneum, seu apogaeum, id est caeli medium, & hypogaeum, id est caelum inum. Hec si quis onia intentius in digitos mittenda curarit, fateatur necesse est, augustissima quadam & profum inenarrabili ratione in uitalem hanc lucem hominis speciem esse productam. In quo si quis etiamnum tam inscite pertinax est, ut ambigendum putet, Age perpendiculari non sopita consideremus amplius, quantum singularis eminentiae praepotens illud agens huic animalium principi benignissime sit elargitum; ut rerum in uolucris exsolutis, & sacrarijs illustrius reseratis, desinat homo imprudenter, & proinde ingratis summi officis foecundissimam aestimare bonitatem, quando paterno affectu ornavit praecelso, & fouit amplissime, libeat modo munerum recte magnitudinem metiri. Ab summo quippe deo, ut M. Tullius inquit appositissime, ex tot animantium generibus atque naturis homo tantum factus est rationis particeps & cogitationis. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra diuinius ratione? quae quum adoleuit atque perfecta est, nominatur rite sapientia. Est itaque, quoniam nil est ratione melius, eaque in homine est & in deo, prima homini cum deo societas, mox & hominum inter se eiusdem lege cōciliatio, & ciuilitatis communitio sub caelestis discretionis, ac diuinae mentis & dei praepotentis imperio. Ciuitas uero ea non alia, quam mundus, spiritibus augustioribus, & homini communis.

Omnis nostra dignitas ab anima est, quae uehiculum est ad deum, & imago mentis. Spiritus corpora praeparat ad animae susceptionem. Augustini, Pythagora, Platonis, Aristotelis opinio de anima. De Entelesia quae piam. An per accidens corpori insinuetur anima. Et an fuerit ante corpus. Cap. xxii

Quo uero

**Q**uo uerò exploratius pernoscantur quæ dicimus, iam hinc præciperere quæpiam, futura (ut reor) studiosis non ingrata de animæ ratione, non differentia philosophi modo, sed narrantis potius, quæ uaria nec incuriosa suggererit lectio, ingrediemur. Siquidem omnis nostra dignitas ab anima est. Orbati namque anima, sterquilinio abiectiores esse uidentur. Iam uerò, inquit Plotinus, propter ipsam hic mundus est deus. Sol quoque deus est, quoniam animatus: stellasque similiter omnes. Quòd si animam ipsam admiraris in alio, admirare te ipsum. Quumque sit anima res tam ueneranda, tamque diuina, confusus iam tali quodam uehiculo ad deum te accessurum, hoc ipso ad illum ascende. Nec tamen longius es uagaturus, si sumperis quod est in hoc diuino diuinius, id est uicinitatem animæ ad supernum, post quod uicinum, & à quo est anima. Quando est anima imago quædam intellectus ipsius, quemadmodum uerbum in prolatione, uerbi existentis in animo, sic & anima mentis est uerbum, & tota est actus atque uita, quam producit in alterius existentiam. Sunt ex Platonis qui asserant, præter uitas animantium proprias, subesse cunctis communem uim uegetalem, totam ubique uigentem, quæ & præparet materias proprijs animis, & tempore certo cõseruet, & in unum uiuentia cuncta cõciliet. Hunc Pythagorici referente Sexto Pyrrhonio, esse dicunt spiritum in modum animæ rebus cunctis interfusum. Animum esse finit Augustinus, si modo subditius liber hic non est, cui De spiritu & anima titulum indidere, substantiam quandam rationis participem, corpori accommodam regendo. Animus, inquit, sapientia illustratus, principia respectat sua, seque ipsum agnoscit: quamque indecorum sit, haud ignorat, si extra quæritet, quod in ipso se continet. At si affectionibus cõsopiat corporis, & sensibilibus ille cõtatione formarum extra se feratur: quid sit, aut fuerit, uolens obliuiscitur, nilque esse opinatur, præter quod uidetur. Quòd si per intelligentiam ab hisce re uocetur, sese surrigens ac colligens disparatum, rationalis iam euadit. Est siquidem ratio animi aspectus, quo per se ipsum uera cõcipit ac speculatur. Nam dicitur ratiocinatio, rationis inquisitio. Quo fit, ut ad uidendum, illa sit opus: hac uerò, ad inquirendum. Anima porro credi non debet dei pars, sed creatura: nec de substantia dei producta, uel de qua libet elementorum materia, uerum ex nihilo creata. Nam si de se ipso ab deo foret effusa, non utique sceleribus inficeretur. Quòd si ex elementis, tunc planè esset corporea. Pythagoram nonnulli scribunt, Animæ substantiam in animas distribuisse plures, quæ diuersis contribuuntur membris, ita quod eorum singula animalia sint: ut cor animal unum, item cerebrum animal, & deinceps: ut animal unum ex pluribus uideatur animalibus compactum. Putant & Platonem credidisse, Animam ex diuersis constare substantijs iuxta essentiam & situm. Quia uerò congruant animando, unam dixisse animam unumque animal constituere. Id & Aristotelem esse opinatum, ubi De animalibus libro decimo sexto ait, Inesse infanti primum uegetatiuam animam, mox auctiorem habere & sensilem, per quam dicitur animal. Ad quod ferè uidetur respexisse poeta disertissimus Pontanus, ubi in laudibus diuinis de hominis fabrica, sic ait:

Mox auram ætherio de fomite fundit in illum.

Viue ait, & propriò membra labore foue.

Arcanæ mox partem animæ de mente profunda

Libat, & erecti spirat in ora uiri.

Sed reuera cuiusque animati una est anima iuxta substantiam, ex potestatibus uerò plures. Quod uidetur sensisse Aristoteles primo De anima: Dicunt, inquit, diuisibilem esse animam, & alio quidem intelligere, alio autem cõcupiscere. Cæterum scire amplius cõuenit, apud Philosophum hunc aliud esse mentem, aliud entelechiam. Quippe illa uocatur, & immortalem opinatur: hanc uerò animam intelligit, & mortalem planè. Proinde secundo De anima, esse animam ait entelechiam corporis primam naturalis, potentia uitam habentis, cuiusmodi sit organicum quodcumque. Entelechiam sunt qui Latine perfecti habiam sint ausi interpretari: quando, ut Themistius inquit ex Aristotelis doctrina, eo nomine non aliud significetur, quam perfectionis habitus: etiam si M. Tullius Thufculanarum primo, Motionem indicari perennem sit arbitratus. Quum tamè *ἀκίνητον τὸ ψυχικόν*, id est animam immobilem, Aristoteles pronuntiet, omnis uerò auctorem motus. Subolet tamè eruditioribus interpretamentum illud de perenni motione subditium

subditium esse, nec de summi auctoris officina propagatum, sed ab sciolis & male feriatis insertum, quod genus multa tum Græce agnoscimus, tum Latine. Entelechiam porro etiam in brutis accipi uolunt, nec in ijs modo, uerum & in plantis. Dici autem entelechiam, ueluti *ἐντελεχίαν*, id est corporis perfecti coaptationem, comprehensio nemue. Sunt qui entelechiam intelligent duplicem: aut enim, inquit, anima est irrationalis, uel etiam physica, quæ à corpore disparari prorsum nequit: aut rationalis est anima, quæ seiungi ualet à corpore. Scitu dignum quod Lucianus scribit in sermone, cui titulus est *ἑντελεχίαν*, Entelechiam prius dictam, mox in Entelechiam declinasse: accusatur enim ibi τ, ubi ait, *ἀκούετε φωνήν τι θεῶν, τὸ μὴ ἄλογον, ἀφ' ἑλέτο μου τὸ ψυχικόν, ἑντελεχίαν ἀφ' οὗ λείπονται πᾶντας οὐ νόμους*. Animas porro humanas sunt qui per accidens corporibus autem insinuari, ac esse modi eiusdem cum spiritalibus substantijs, corporibus quæ non iunguntur. Proinde cum angelis simul omnes creatas produunt. Id quod Christiana respuit ueritas. Si enim per accidens infundatur corpori anima, esset utique homo ens accidentale, uel animam esse hominem, daremus. Quod ab ueritate agnoscitur dissentaneum. Animam uero nostram non esse cum angelis naturæ eiusdem, liquet ex intelligendi ratione diuersa. Neque enim percipit angelus ab sensu mutuando, & ad phantasmata se conuertendo. Proinde corporibus indigent animæ, ut sensilis perficiatur potestas. Adde, si animæ est naturalis corporeus nexus, nimirum corporis abiunctio præter naturam est, nec tunc perfectionis est compos anima. Quamobrem ab imperfectis deum esse exorsum, haud fieri probabile: ab ijsque, præter naturam quæ sunt, neque enim manuum aut pedum exortem fecit hominem. Propterea citra corpus animam multo minus. Quòd si coniunctionem esse naturalem inficiaris, unde fiat amplius quærendum. An ex animæ ipsius uoluntate? Sed quo modo non absurdum? Cur enim si corpore non indiget? Nam si indiget, naturale iam fit: neque enim in necessarijs deest natura. Porro cur post tantum spatij decursum cõiunctionem expectant? Deinde casu ita fieret, ut huic corpori insinuaretur anima hæc: exigitur quippe aduentantis animæ uoluntas, & hominis generantis. Quòd si uolenter adigitur, supplicium erit, ac euidentis calamitas. Quòd & Origenem magno errore opinatum, aduertimus, qui ob peccati pœnam in corpora intrudi animas, prodit. Quare ante corpus fuisse animam, haud sentiendum. Augustini sententia est, Dei nutu ad corpus animam uenire: ut si ex præscripto uixerit, æterna consequatur præmia: sin aberrarit, dolore torqueatur perpetui, seu igne æterno.

Animæ distributio secundum potentias. Mentem esse uice luminis, & instrumenti, & uisus. Qui sit Ianus bifrons. De mentis capite, siue flore. Animæ officia tria. Quid sit animam à corpore segregare. Animus & anima quo discernantur. Plinij locus declaratur. Cap. xxiii

**T**Raditur ergo ab eodem philosopho Aristotele, Potestates animæ esse duas, alteram quidem rationis impotem, alteram uero compotē. Prior pars in duo dissectatur: in nutritiuam, quæ rationem audit nunquam: sensilem appetitum, qui obtemperet quandoque: & hic duplex intelligitur, concupiscibilis & irascibilis. Potestas rationalis distribuitur item in duo, in rationem actiuam, & speculatricem. Virtutes morales in uoluntate constituit, & appetitum, qui rationi obtemperet. Cæterum earundem principia uirtutum in actiua ratione, uirtutes speculatiuas in ratione speculatrice. In sexto Moralium Aristoteles item, rationem esse asserit humanæ animæ partem: duoque agere, cognoscere scilicet, & humana gubernare per prudentiam atque artem. Naturalia uerò, diuinaque per sapientiam contemplari, quæ intelligentia & scientia continetur. In libro item Encyclicarum quæstionum; Ab natura, inquit, quæ omnium parens & auctor est, duo nobis instrumenta esse contributa, quorum maxime opera extrarijs uti ualeamus instrumentis: manum siquidem corpori esse insertam, animo autem mentem: nam & hæc, inquit, inter ea quæ elargita nobis natura est, recenseri debet, uice utique fungens instrumenti. In primo De moribus, Mentem esse inquit, in anima, sicuti est in oculo uisus: & Rhetoricorum tertio, Mentem inquit, ut lumen, accendit in anima deus. Vt uero Aristotelicum dogma exequamur plenius, Intellectiue potentie partes essentielles duas astruit philosophus is, intellectum potentia, & intellectum actiuum. Sunt enim

inferiora superiorum imagines: proinde a corporum compositione separatarum item substantiarum animaduertitur compositio: quippe præter primum omnia pernoscentur composita. Illud autem in Metaphysicis entelechiā esse solum, & actum pronuntiat purum. Reliqua uero quum a primo essentialiter disparentur, necessario compositionem respiciunt. Sicut autem ex materia & forma consurgunt corpora ratione haud dissita, intelligentiarū coopratio deprehenditur. Quæ est intellectus potentia, & actu intellectus. Neque enim in ijs materiam agnoscit, & formam: sed his proportionales partes, intellectualibus accommodas substantijs. Et quando potentiam in corporea conspiciamus materiam, & in forma actum: itidem substantiarum separatarum essentielles portiones intellectum potentia, & actu intellectum constituit. Cæterū super re hac plura paulo sequenti uolumine. Sed ne quem nominū diuersitas implicet, scire licet, apud Platonicos mentem intelligi duplicem: alteram inferiorem, quam rationem appellant: diuinorem alteram, superioremque, quam intellectum nuncupant. Illa humana temperat, & moderatur: hæc diuina suspicit, & contempletur. Quæ sanè mens ita distributa bifrontis lani rationem complectitur. Augustini illud planè diuinum: Distribuitur, inquit, ratio in id quod superius & quod inferius, in sapientiam scilicet ac prudentiam: ceu dicas, in uirum ac mulierem: ut sit superior, uir, & regat: inferior, mulier, ac regatur. Vnde est illud: Melior est iniquitas uiri, quam benefaciens mulier. Melior quippe est, qui cælestium desiderio sufflammatus carnem necessaria subtrahendo afflictiat, quam qui uoluptatibus delinquitur ex aile illi satisfactum uult. Huius porro speculatricis mentis intimum uim Plato, mentis caput nuncupauit. Sed dicitur animæ item unitas, centrumque totius animæ. Zoroaster ille scientissimus, & ueterum theologorum fons, uocat *ψυχή* *δωδὸν* *ἔμπερον*, id est animæ immortalem profunditatem: propterea inquit, Quoniam anima per potentiam patris sit ignis splendidus, dominetur in te animæ profunditas immortalis, & oculos omnes unā tolle in altum, tunc neque item materiale corpus in præcipitio relinques. Ignem uocat, ut obiter hoc à me tuleris studiose lector, luminosam claritatem, quam impertit animæ deus: cui per unitatem sibi impressam, quæ est unitatis diuinæ character, coniungitur: abs qua unitate animæ, tanquam à centro, profluunt uires aliæ. Oculos uero ubi surrigendos omnes ait, quæ in cognitione uersentur, potentias intelligi uoluit. Præcipitij uero nomine mundi uocat partem infimam, magica loquendi consuetudine. Porro mentis caput hoc aliubi idem magnus auctor florem mentis appellat, *ὅσι π νονδου, ὁ ἄρι* *σε νοσῖν νόσ ἀβη*: est intelligibile aliquid, quod mentis flore apprehendendum est. Ex ijs uero quæ hic prodita nobis sunt, tria potissimum animæ humanæ collige munia: unum, quo agit in corpore: aliud, per corpus: tertium, per seipsam: & agit quidem in corpore per eam uim, quam uegetatricem Peripatetici, Platonici uocant naturam. Per corpus agit, sensibus utens, tum interioribus, tum exterioribus. Per seipsam uero, quum animæ uis mera, incorporea incorporeis intendit: quam quidem actionem intelligentiam nuncupant. Ad quam Plato respiciens, Plotino interprete, de anima nostra ait, eam tum condere caput intra cælum, tum extra cælum caput attollere. Quum uero in Phædone, & Theæteto separare animam à corpore iubet, non loco præcipit segregare. Sed monet, ne corpori animus adnuat, neque imaginationi consentiat, neque ob corporis commercium alienetur à mente, coneturque, quatenus effici potest, subditam sibi animæ speciem secum ad superiora perducere. Porro sicuti traditum scimus in libro de Platonis dogmatè, ac Hippocratis, Animæ potentias Plato animas nuncupat, propria cuiusque substantia excogitata. Et est una quidem animantium destinata nutritioni, plantis etiamnum promiscua: cui uelut fons, secur est attributum, unde tanquam fistulæ in corpus totum propagentur uenæ. Facultatē hanc nunc epithymeticen nuncupant, physicam quandoque, nonnunquam & threpticen. Aliam uero animam in corde constituit, quod & ipsum est caloris innati cōceptaculum, ex quo sese promant arteriæ. Huius item euariat nomenclatura, dicitur nanque *ζωτικὴ* facultas, & *θυμοειδὴς*. At quæ *λογιστικὴ* appellatur anima, capitis sibi arcem uendicat, actionum ex proposito, ac sensuum dux, cui subserviant nerui, uelut sensuum uehicular, & motuum, qui corpori affunduntur uniuersim. Animum & animā, inquit Augustinus, pro eodem capimus: anima tamen uita est: animus autē, consilij. Proinde ab philosophis astruitur, sine animo uitam perseverare: citra mentem, animam

mam quoque, ut in amentibus. Et Plinius ipsum hoc innuit, quum deum sic describit: Totus est, inquit, animi, totus anima.

Quod sit animæ idolum: item quæ imago, & umbra. Ex quibus fiat animal.

Adam & Eux mystica interpretatio.

Cap. XXXIII.

**A**nima, Platonici inquirunt (nam eorum præcipue uerbis rem collibuit explicare, quod sæpe facimus, ut dictis auctoritas accedat maior: comparet, contendantque qui uolet) substantia est, & uita. Actus hic eius inseparabilis, substantiale quiddam est, ac uiuificum: qualitas hinc tributa corpori accidens est, & quasi uitale. Actum illum appellamus animæ idolum, in quo sensus est uegetalisque natura. Qualitatem uero illam animæ dicimus imaginem & umbram, ex qua & corpore fiat compositum, in quo uoluptates doloresque sint corporales: quarum perturbationum sensus ad idolum animamque perueniant, perturbationes nequaquam. In ijs uero aduertendum eximie, quo sensu Plotinus, Origenes & Ammonius Mosaica mysteria sint interpretati. Siquidem hominem ipsum, id est animam intelligunt, quasi Adam. Humanum uero animal inde tractum, atque degenerans, quasi Euam: tractum, inquam, ex anima dormiente: hæc enim tunc animal ex se propagat, quando ex pristina apud deum uigilia ad naturalia labens, diuinorum oblita iam dormit & somniat. Itaque tum uitam corpoream generat, quasi Euam. Animaduerte hanc primò peccantem, illum deinde consentientem. Sed intellectum illi quasi angelum præsentem, & mox increpantē, & angelo deum. Denique duo in carne una, id est duas quasi in eodem corpore animas. Sed & magnus nostræ religionis auctor Augustinus super Psalmum quadragesimum octauum: Singulis, inquit, nostrum inest mulier hæc: quippe caro nostra, Eua est, quæ seducit uirum, id est rationem, per quam carnem labitur homo, quem lapsum calcanei nomine prophetica indicat sententia.

Vegetatricis animæ munus triplex. Altricis facultatis organa duo: item munia quatuor. Epeleustice motio quid.

Cap. XXXV

**S**ed age postea quam in animæ officia uolentes procurrimus, adijciantur ijs ex Peripatetica schola: quæ tum sint usui legisse, tum uero nostram hanc sciendorum congeriem instruant, & exuberantius congerminare quodammodo faciant. Sciendum est, inquit Thomas in secundum Aristotelis De anima librum, & ex philosophi eiusdem sententiâ Themistius ferè, inter uegetatricis animæ operationes tres ordinem haberi quædam. Nam munus primum nutritio est, qua seruat aliquid, ut est, quæ uolens est perfectius, diciturque augumentatio. Ea proficiunt enutrita in perfectionem ampliorem, tum quæritate, tum uirtute. Tertium uero perfectissimum est, ac finale. Hæc generatio est, qua aliquid iam quasi in seipso perfectum existens alteri præstat, ut sit. Tunc enim unum quodque maximè perfectum est, ut quarto Metaphysicæ comprobatur, quum producere quippiam eiusmodi potest, quale ipsum est. Proinde quia à fine nuncupari omnia, consentaneum est, & itidem definiri, finis uero operum uegetatricis potestatis est, alterum generare quale ipsum, consequitur, esse illam primæ animæ congruam definitionem: Vegetatrix est, quæ alterum eiusmodi queat generare. Sciendum quoque illud, quod Aristotelicum item est ex secundo De anima, esse organum duplex, quo altricis facultas perficitur, separatum, & coniunctum. Et alimentum quidem separatim intelligitur organum & inanimatum: coniunctum uero, calor intusus, quo ipsum id unde alitur, excoqui possit. Ex quo colligitur, Animatum omne quod connutritur, calorem necessario requirere, qui sit concoctionis exordium. Cæterum altricis hæc facultas quadrifariam munus implet proprium: attrahit enim, aduocatque primò cibum: mox aduocatum perficit, digeritque: inde secernit, quod nutritioni sit accommodum, retinetque: postremò retrimenticia, feculentaque excernit, aut secessu, aut urina, aut sudore, aut alio quouis modo. Potestates uero hæc in Græcis auctoribus Græcè ita nominantur, *ἐλκτικὴ*, *ἀλλοιοτικὴ*, *ἰσχυρικὴ*, *ἐκκριτικὴ* uel *ἐκκελευτικὴ*: at dicta eisdem Græcis *ἐπελευστικὴ*, nil ad propositum spectat negocium. Est enim Plurarcho tradente, motio in præcipua facultate animæ, qua propositis duobus eodem se modo habentibus, eiusdemque potestatis, necessitate iniuncta alterutrum eligendi, quamuis euidens causa nulla sese promat, alterutrum adnuente malum animo. Dicitur uero epeleustice, quasi aduentitia, uel superueniens

ueniens, quod non uernacula rei ratione fiat electio, sed extrinseca nostri animi proclinatione. Dicerem plura, sed alieno loco satis multa: ne fiat plane quod ille ait, *ἀκρίβεια* *ἔξωθεν*, hoc est sese ostentans auscultatio.

De animali uirtute, item naturali & uitali, ex Auicēna. De synteresi, & conscientia. Virtus in his quid. Cap. xxvi

**A**eterum quia medicorum scholae suas habent in hac re distinctiones, sua item uocabula, non erit molestum diuertisse paululum in Auicēnae hortulos, multis saepe doctrinae floribus per amoenos, arridētesq;. Ergo doctrina sexta Fen primae primae: Omnium, inquit, operationum uirtus initium est: hac enim ab iuncta, abscissa uero, nulla erit operatio. Virtutum uero apud medicos genera tria sunt, uitalis, animalis, naturalis. Sicuti uero deus unus, trinus, uerus ac perfectus omnia completur, implet, fouet, super excedit, ambit: ita & anima tribus hisce uirtutibus per totum insinuatur corpus, non quidem locali extensione, sed intensione uitali. Virtutem uero hic dynamin intelligo, quam Latine potestatem dicimus, ac uim, aut potentiam. Virtus, ad animam refertur potius: sed nos consuetudini indulsumus: uerum & arborum ac aquarum uirtutem Vitruuius dicit. Vnaquaeque porro uirtus (sicut philosophorum plerisque, & medicis omnibus uideo placuisse, sed Galeno in primis) membrum habet praecipuum in quo subsistat, abs quoque profluant operationes: quippe animalis in cerebro sedem habet. Praeterea naturalem esse aiunt uirtutem, cuius duo sint munia: unum fouere animal nutriendo, cui rei hepar ascribitur: alterum, generationi semen sufficere, atque informare ex summi patris instituto. Eius uero facultatis fontem esse testiculos uolunt. Virtus, quae uitalis dicitur, spiritus conseruat essentiam, qui sensus & motus uehiculum est: eius domicilium, cor est. Placet tamen, inquit Auicenna, summo philosopho Aristoteli, Omnium istarum uirtutum principium in corde constituit: ita tamen quod operatio euidens argumentum in praedictis primum se principis promat: sicuti apud medicos sentiendi fons ex cerebro profluit, nihilominus organum peculiare habet sensuum uniuscuiusque. Mox item paulo probabilior Auicēnae Aristotelis sit sententia, quam medicorum. Auicēnae interpres haec latius aperiens: Vitalis, inquit, uirtutis operatio est, laxare, & comprimere cor & arterias, ac uniuerso corpori uitam praebere, ac uitalis spiritum cum sanguine arteriali. Naturalis uirtutis opus est, generare, nutrire, augere cum ceteris quae his subseruiunt: hoc est, ut inquit Augustinus, appetendi potentia, retinendi, expellendi ac distribuendi. Animalis uirtus sensum producit, tum interiorem, tum exteriorem, atque item uoluntarium motum. Huic quoque uirtuti concupiscibilis pars, atque irascibilis attribuitur ab beato Thoma, quae portiones sunt sensitiui appetitus. Concupiscibilis admoueri suadet, quae necessaria uidentur, aut utilia, & id uoluptatis ratione. Irascibilis noxia repellit, ferturque ad ultionem praiceps. Forsan uero scrutetur quispiam, sit ne synteresis animae potentia peculiaris, ab ceterarum ratione seiuncta. Sed quum rationales potentiae ad opposita se habeant, ex Aristotelica haeresi, Synteresis autem eiusmodi non sit, uerum ad bona proluciat tantum, non uidetur omnino esse potentia. Quoniam si potentia foret, non absque ratione utique foret: neque enim in brutis comperitur. Proinde esse uidetur habitus potius, etiam si potentiam ratione prominentiorem, statuerint quidam. Nonnulli uero rationem ipsam, non ut ratio est, sed ut est natura. Verum sicuti speculabilem principia insunt nobis naturae uel necessario, ita & operabilem: ac ut illa ad peculiarem animae potentiam haud spectant, sed ad habitum, qui principiorum dicitur intellectus, quod Moralium sexto palam fit: Sic & haec peculiarem indicat habitum, syntereseos nomine celebratum. Ab synteresi theologiae periti conscientiam dispararunt, de qua idem omnino quaeri potest. Namque Origenis illud notissimum est. Conscientia spiritus est corrector, ac animae paedagogus, abs quo reuellitur a malo, & bono associatur. At in anima spiritus potentiam indicat, uel mentem utique ipsam. Vnde illud Apostolicum, Renouamini spiritu mentis uestrae. Vel imaginationem quoque: nam imaginaria uisio dicitur spiritalis, quod ex Augustino est, Geneseos decimotertio. Proinde uideri potentiam, colligi potest. Ceterum quia seponi conscientia potest, potentia non potest, consecutio est manifesta. Quare loquendi proprietate asseruata, erit actus, non potentia. Nam conscientiae uocabulum, scientiae ordinem praemonstrat ad aliquid. Est enim conscientia

scientia, cum aliquo scientia. Verum ad aliquid scientiae applicatio per actum fit aliquo, proinde est actus conscientia. Porro quoniam actus principium habitui contribuitur, conscientiae nomen habitui primo naturali; id est synteresi ascribitur. Quod in Ezechielem comprobatur Hieronymus.

Sensuum commoditas, & necessitas. Quatuor esse quibus rerum apprehenditur cognitio. Quibus insit sensus, Origo eiusdem. Neruorum paria septem. Spinalis medulla. Cuius anima uires suas magis in parte ista promat, quam illa. Cap. xxvii

**Q**uod uero ad sentiendi potestatem pertinet, equidem non uacat satis inenarrabilem artificis sapientiam admirari. Qui non contentus mentis nos ornasse celeritate: cuius eminentia paulominus caelium dignitatem assecuti sumus; sensuum quoque claritatem munificē est impertitus: qui tamquam satellites quidam & interpretes, ac nuntij in capitis regia, & rationis conspectu sunt circumiecti, ut aptius multo intelligendi, ac persentiendi ueritas mutuo nexu confoueretur: Quatuor enim sunt, quibus rerum apprehenditur cognitio: sensus, imaginatio, ratio, intellectus. At sensus, figuram non citra corpus, id est ipsam concipit corpulentiam. Imaginatio, ab corpore figuram seiungens effingit. Ratio, figura item abiuncta; non formam ipsam, uerum uniuersale, quod ex singulari figura materiae reundauit, altius speculatur. Intellectus uero etiam uniuersale supergressus, simplicem formam momento uno formaliter dispicit. Sunt qui cognitionum opifices quinque statuunt, quod scribit Ammonius, *ἄνευ*, *διανοίας*; *ἰδέσθαι*, *φαντασίαν*, *ἀποδοῦναι*, id est mentem, discursum, opinionem, sensum. Verum ad sensus redeo, inter quos quid de oculis dicimus: quos tanquam speculatores altissima conscendisse, non decorum modo, sed ex usu uitae maxime fuit: ut longius prospectu petentes, atque plurima subiecta intuentes proprio fungerentur munere. Porro quum sonus omnis naturae uel promicet in sublime, eundem altitudinis situm auribus attribuit; compar maxime fuerat. Quae ratio & in naribus obseruata est ad odorem percipiendum; qui suapte uel scandit: demum ut in cibis potibusque facilius quasi foret indicatura, proinde ori eas fuisse admotas, per accommodum censerit debet. Gustus uero non alium sibi iure uendicare locum potuit, quam in oris regione; qua esculentis & poculentis semitam aperuit natura. Tactus dum certi habet nihil, totum facile occupauit, ac sese aequaliter per uniuersum fundens corpus, quicquid praeduri mollis uel se ostētarit, tota percipit facilitate; nec non calor frigidusue appulsus. Ut hisce ueluti militaribus obstipati praedictis, non decore modo, sed & tranquillitate maxima datum uitae curriculum perficere ualeamus. Ceterum quia de sensibus futura nobis historia est, eorum primordia & fontem, ut par est, rimabimur primum, secuti Platoniorum dogmata, sed mox & Peripateticorum principis sententia non dilata. Ante omnia, inquit, mortali tantum corpori sensus inest: nam diuina prorsum eo uidentur uacua, quanquam quid senserit Plotinus, non excidit: indeque multo magis anima, quae sit quocumque corpore longe praestantior. Huius tamen efficit potestas, ut constet homo, uiuat, sentiat: hoc est, animal sit. haec enim mortale corpus alit, uiuificat, illuminat, dum adest utique, non inest. Sedes eius cerebro potissimum ascribitur, propterea esse orbiculari figura insignitum caput, quoniam eiusmodi ferē sint caelestia omnia. Quamuis autem tam anima, quam cerebrum omnino sensus sint expertia: quia tamen absque eo animal esse nequit, ex animae potentia fecundiore, siue de effectibus in cerebri caernas effusum spiramentum est, quod sensus prouehit, dirigitque. Caernas eas inueni qui uentriculos uocent cerebri. Ex illis depressum ab anatomicis est, nec non approbat Auicēna, doctrina quinta, Fen primae primae, neruorum septem produci *συνύγιας*, ueluti Latine dicas coniugia aut coniugationes; siue paria. Sicuti iambrica, ac trochaica dicuntur Grammaticis syzygiae apud Pindarum. Est enim syzygia neruorum, quum nerui bini pariter emergunt in constitutum corruati locum. Quos fistularum uice fungi tradunt, & ipsum illud quod diximus, spiramentum sensificum ad destinatam ab natura metam, ueluti curricula deuehere, ut uicinis remotioribusque paulo membris sentiendi uis infundatur. Ex his ergo neruorum combinatio prima ad oculos profertur, unde illis comparatur speciei cuiusque internotio, ac colorum distinctio. Secunda aures petit, quae sonos inde ualeant concipere. Tertia naribus in-



ritur, ut adsit potestas odorandi. Quarta in palatum deriuatur, unde sit saporum discretio cum primore lingua. Quinta per totum effusa corpus, illud ui sua complexatur. Hoc expressit tangendi necessitas, ut oblaesura facile declinarentur. Quæ uero lenitate sua confouent, blandius permulcētia, admoueri possent. Sextam sentit stomachus ob alimentum indigētiam, ut uitæ necessaria expeteret, redundantia reieceret. Septima ad spinalem delabitur medullam. Quæ in animali id planè esse deprehenditur, quod in nauigio carina. Eius inde internoscitur præstantia, quod medicæ artis periti longioris cerebri nomine censuerunt nuncupandam. Nec uerò me fallit, Auicēnam aliquo modo ab his diuersa prodidisse, sed ipse nihilominus auctorem certum secutus sum. Scribit Aurelius Augustinus, ratione hac sensus produci potissimum, Quod est, inquit, in corpore subtilissimum, & ob hoc animæ similis ac uicinius quàm cætera, id est lux, primum per oculos ipsos effusum promicat ad obiectorum perceptionem uisibilem: mox cum aere puro permixtione quadam primò, atq; iterum cum caliginoso ac nubium crassitudine, tertio cum humore qui iam sit corpulentior, quartò cum terrestri crassamēto sensus perficit quinq;. Qui quoniam prælocati in facie sunt, ideo scriptum est, Dominum in faciem insufflasse homini uitæ spiraculum, ut fieret in animam uiuentem. Quòd si quis nō inscius naturalium sese obijciat, male à nobis ista distingui, quum qualibet animæ uis sit in qualibet corporis parte tota, sicut anima. Respondeo, ita ferè adnuendo rem habere, sed tamen dici animam ibi agere, ubi ei subseruit organum, & ibi in primis unde initia ducant instrumenta. Hac itaq; ratione sentiēdi mouendiq; actus capiti ascribitur, unde uidelicet corruari neruos, liquet, organa sensus & motus. Sic iracundia, cordis sedem sibi uendicat, ubi sanguis residet igneus. In iecore, concupiscentia & nutritio dominari creditur, quia ibi aereus sanguis eius est ueluti substratum. Ratio, etiam si nil habeat corpori commune, nihilominus capitis arcem insedisit, traditur à Platone: propterea quod imaginationis actus rationi est propinquus, eiusq; sibi portionem asserit. Cæterum ne qua omnino subsit hæsitatio, corroborantur quæ diximus, magni nominis auctoritatibus. Nam Galenus De iuuamentis nono: Caput, inquit, est fons sensus, & ex eo motus est uoluntarius: origo item neruorum mollium & durorum. Sed & in libro De uirtutibus, mortale hominis corpus distribuentibus: sciendum, inquit, hæc de tribus profuere particulis. Et eam quidem qua ratiocinamur, reminiscimur, sentimus, mouemur, ab cerebro: at ex corde, qua irascimur calescimusq;: etiam num præditi pulsu cognoscimur in corde ac arterijs: ex hepate uerò, qua nutrimur, augemur, cibumq; appetimus, exceptumq; digestionem perficimus. Et mox paulò: A cerebro, inquit, corporis particulæ omnes sensum habent ac motum, neruis ad organa sensuum prodeuntibus ad sensibilem conceptionem: alijs uerò ea mouentibus, quæ motui deseruiunt. Cerebrum quidem insensibile ipsum natura est, at sensuum tamen organum. Sed & libro quarto De accidentibus & morbo: Palam, inquit, est cerebrum ad omnia corporis membra uirtutem emittere, quoniam neruo præciso, membrum ad quod is producebatur, sensus fit expers. Auicēna principium motus & sensus, esse quidem fatetur spiritum qui sit in cerebro, ut in acta uirtutis quæ desinat ad membra continuata cum medulla: sed uirtutem putat illuc à corde conscendere cum spiritu.

Aristotelis sententia de sensuum origine. De medio duplici, quo sensus producit in actum. Olfactum esse minus alijs necessarium: & quæ utilitas eius.

Cap. xxviii

**A**ristoteles Peripateticorum doctor eminentissimus, & naturæ rerum indagator, si quis alius, solertissimus, & ferè primi nominis De partibus libro secundo: Nec sensus, inquit, ullius causam cerebrum obtinet, quod quidē expers omnino sensus, nō aliter quam quod uis extremum est. Verum quū intelligere, quamobrem sensus nōnulli in capite habentur, nequeant, quod eam partem cæteris esse peculiariorem animaduertent: ideo sensum cum cerebro coniungendum censuerunt. Sed enim principium sensus esse cordis locum, definitum iam est, quum de sensu ageremus, & quam ob causam duo, id est tangendi & gustandi sensus ex corde a parte dependent. Vnus ex reliquis tribus, id est olfaciēdi, medium tenet. Duo, id est audiendi & uidēdi, maxime in capite positi sunt propter sensoriorū naturam. Visum autē omnibus

omnibus quibus est datus, apud cerebrū esse, optima ratio est: cerebrum enim frigidum & humidum est, uisus aquæ naturam obtinet: hæc enim omnium perlucidiorū facillime conseruari potest. Sensus etiam exquisitiores per partes, quæ sanguinem habent synce-riorem, absolui necesse est: sanguinis enim calidioris agitatio sentiēdi officium intercipit, atq; refringit. Sed & Hieronymus ad Fabiolam de ueste sacerdotali: Sensus, inquit, in corde est, habitaculum cordis in pectore. Thomas item de philosophi sententia, in libro de sensu & sensibili: Sentiēdi principium, inquit, primò est in corde, ubi est calor fons: nihil enim sine calore sentire potest, ut traditum est in libro De anima. Cæterum à corde uirtus sentiēdi in cerebrum scandit, & inde ad triū sensuum pergit organa, uisus, auditus, odoratus. Tactus autem & gustus referuntur ad cor per medium coniunctum, quod est caro. Nam sensus alij per mediū sunt extimum: tactus, & gustus per intimum, quod esse carnem, iam astruximus. Confirmat porò hæc idem auctor in expositione libelli De iuuentute & senectute. Sed curnam ita ab principe deo constitutum: quia tactus gustusq; ex sensibus necessarij amplius manifesto deprehenduntur: siquidem ciborum diuersitatem inde pernoscimus, quibus ad fouendam uitam maxime indigemus: & quæ corpus oblaedunt forinsecus, tangendi uirtute refugimus. Ideoq; in duobus his medium habetur intimum, ne uitio eius unquam ab hisce deficiamus sensibus. Nam reliqui ad bonitatem proficiunt. Quippe uisus & auditus ad scientiam iuuant comparandam in primis, modo duplici, quo adsciscitur doctrina: quod enim scimus, aut didicimus, aut inuenimus. Inter sensus uerò omnes olfaciēdi potestas minus longe uidetur necessaria. Sanitati tamen animalis conferre uidetur plurimum, quod aliubi opere isto copiosius explicabitur à me, ubi per partes sensuum sese ingeret tractatus. In eo uero odorandi sensus nō negligendus, quod odoribus confouetur cerebrum: id uero ita affectum ratiocinari præstantius potest.

Sensus cur tantum quinq;. Quatuor necessaria, ut sentiamus. Animæ progressus nouem ad scientiæ plenitudinem. Cap. xxix



Ed curnam sensus quinque tantum? Nempe quòd quinq; item sunt, quibus mundus consurgit: elementa quatuor, & ætherea substantia. Primum uerò tactus terræ habet rationem: gustus autem aquæ, quippe humectatione gustabilem percipit qualitatem: aeris uero appulsus ex ictu, unde sonus nascitur aut uox, auditum perficit: olfactus ignem respicit, nam & ex qualitate calida odores proueniunt: uidendi ratio ex æthere temperatur, & lumine: ut in Moralibus docuit Plutarchus plerosq; sensisse. Quid opinentur alij, ostentante se latius occasione, non negletur, & paulo ante attingimus tamen. Non dilata ratione Aristotelica ex libro De sensu & sensibili: Constat, inquit, quod uis sensorium suo elemento reddendum & aptandum esse, ut obrutrix oculi facultas aquæ aptetur, sensiu sonorum aeri, odoratus igni, facultas tangendi terræ est: at degustandi uis, tactus quædam species est. Verum ut sentiamus, hoc est ut sensus producantur in actum, quatuor omnino requiri uidentur: duo quidem ex parte sensus, organum uidelicet, ac spiritus: duo uero extrinsecus, obiectus, & medium. Proinde in abstractione forma obiecti primò est in medio, deinde in organo, mox in spiritu, postremo animam attingit: quamobrem in medio primum fit immutatio, inde in particulari sensu. Iudicium uerò consequitur in sensu communi. Rursum sicuti uisibilis mundus quinque partita ordinatur distinctione: terra, aqua, aere, æthere cum firmamento, item cælo supremo quod empyreum uocant: sic animæ in sui corporis mundo peregrinanti, quinq; sunt ad sapientiam progressus, sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia: sed ita & ad charitatē quatuor insignita affectibus est, ut inde nouem consurgant progressus, quibus spiritu uiuens anima ad Cherubin & Seraphin, id est ad scientiæ usq; plenitudinem scandat & charitatis regnum. Concipe siquidem lector pijsissime, sensum qui animæ nuncius est primus, angelis quibus est ab nuntiandi functione ascitum nomen, cōparari: archangelis imaginationem, odium mundi uirtutibus, odium sui potestatis, rationem principatibus, dominationibus amorē proximi, intellectum thronis, intelligētiam Cherubin, dei amorē Seraphin. Suppliciorum timor, & ex peccatis eoriens dolor, contemptum sui conciliat, & mundi: ut cum uirtutibus peragatur miracula, & cum potestatibus exigantur dæmonia: proximi amorē, ac dei, promissorum ingenerat spes, & præmij gaudium.

Sensus interiores quatuor. De sensu communi præcipue. Inibi locus Plinij declaratur. Sensati qui intelligantur. Sensitiuū dici nō Latine. Cap. xxx

**Q**uoniam uerò supra duplices esse sensus significauimus: interiores, exterioresq; & iam hos qui manifesti sunt, breuiter exposuimus, non inepte opinor fecerimus, si & alteros item occultiores exequamur. Ergo Auerrois inter eos qui Aristotelis interpretationes aggressi sunt, longè ingenio eminentissimus, hosce in quatuor distribuit species: primumq; eum cōstituit, qui omnes quæ ab externis quinque sensibus haustæ fuerint, imagines colligat atq; percipiat. Quare communem nūcupat sensum: altera deinde uis imaginandi dicta est, cuius officium sit, quum ipsa nihil persentiat, imagines quæ a prioribus sensibus acceptæ sunt, retinere, easq; tertiarum sententiæ naturæ, quam existimandi ac cogitandi uim dicunt, proferre: cuius esse opus arbitrantur, ut ipsi acceptis imaginibus, quid, aut quale sit id cuius illæ imagines sunt, iudicet atque percipiat: eaq; ipsa quæ discreuerit, siue coniunxerit, seu conceperit iudicando, potestatem cerebri ipsius sensusq; particula, quam memoriam dicunt, seruandā commendat. Sensus uerūterque, Augustinus inquit, bonum suum habet, in quo reficitur, sensus interior diuinitatis uegetatur contemplatione, sensus exterior humanitatis perpensione allurgit. Propterea hominem induit deus, ut hominem totum redderet beatum, & eius integra fieret ad ipsum conuersio. Quod uerò ad communem attinet sensum, sciti digna sunt, quæ ab eruditissimis mandata memoriæ sunt: hunc esse uidelicet, qui obiecta quinque sensuum sentiat, & actiones eorum, atq; uacationes. Ad quem etiam proprie spectet animaduersio, quando scilicet animaduertimus nos uidere aliquid uel audire. Unde fit ut sæpe & uideamus & audiamus aliqua, nec tamē percipiamus nos ea sentire, quoniam sensus communis imaginatioq; interea uertitur aliofsum. Oportet, inquit Plotinus, hoc esse quasi centrum: sensus uerò singulos undiq; non aliter ad hoc ipsum, quam lineas à circumferentia ad centrum usque protendi. Atq; uim eiusmodi cuncta comprehendentem, re uera unum aliquid esse, neq; esse humidum, aliàs cessaret memoria, neq; durum, periret namq; docilitas. Et omnino si sit corporeum, formæ ibi rerum se inuicem impedient atq; confundent. In hoc præterea sensu intimo est uisus & auditus & ceteri deniq; sensus: sed hic una forma sunt, potestasq;. Hæc de communi sensu latius excerptissimus, non quidem ostentandi causa, sed lucem ut inferremus nobilissimo auctori, qui undecimo Naturalis historiae, ubi de oculis agit: Animo, inquit, uidemus, animo cernimus. Oculi ceu uasa quædam uisibilem eius partem accipiunt atq; transmittunt: sic magna cogitatio obcæcat, abducto intus uisu: sic in morbo comitiali, aperti nihil cernunt, animo caligante. Sensatos animaduerto prudentes dici, ac sensu ualidos, quod & uulgò usurpamus ferè. Firmicus Matheos tertio: Mercurius, inquit, quum luna in parte horoscopi parititer constitutus faceret, qui per regum aut principum seruitia quotidiana sibi subsidia quarerent, sensatos quidem & intelligentes, & quorum dicta & rationes ab omnibus comprobentur. Porro sensuum animal recte dicimus, sensitiuum autem inscite ac barbare, siquidem unde corruetur, haud reperias. Illud ex epistolis Cæcilij elegans est: Sed contra, inquit, sensum quædam uoluptatemq; percipio, si ea quæ mihi denegantur, amicis uideo superesse.

Qui præstantioribus sit sensibus præditus, habere item inferiores, sed non ediuerso. Sensibus abuti omnibus hominem tantum. xxxi.

**H**æc uerò in ratione facultatum animæ natura comparatum est, sicuti obseruate curioseq; perpendimus, ut qui eius quod nobilissimum est, & habetur, fuerit compos, etiam quæ infima sunt, teneat. Quibuscumq; enim adest, quod *λογος* dicitur, id est ratio cinandi uis: insit & sensilis potestas, ac uegetatrix, necesse est, quam *φυλον* uocant: cuius plantæ sint maximè participes. Verum ediuerso non fit, siquidem sensilia multa uisimus, quæ tamen rationalia non dixeris. Id ipsum & in sensum serie contingere, deprehensum est, quando uisu prædita, nec reliquorum sunt expertia. Quæ uerò tactum habeant & gustum, non statim etiam uidendi potestate cernimus insignia, cuiusmodi conuiscitur talpa. Spongiæ tactum quidem habere creduntur, reliquorum tamen expertes. Sed enim prius quam ab sensuum ratione abiungamur: illud perpensione nō indignum: inter animantes cunctas hominem unum sensibus abuti quosq;

quosq; optimus atq; indulgentissimus parens elargitus fuerat, tum ut necessitatibus natura duce pullulantibus paria facere possemus, tum ut comptiorem uitam & dignam prorsus dei numismate, transmittendi non abesset potestas, eos ingenij prauitate, & (ut plane dicam) in naturæ contemptum, ad scelerum fomenta uertimus. Nam bruta unam modo tactus uoluptatem sentiunt, dum furore libidinis agitata feruntur in coitū. In alijs ferè intra naturæ præscriptum compescuntur. Nos uero diuini muneris exculcata lege, deliciarum seminaria sensus facimus, ueluti ad hoc nati, & ad unum hoc cum materno lacte feramur. Nec saltem succurrit, quod scientissime M. Tullius pronuntiauit, Quum homini deus nil mente præstabilius dedisset, huic diuino muneris ac dono nihil esse uoluptate inimicitius, quando in uoluptatis regno nequeat uirtus consistere. Adde quod ceteris animalibus, sicuti doctissime Plinius inquit, Stati sunt per tempora anni concubitus: homini, omnibus horis dierum noctiumq;. reliquis, satietas in coitu: homini, prope nulla. In hominū genere maribus diuerticula Veneris, excogitata omnia scelere naturæ, foeminis uero abortus. Quanto in hac parte multo nocentiores quàm fera, sumus? Hisce uoluptatum delinimentis, quæ sensuum germina sunt, ut carerent, quosdam sibi oculos eruisse, exploratissimum est. Alios in uastas solitudines coniecisse sese, ceu præstabilius foret cum feris immanitate insignibus conuiuere, quàm inter homines qui ferantur ratione præditi. Certe per quinque sensus, ueluti per fenestras, ad animam usq; penetratur. Hæc defigunt humi (ut inquit Horatius) diuinæ particulam auræ. Nec enim capientis arx potest, nisi per hæc portarum obijcibus perfractis, & prorsum sublatis cataractis, hostiles copæ fuerint admittæ, agminatimq; irruerint scelerum incentiua, quibus cælestis animæ fulgor retusus sordescat collutileturq;. Si Circensibus, inquit Hieronymus, quispiam delectetur, si athletarum certamine, si histrionum mobilitate, si formis mulierum, splendore gemmarum, & id genus alijs, per oculorum fenestras animæ capta libertas est: & impletur illud propheticum, Mors intrauit per fenestras uestras. Equidem sensus corporum recte quis dixerit, equos sine freno curretes. Animam uerò aurigæ modo currentium frena retinere obnixius. Eximia est animæ exultatio, ubi multorum cura non anxie implicitus, paruò acquiescendum fueris arbitratus: mundum, potentiamq; eius omnem pedibus subieceris. Tolle epularum & libidinum luxuriam, nemo diuitias quæret: quarum usus aut in uentre est, aut sub uentre.

Sensum non esse idem cum intellectu. An Homerus animam putarit corpoream. Item an scierit esse præditam ratione. Spiritus & anima an differant.

Caput

xxxii.

**P**rius uerò quàm subtexantur reliqua operis instituti, non fuerit (opinor) uacantis operæ perpendisse, quæ sint de hac re ueterum consulta, qui de natura conscribere aliquid sint adorti. Siquidem magna pars statuisse uidentur, sensum esse cum animo & intellectu idem: nam ita cecinit Empedocles, Consilium ad presens homini, & sapientia constat. Vbi, Themistio exponente, libro De anima tertio, ex Aristotelis sententia, nihil uidetur tribuisse supra sensum animo: quem pro ut quæ res sensibus accidisset, uarie atq; incōstater impelleret. Sed & Homerus quum dicat, mentem omnibus mutationes uarietatesq; ambeuntis nos corporis sequi, uidetur naturam animi habuisse corpoream, eumq; quasi idem cum sensu putasse, Talem animum plane mortalibus esse, necesse est,

In lucem primo qualem deus extulit ortu:  
Nam si sol & luna, spiritus ac corporis imperium habent, non item ipsos necesse est, qui spiritu consurgimus ac corpore, perinde affici, ut afficiuntur luminaria: quod uel ab Aristotele comprobatum scimus, uti à cælestium rerum peritis astruitur: uerum spiritus ratione forsitan Homerus non habuit, Plutarcho enarrantante. Sed non esse idem intellectum & sensum, efficacissimum id promptissimumq; monstrarit argumentū, quod quum animalia omnia sint sensibus prædita, solus homo præter eos & mentem obtinet, ac intelligentiam. Porro quis non uidet alias esse differentias rationalis potentia, alias sensuum? Item affectus & opera quis possit negare alia sensibus functa, alia intellectui, & rationi tributa? Nam uirtutes animi uidentur hæc, recta opinio, scientia, prudentia: quæ certe ad sensum pertinere non possunt. Item uitia animi sunt, falsa opinio, inscitia, imprudentia: quæ

quæ profecto sensibus nemo unquam tribuerit. Quod si usquã dictum reperiãs, anima nonnulla quæ ratione careant, animum tamẽ & intellectum habere, scito abusione nominis in eo factam: nullum enim præter hominem animal compos & particeps animi est. Cæterum nonnulla spectris & uisionibus ualent, quod genus phantasiã & imaginationem appellant. Imaginatio autem quamuis sit præstantior & nobilior sensu, longe tamen inferior animo intellectuq; est: utpote quæ tanquam in confinio utriusque sit posita. Ita fit, ut ea uis sensum quidem sequatur, sed actionem animi antecedit. Proinde uisa, sensaq; simul illata animo sunt, excitant adiunguntq; sibi cõmotionem illam quam *ἁπόλυσις* dicunt. Sed enim qui uberius nosse ista cupit, adeat eum censeo, unde hæc parua mutuati sumus. Adnotandum uero parte hac, spiritum & animam esse in homine idem, etiam si aliud indicet spiritus, aliud anima. Nam substantiæ ratione spiritus inditur nomen, anima uero uiuificationis uim complectitur. Est utiq; essentia eadem, cæterum diuersa fit proprietas. Spiritus est, quia rationalis substantia: uerum ut est uita corporis, anima. In quem sanè sensum illud uenit euangelicum, Qui perdidit animã suam, saluam faciet eam. Dicitur tamen mens item rationalis spiritus, ubi inest scintilla quædam ceu animæ oculus, ad quem imaginatio pertinet, ac dei cognitio. Animæ oculus mens est. Mentem certe Apostolus spiritum uocauit, quum inquit, Renouamini spiritu mentis uestræ: id est mente. Spiritus quin etiam animæ uis intelligitur mente inferior, ubi rerum corporalium exprimuntur similitudines: nec spiritus ipse corpus est, sed corpori similis. Quæ enim spiritu uidentur, corporalia non sunt, sed corporibus similia. Facies nanq; hominis & nobis forinsecus nota est, & in memoria nostra imaginem habet, incorporalem utiq; sed corpori assimilem. Ille spiritus, inquit Augustinus, ad imaginem dei ac similitudinem dicitur factus, cui ueritatis cognitio inest, & uirtutis amor. Siquidem in cognitione imago est, at in dilectione similitudo: imago, quia rationalis: similitudo, quia spiritalis. Sed illud amplius animaduersione dignũ, ab Plutarcho probari, primum ab Homero animam credi immortalem: sicuti ubi ait,

*Ἦν ἄνδ' ἐν ἑβένωυ πικρῶν, ἄϊδ' ὅς ἐβένωυ.*

Euolans autem e membris anima inferos petijt. Porrò non aliud esse hominem, quàm ipsam animam, quod & a Platonis exceptum est. Corpus item esse animæ carcerem, quod philosophi statuunt: proindeq; corpus uiuens ab eo semper dici *δεδωκεν*, quia sit animæ uinculum, quod *ἀστυ* uocant: mortuum uero, ab anima sequestratũ, *σῶμα*, quod ueluti sepulchrum relinquitur. Nusquam uero in poemate Homericò animam dici corpus. Quin & distributionem Platoniam, qua is philosophus rationem capiti attribuit, iram cordi, concupiscentiam secori, ex uersibus Homeri comprobat: nam ubi secum Achilles disceptat, ulcisci ne præstet, an iram sedare: ostentans sese illi Minerua non aliud innuerit, quàm prudentiæ lumen. Sed nos iam animæ apicem contingamus. Quia tamen liber hic iam extumuisse ac ingranduisse uidetur satis, quæ super sunt haud parum multa, ut lector, ceu interiuincto resectus itinere, hilarius reliqua persequatur, in sequens regerentur uolumen.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN LIBRVM ANTIQVARVM  
lectionum tertium Præfatio ad reuerendum in CHRISTO patrem  
D. Ioannem Mariam Mattarellum Rhodiginum ac  
episcopum Casensem religiosissimum.




**L**etiam si uniuersim prodeuntibus hisce nostris libellis artium bonarum studiosos cõpellare, non ab instituti operis genio, quicunq; sit is, dissentaneũ censui: nihilò secius si in partibus laboris mei intima nobis iunctos beneuolentia consalutauero, & quantum ualemus uindicias secundum immortalitatem pronunciauerimus, absouum (opinor) uel quod Græci dicunt *ἀπεσθόνυσον*, fecero nihil: quando in turbam coniectos se, queri non poterunt, & nil à merepensum amicitia, uel inimicus iudex ne suspicionis quidem indicium est habiturus ullum. Et ipse porrò plenior obsequio nostris rebus fauentes uidebor

bor promeritus. Quoniam uerò sequens libellus quod & prius est factum, optimi maximi dei opus admiratur inenarrabile: tu uerò Ioannes Maria reuerende antistes tum loco, tum moribus principi illi naturæ propior es factus, duce (quod aiunt) uirtute, comite autem, non fortuna, quæ prophanis modo utranq; paginam facit, sed ipsa illa sacerdotali luce, qua fulgurant uibratus sanctorum mentes, dum labia eorum custodiunt scientiam, & in supercilio montium excitatam ciuitatem sciunt non posse latere: inde occurris mihi secundus: quẽ ad sudoris nostri partes aduocem, in quibus eminentissimi agentis immensa in nos exequimur munera: nec id, quia teretes aures tuas; excussumq; iudicium fugiant hæc, qui multiplici sapientia præcellis, Canonum quoq; decretis cumulatissime imbutus: sed ut institutis tuis, & integritati clarissimæ munuscula proferremus peraccommoda; ne fieret illud ex triuio, *ἢ φανὸν ἡνέρον*. Expressit hoc præterea nobis; ut sanguinis coniunctionem præteream, & communes lares, communis item patriæ ratio: quæ bene sentientes, honestisq; præcipue initiatos literarum sacris ita peruincit, quodamq; uelut ferrumine coaptat componitq;, ut non magnopere nexum cõperias a cõtione. Tuis ergo auspicijs publicum indispicetur sequens liber, cui tu sanctis precibus progressus concipias faustos, uelim. Rimabimur autem philosophorum sacraria, uerum sic; ut Latine loquamur, ne thesauros à me quisquilijs intelligi putes: quando; ut nunc est; sapientiæ studium Silenis simillimum dixeris, quorum imagunculæ hispido serè uisuntur ore, ac ingrato prorsum, intus contacta diuiniore forma, suo, idest incomparabili ornatu splendida: nobis uerò in tam læto eruditorum prouentu fuerit turpissimum ista reticere. Nam Philoctetes turpe sibi duxit, tacere cum barbaris. Et hunc Aristoteles imitatus, lico cratem pati dicere.

**LODOVICI CAELII**  
RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI TERTIVS.

Intellectus agens & possibilis: illum dici à Platonis mentẽ hunc uerò rationem. Mens cur dicitur. Scanilis ad deum ratio, ex Theologumenon libris. Cap. I



**Q**UAE DAM sunt, inquit Augustinus in libro De spiritu & anima, supra intellectum humanum, quædam iuxta, quædam infra: siquidem cognoscit deum anima supra se, angelos iuxta se, at uerò se in se: quicquid cæli continetur ambitu, infra se. Igitur ad ea percipienda quæ sunt supra ipsam, indigere uidentur omnino anima irradiatione ab ipsa luce ueritatis primæ, quæ dicitur mens uel intelligentia, quam prodit Augustinus idem, nulla interposita natura, formari ab ipsa ueritate: Proinde respectu ueritatis summæ, & eorum respectu intelligibilem quæ humanum excedunt intellectum, est intelle-

ctus agens Deus, & huiusmodi illuminatio est gratiæ infusio ad diuina contemplanda. Ad ea uerò pernoſcenda quæ prope nos sunt, ut sunt angelicæ essentiæ, indiget item anima reuelatione angelica, siue instructione: qua in re dicitur item angelus, intellectus agens. Ad eorum uerò perceptionem quæ intra animam sunt, ut est ipsa anima, & potentia ipsius, habitus, scientiæ ac uirtutes, non indiget anima lumine extimo, sed innato: & propterea Augustinus ait, animã cognosci ab se in se, quia cognoscit se esse, sentire, scire aliquid. Idem astruitur de perceptione eorum quæ infra nos constituta deprehenduntur, ad hoc enim lumẽ intimum sufficere, hoc est intellectum agentem, uim animæ supremam, cuius operatio est (ut inquit Auicenna) illuminare, siue intelligentiæ lumẽ diffundere super formas sensibiles in imaginatione existẽtes: rursumq; illuminando abstrahere à materia, & abstractas copulare seu ordinare in intellectu possibili. Proinde quando dicimus, intellectum possibilem ab agente formari, non intelligimus quod doctissimis placere uideo, accipere formas, sed illo præſente, formis suis efficacius uti & copulatius

tius. Id exemplo patere quadamtenus potest. Sunt qui chartæ inscribant literas succo cæpæ, sed hæ non percipiuntur, nisi calefiat charta. Eiusmodi habet rerum formas, qui dicitur possibilis intellectus, quæ in cõspectum ueniunt, ignis diuini præsentia, sicut & colores lumine solis. Intellectus noster non est in potentia ad hoc, ut fiat intellectus atq; intelligibilia, sed ad ultimam intelligentiæ intelligibiliumq; perfectionem. Sciendum uero obiter, quam in anima Platonicam rationem dicunt, Peripateticos uocare intellectum possibilem: quam uero illi mentem dicunt, hos intellectum agentem nominare. Scribit Auicenna, quadrifariam dici possibilem intellectum. Nam dicitur primò, ut habens possibilitatem tantum, ut sit ueluti potentia materialis ad similitudinē materiæ primæ, quæ ex se formam habet nullā, sed est omnium formarum subiectum. Deinde est intellectus dispositus, qui est, ubi quis iam in intellectu principia continet, hoc est propositiones, quas credere contingit, quæ non aliunde, sed per se notæ sunt, ut quum proponitur esse totum sua parte maius. Postea est intellectus perfectus, qui iam conclusiones tenet eorum, quæ sequuntur ad principia, actu tamen ad eorum non cõuertitur speculationem. Postremò dicitur in actu intellectus, quum iam actu speculatur. Primus uocatur materialis intellectus, secundus in habitu, tertius adeptus, quartus accomodatus. Esse uero intellectum agentem eisdem ferme rationibus Auicenna probat, ac diuus Thomas in Theologiæ compendio. In potentijs, inquit Thomas, sensitiujs formæ rerum sunt particulares, uerum non sunt actu intelligibiles, sed potentia tantum. Intellectus enim non nisi uniuersalia intelligit. Quod uero in potentia est, non reducitur in actum, nisi ab aliquo agente. Esse igitur aliquid oportet agens, à quo species in potentijs sensitiujs existentes fiant intelligibiles actu. Hoc autem intellectus possibilis facere nequit, ideo necessarius est intellectus agens, qui species intelligibiles in potentia, faciat intelligibiles actu: sicuti lumen facit colores potentia uisibiles, esse actu uisibiles. Sunt qui apud Theophrastum, Iamblichum & Plutarcho auctoribus, intellectum possibilem esse nobis duplicem interpretentur: quorum alter, & idem primus semper in actu, dum semetipsum intelligit, sequentia sub se cuncta cognoscit. Alter secundus transiens de potentia in actum, est ratio. Quum dicitur tabula nuda ab pictura omni & literis uacua, intelligendum secundum quãdam proportionem putant: nō enim ita dicitur, quasi intellectus nullo modo species habeat, sed quia intelligibilia quæ in eo collocantur, intelligibilia quidem sunt, sed ita, ut sint à separatis intelligibilibus illustranda, ut syncere prius intelligibilia sint, propterea coloribus comparantur. Theophrastus absurdum putat, materialem intellectui naturam huic dare, atq; arbitrari materiæ modo nihil esse in actu, sed potentia omnia. De intellectu agente sic item reperio, esse intelligibile lumen ueritatis primæ nobis per naturam impressum, semper agens, sicuti lux semper irradiat: proinde est illud in Psalmo propheticum: Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Cæterū parte hac commonitos legentes uelim, sicubi pugnantia uideor prodere, mirandum haud ita esse, quando ex diuersis racematio fit, & Platonicos consecramur parte plurima, sed & in alijs diuersitas ad suos reuerenda auctores est, ne quis agrestis, ac indomitus certator protinus calumniam intendat. Illud quidem ex Christianis promitur fontibus, dici ab Mene mentem. Est autem Græco sermone luna, mene. Quam crescere modo perspicuum fit, modo deficere, ac uaria commutari uisitationis uicissitudine. In id tamen deniq; quod fuit, nouitate quadam perfecta, uelut postliminio redire. Ratione consimili humana mens nunc summis caput inserit, nunc ad ima relabitur, quandoq; in sese collecta ueris falsa reluit, & corporeis interim intendit administrandis, sæpe æternas perpendit rationes ac speculatur. Sunt qui dici mentem coniectent, quod in anima præcellat & emineat, quia sit animæ uis præstantior, à qua exoritur intelligentia. Certè rationale lumen ac intellectuale, quo ratiocinamur, intelligimus, sapimus, mentem nuncupamus. Quod si scanfili motu summa petere connitaris, primum ingerit se sensus, imaginatio mox, inderatio, intellectusq; ac intelligentia. In apice uero surrecta stat sapientia. Siquidem summa est sapientia Deus. Hominis sapientia pietas est, qui dei cultus intelligitur. Sensum autem dicimus, animæ uim corporearum rerum corporeas excipiētem formas præsentis. Sicut imaginatio absentes uersat, ex sensu propagata, proq; eius uarietate, diuersa ipsa quoq;. Ratio uis animæ dicitur, rerum naturas corporearū, formas item, differ-

rentias

rentias, propria perpendens accidentia, incorporea quidem omnia, nō extra corpora tamen, ni ratione subsistentia. Intellectus inuisibilia percipit, uelut angelos, dæmones, animas. Intelligentia deo subijcitur immediate, potētia animæ & ipsa, summum uerum & incommutabile expendens speculatione eminentissima. Quicquid percipit sensus, repræsentat imaginatio, cogitatio format, ingenium inuestigat, iudicat ratio, memoria seruat, separat intellectus, intelligentia comprehendit, ad contemplationem prouocans.

Auerrois de intellectu agente sentētia. Quid Auerroem quandoq; in Aristotele interpretando sefellert. Quam esse opinentur eruditiores Aristotelis in ea re sententiam.

Cap. II



Verrois eximius Aristotelis interpres mentem hanc humanam, siue Aristotelico more agentem collibeat intellectum nūcupare, æternam putat tam ex parte anteriore, quam posteriore. Esse quoq; mentem infimam omnium, & unicam. Nam sicuti cælestes globi singuli singulas habere mentes uidentur, ita & orbis hic inferior unam, ut ipse uult, habet, quæ non huius hominis sit, uel illius: sed humanæ speciei mens sit, & dicitur, ut speciei unicæ unicus sit intellectus in hoc orbe inferiori, ut pleriq; intelligunt, ubiq; totus. Compingi siquidem putat hominem ex corpore & sensiuua anima, nam intellectiuam excludit prorsum. Arbitratur tamen inter sensiuas animas quiddam habere excellentius, distansq; à brutis plurimum hominis animam. Porro hominum quenq; propria pollere anima, sed mortali. Cuius præstantior facultas uis nuncupetur cogitatrix, siue (ut dicitur Græcis) phantasia. Inesse item concipit brutinis animis existimatricem potētiam quãdam, qua duce utilia sibi, & diuersa cõfestim naturæ instinctu dispiciant & appetant uel auerferentur. Differre ab humana, quia non naturæ sequamur ductum, sed ratione indagemus, cõsultemus, exsequamur. Ita tamen, ut uniuersalibus sequestratis, partibus tantum affigamur inhareamusq;. Proinde rationem nuncupat particularem: intellectum uero rationem uniuersalem. Et in cerebri medullio particularis eiusmodi rationis sedem struit, imaginatione constituta proxime, & postmodum memoria. Nam sensum arbitratur communem, qui sensuum quinque operationes aduocet in sese, principem locum sibi uendicare, mox ut subsequatur imaginatio, earum custos imaginum, quæ in communem sensum coierant, Tertius facultati destinatur cogitatrix locus, quæ diiudicet in imaginatione composita. Postremò est memoria thesaurus, quæ proferuntur, iudiciorum. Cogitatrix igitur uis menti in primis proxima est, adeo ut mens illi adsit ubiq;, & intelligētiam suam per eius expleat adminiculum, dum simulacra rerum in cogitatrice uirtute lucentia mētem ad intelligendum mouent. Occasionem præbet homo intellectui ad speculandum, ut coloratum lumen oculo ad uidendum. Intellectio nullatenus in homine est, sed in mente sola, quam cogitatio nostra pulset. Cogitatrix anima uniuersa uero statim, at multo post mens, quum simulacra in cogitatione adeo sunt pura, ut intellectum moueant. Hæc magni interpretis placita, quæ uis nituntur rationibus, apud philosophos latius expositis. Mihi illas apponere, & acrius cõsecari, non est uisum. Illud modo dixisse, satis superq; fuerit: omnia quæ de mente sensit Auerrois explodi, ut falsa, ab scientissimis uiris, longè ab CHRISTO sententijs, ne dum ab Christianis patribus posse probari putes. Cur autem Commentator tam sæpe ab Aristotelis sui sententijs uideatur deuijs, inde factum uolunt, quod is in Hispania natus, & Arabum idiomate imbutus, quum Græcæ literaturæ ne apices quidem imbibisset, Aristotelis libros in barbarum sonum nō tralatos quidem, sed mutilatos, decurtatos peruersosq; quum legeret, in ijs quæ altioris sunt scientiæ, & interioris sensus, auctorem eminentissimum studio breuitatis ita sæpe concisum, ut sensuum acumina sudantes philosophos distineant diu multumq;, minus minusq; consequi ualuit. Quod ita esse, comprobatur Plethon, & inde argumētum euidens, quod Græca Aristotelis uerba interpretem quandoq; confodiunt. Auctor uero est idem Plethon, apud Aristotelem animos humanos esse multos, & quidem sempiternos, quanquam Alexander scribat, mortales esse animos, ab Aristotele iudicatum. Sed ipse in Naturalium quæstionum libro, si tamen in familiam recipitur, animam esse fatetur immortalem, in corpus tamen mortale cõtrufam mortalis speciem præbere. Sed & alibi cælestes, diuinosq; hominum animos uocat. Themistius item putat, mentem quidem agētē unicam: capacem uero

g

multi

multiplicem ab eo credi, & perpetuam utraq;. Sunt ex eruditis, qui ab Aristotele animorum immortalitatem in libris De anima, non poni quidem, quod facere Platonem, cauillantur, sed uelut per accidens demonstrari. Namq; immortalem esse animam, si a corpore ualet seungi. Separari comprobatur plane, si operatio inest, a corpore disparata. Intelligenti actum organum haud exigere, opinatur. Quoniam organica uirtutis suum est tum rerum magnitudine, tum etiam numero lassescere. Quod in intellectu contra omnino fit: nam eminentissimum quodq; ut intentissime speculatur, ita roboratur maxime, uegetiusq; coarctatur ac erectius. Vegetatricem sane animam, & sensilem mortalem ab eodem tradi, confirmant, utpote quae de potentia materiae prodeant. Addunt illud quoq;, intellectiuam animam esse, sensilis formam, uegetatricis uero hanc. Vbi autem ait Aristoteles, intellectum forinsecus aduenire, exponunt, idest non de potentia materiae.

Humanae speciei laus exquisita ab ingenij, memoriae, uaticiniorum, locutionis potestate. Animam esse Dei ciuitatem, CHRISTI sponsam, Spiritus sancti templum. Interim cur homines dicantur Alphestae. Cap. III

**S**ed nos deniq; ab hisce rerum difficultatibus, forsitan obscurioribus quam ut facile percipi ab mediocriter eruditis ualeant, quibus nos ista euigilamus, reuulsi in ea diuertamus uireta, ubi inenarrabili uarietate floribus passim nitescentibus, coronam enta nobis compingamus, quae non ornent modo, sed halitu fragrantius, & succulentia quodammodo alant, impleantq; ratione mira: & sentiantur tamen in his austerior quaedam suauitas, non dulcis, neq; decocta. Scitum est illud M. Tullij, Voluptatibus maximis fastidium esse finitimum. Porro unguentis minus diu nos duci, summa & acerrima suauitate conditis, quam his moderatis: & magis laudari quod caeram, quam quod crocum olere uideatur. Sed enim quid hic primum mirer? quidue postremum? Ingēs hic inuitat locus, libeat modo uagari, uerum cum delectu rerum modum seruabimus, ne inopia ieiunij ariditate simus, aut ubertate nimia luxuriantes onerosi ad molestiam usq; legentibus nostra haec qualiacunq;, protinus euadamus. Quanquam non me latet, Fabio stipulante, esse facile ubertatis remedium. Igitur in hominis contemplatione occurrit admiratio prima bonitatis diuinæ, quae munera praecipue quatuor tanta est benignitate dilargita, ut nil ei magnopere carius, nil fuisse pensius uideatur. Primum est, ingenij aptitudo mira, cuius ut primo quoq; tempore numerosissimam rerum seriem percipere ualeamus. Mox & memoria, quam uerissimae uictores celeberrimi thesaurum quendam rerum arbitrantur. Non deest in plerisque item fatidicus spiritus, & quae deum modo deceat, futurorum perspicax inspectio. Addita postremo loquendi potestas inter cuncta summe mirabilis, & flexanima, ut Enniano interim uerbo utamur, atque omnium regina rerum oratio, quae non currētem modo succedere, sed & languentem possit commouere. Equidem ita statuo, esse in humanis rebus amplum abunde, si quis suppetente omnium quibus cōtingit indigere plurimis, copia, doctrinarum sibi uēdicet gradum aliquem. id quod ueteres sapientes fecisse, ut comparatis necessarijs ceperint philosophari, tradenti Aristoteli credimus. Quod si externis destitutus omnibus, nihilominus quis ad procinctum tendat: quo tandem ingenio esse uirum eiusmodi censueris? Quid si mancus corpore: quid si caecus? Mirum forte uideatur hoc, aut impossibile potius. Atqui esse uerius uero, non coniectura ducimur, sed impellimur exemplis. Homerum uatem clarissimum eō prouectum auctoritatis nouimus, ut etiam literarum parens & doctrinarum fons a celeberrimis pronūtiatur auctoribus. Oculis tamē captum Graeca tradit historia, uel nominis argumento. Quin & summa omnium inopia pressum, lustrasse insulas & urbes, corrogantem hinc inde fomenta uitae. Quis obsecro in mendicabulo id genus eam scientiae magnitudinem expectasset, quam in carminibus eius expendimus? Eam porro dicēdi facilitatem & inaccessatam Venerem: sed quam uix ulla consequi ualeat affectatio? Nonne Alexandrinum Didymum scribit Hieronymus, ab ineunte aetate excacatum, scientiarum adyta secretiora tentasse praecelso animo, & consecutum felicissime? Sed quod mirari satis non est, geometrica theoremata excellenter etiam tenuisse? Mortalis naturae germina non sunt haec, caelestem redolent maiestatem, unde sese propagatam rationalis natura plurimis ostendat indicijs: nam & idem eminentissimus uates Homerus homines significanter ἀλφειᾶς nuncupat, idest indagine multae, ac

tae, ac inuentionis. Quo argumento traditum Varroni scimus, artes intra mille annos compertas, absolutasq;. Quod si futurorum praecentionem latius hic exsequi libeat, pergamq; non Aegyptiorum aut Chaldaeorum praescita plerumq; stupenda recensere; uerum propheticum potius afflarum, & augustiores animas, in ipso diuinitatis sinu plane diuersantes, uehementer sum ueritus, ne tanta quis maiestatis amplitudine attonitus, non humanam animam, sed deum ipsum putet humano in corpore hospitantem, arcana explicare obscuritatis immensa, quae liceat homini nec scire, nec eloqui. Expende apostoli Ioannis raptum ad Trinitatis intima, & recumbens caput in saluatoris CHRISTI pectus, e cuius nutu suspensa est uniuersa rerum moles. Expende seculorum ordinem, & caliginosa futurorum inuolucra unius hominis patefacta menti: quam ibi maiestatem concipies animo? Quid illa uerborum facundia, quae tanta facilitate motus animi promit omnes lingua interprete? Et hoc quidē seu τὸν ὅτι εἰς θεοῦ λόγον perpēdas, seu τὸν ὅτι περὶ φερεῖ: utrobique enim in animo & labijs enitescit humana laus. Quid huic adnexa scribendi ratio diuina? Quænam eloquentiae fulmina? quod aureū Xenophontis flumen? quae Ciceronis copia, Romani eloquij arx eminentissima, pro dignitate adaequare magnitudinem queant? Homini laus haec peculiaris est, atq; immo diuina. Siquidem bruta corporei motus uarietate, etiam si maxime uaria, nunquam emolumentum eiusmodi minima quidem parte consequantur, etiam si uel Proteo celerius se agiliusq; transforment. Porro latent licet, infremant, rugiant, sibilent, infrendant, hinniant, quouis modo truculentum elidant barritum: una uox hominis clemens, sedata, mitis explicat clarius, promit plenius, alit uberius, placat, excitat, impellit, euertit, retinet, surrigit. Omnia deniq; perficit, quae diuinus animus, tanquam interpreti diuino, linguae plectris mandarit exponenda. Memoriae uastam (ut sic dixerim) capacitatem, & supellectilis omni auro promicantioris conditorium, non quidem ossuarium, sed diuinum, quo uelut ex breuiculo, nil non auditum integre pronunciat, consulto praetermittimus, quoniam ei rei latior destinatus est campus. Iam illa memoratu iucundiora, quae promit Aurelius Augustinus: Anima, inquit, dei ciuitas est, quae gloriosius praedicatur ad imaginem & similitudinem dei facta. Ciuitas haec Hierusalem nuncupanda merito, quoniam ad summam pacis fruitionem creata. Huius mens paradisus dici ualeat: in qua quum caelestia meditatur, agit plane in deliciarum hortis. Domus item summi patris familias anima est, per morum unitatem: sponsa CHRISTI, per dilectionem: spiritus uero sancti templum, sanctificationis intuitu. Ciuitas, inquam, aeterni regis, concordiae ciuium, ac pacis ratione. Sed ubi nam ciues? nempe naturales ac ingeniū uigores animae. Quorum distinguuntur gradus: sunt enim supremi quidam, infimi alij, mediana tenentibus quibusdam. In fastigio collocatos ueneramur intellectuales sensus: in meditullio rationales complectimur: in imo animales non negligimus. Appetunt hi sensibilia, rationales discernunt & aspernantur: ad diuina seuocant intellectuales surriguntq;, uelut consiliarij censentur hi, ac seniores: militum uim obtinentibus qui rationi obsequuntur, quoniam obrepentes hostes allecctatione sensili reprimunt, corpori necessaria, uelut rustici, ac opifices, suggerunt animales.

Inesse animis humanis scientiarum thesauros latentes, iuxta Platonem. Cur Musae, Iouis & Memoriae dicantur filiae. Quomodo ab quibusdam reuatur Platonis opinio. Cap. IIII

**I**llud uero quam amplum, quamq; in nobis magnificum est: quod Plato influendum censuit, inesse mortalium animis uniuersis scientiarum ueluti seminariū quoddam & plane thesauros, qui mirabiles concitent amores sui? Experimento id in se ipso quisq; condiscit, modo intendat: nam sicubi reconditum quippiam uenamur anxie, postea quam abiunctis ad tempus sensuum, & phantasiae molestis obicibus, mentis intima, uelut secretius quoddam penetramus adytum, inibiq; ratiocinamur subtilius, rimamurq; amplius, confestim tanquam obductam reuelamus luce, effulgereq; protinus quod uenabamur aduertimus. Propterea sic canit Pythagoras: *ἐλλὰ σὺ θερσαι, ἐπὶ θεῶν ἔργῳ δὲ βροτοῖσι, οἷς ἰσθὰ περὶ φερεῖ φύσις δ' ἐκτυσιμὴ ἐλασα.* Quibus sane scientissimus auctor, homini concipiendam scribit fiduciam, quod sit nobis

bis diuinum genus, & augustior natura promat in lucem, monstratq; omnia. Porro animus noster, dum scholas frequentamus exhibemusq; nos conformandos decoquendosq; nonnunquam dum dicat formator, necdum missa uoce, concipit mox enuntiantia, praesagitq; Saep̄ uerò quae imberit discendo, recoquit, refingitq; multoq; praestat meliora. Quinimmo parit ex se, praecceptore nullo, tanquam scientiarum seminibus quibusdam praefecundus, ut ager, fruges parturiens. Proinde colligi potest, docentem non tam uideri praecceptorem, quam ministrum. Proptereaq; in libro De scientia Socrates apud Platonem se obstetricis astruit filium, nec eo contentus obstetrici quoq; per similem se esse ait, ut qui adolescentibus erudiendis non tam scientiam induceret, quam educeret: sicut illa foetum non utiq; concipit, sed conceptum iam euocat. Quis oculis insinuauit uisum, uel aures ita instruxit, ut audire sciant? Oculis certe uisum non praestat medicus, sed uel superinfusas discutit caligines, uel in obiectum dirigit. Cōsimiliter discendum animis non infundit scientiam doctor, sed obductum terrena caligine detergit situm, aut semitam monstrat. Sicuti canibus uenatoria inest uis, leonibus elephantisq; robur, itemq; ad pernicitatem equis innatam inspicimus uirtutem: ita & humanis animis scientiarum lux ingenua est, paulum modo obnubilata & fuscior. Cui si illustrator opportunè adhibeatur, emicat inde claritas nitidissima: uelut animalium uis non saepe se promit, nisi exercendo intenderis, & sopore ac ueterno (ut sic dicam) excusso, actum induxeris per uigilem. Quod ipsum ferè usu uenire in praecceptore ac discipulo, locupletissimus testis se se ingerit in libro De republica septimo doctissimus Plato. Sed & in libro De sapientia, Socrates inquit Theagi: Nemo unquam à me didicit quicquam, etiam si mea consuetudine multi euaserint doctiores, me tum exhortante, tum bono daemone inspirante. Sed cur nam Orpheus Musas esse dicit Ioue genitas, ac Memoria? Opinor, quoniam ab origine scientiae fons insitus est nobis ab omnium patre, sed non satis profluens, nisi quis corriuarit. Quin & Memoriam poeta idem continere mentem scribit, excitareq; omnia sinuosis (ut ita dicam) animi anfractibus delitescencia, illatebrataq;. Postremo apud Platonem in Timaeo traditum, scimus: Species rerum, & artium regulas mentibus nostris prodeuntibus inditas, non secus ac angelica mens credatur insignita. Sed ista fuerint philosophorum maximi decreta, ne omnino sim alieni periculi succida neus. Nos & hic & alibi id demum uolumus ratum, cui calculus Christiana adiecerit ueritas: ut abunde norint omnes, nobis in procinctu esse cuncta, uti aranea suum linquamus uenenum. Scimus ab summis traditum uiris, positionem huiusmodi parum congrue re: ac primò quidem, quia si adlit animae naturalis, & insita rerum notitia omnium, fieri posse haud uidetur, tãtam omnino obrepere obliuionem, ut nesciat prorsum huiusmodi se scientiam tenere. Nam quae naturae uis insunt, obliuiscitur nemo, sicuti esse maius sua parte omne totum. Porro si naturalis cōceditur animae ac corporis nexus, quo nam fiat modo, ut ab naturae uis tantum sese promat impedimenti? Deinde an non aduertimus, sensu deficiente rerum quoq; scientiam perire, quas illo percipias sensu? Quippe ab natura caecus colorum notionem haud assequitur prorsum ullam. Quod non fieret utique, si naturali essent uis insitae nobis intelligibilium rationes omnium. Quod si in hominibus Ascensionis ait Gregorius, Hominem habere cum angelis intelligentiam communem, qui per insitas formas naturali potestate norunt omnia, ex quo in libro De causis, Omnis intelligentia formis plena est: sciendum, angeli intellectum eo supereminere, quia per intelligibilium species perfectus est naturae suae uis. At humanus intellectus ad hoc genus species in potentia est. Interrogatio autem concinna ex principijs progreditur communibus per se notis ad propria. Per eiusmodi uerò progressum in animam discens inducitur scientia. Proinde ubi iterum recte interroganti responderetur, non ideo fit, quia nouerit ea prius, sed quoniam noua condiscit: certior enim fit de posterioribus per priora.

Hominem unum nescire imperium pati. Item affectare, ut sit deus. Qui cōquisuerint honores diuinos. Quid itē humana species credatur tum solaris, tum Mercurialis. M. Antonij historia, item Caligulae, ac Magni Pompeij.

Cap. v

Hactenus



Hactenus quidem multiplici rerum dignitate ab optimo maximo Deo excultam uideri rationalem naturam, pro ingenij captu (ni fallor) monstraui-mus. Ceterum supersunt ne alia? Immo uerò nec erit finis, si omnia libeat amplecti. Nunc illud praeterisse nequeo, inter animantes cūctas unum esse hominem, qui seruitutis malum pati nequeat. Exemplis certe cognitissimum, & in se quilibet experitur: enititur siquidem etiam in apinis tricisq; omnino exsuperare, succumbere uel ludēdo putamus ignominiosum, uincere autem speciosum in primis, & naturae consentaneum, quae sublimior augustiorq; uideatur, quam ut iugum subeat, digniorq; quam in rerum fastigio statuas. Celeberrimum est Agrippinae dicitur, Nam caelestium rerum scientia quum pronuntiaret quidam, fore ut imperaret quidem Nero, sed & matrem perimeret, uelut amens intonuit altius, ἀρχιγενέτωμε, μόνον βασιλεύσει: interimat, inquit, regnet modo. Sed inspicere, obsecro, animi altitudinē & maiestatem, quam satis demirari nequeas. Comparat aliquis mundi uniuersi imperiū: umbraticos enim praetereo quaestus ac sellularios, ac quieturum ne illum putas? minime. Si mundum esse alterum perceperit, confestim & illum subijcere sibi affectabit amplius, alias aestuat infelix angusto in limite mundi, ut Gyrae clausus scopulis, paruaq; Seriphos. Hinc illa prorupit mox immensa auiditas, & nimium sese attollere gestiens magnitudo, uelut illa quidem, uerum ex magnifico profluens fonte, ut pleriq; diuinos etiam honores sibi arrogare sint adorti: quoniam Dei tantum sit, omnia sibi subiecta despiciere. Quo nomine ridendus quidem Empedocles, ridendus & Alexander, nobis praesertim CHRISTIANI doctrina imbutis, non tamen eatenus quam quibusdam uidetur. Omnes nimirum idem affectamus, sed tacite. Si ex uoto rem cessuram opinaremur, uelis remisq; arriperemus omnes, quod minus explore in illis uelliamus. Alexandrum scribit in historijs Ioannes Monachus, quum iaceret cōclamatus planē, uoluisse clam in Euphratem se demergere, uti opinionem post se relinqueret, ceu morbo non foret absumptus, sed integer ad deos abiisset. Graecorum commentarijs proditum, nouit eruditissimus quisq; fuisse in Libya uirum nomine Psaphonem, qui nimio plus naturae bonis instructus, quum intra caeterorum pellicullam se haudquaquam posset comprimere, insita animi magnificentia latius sese expandente, consilio admodum ingenioso & uastro diuinitatis opinionem adsciscere sibi adortus est, captisq; auiculis quae ad humanum sermonem pernoscuntur dociles, subinde illas artificio consilio instruere coepit, ut articulate prorsum enuntiantur, μέγας θεός ψαφών, magnus est deus Psaphon. Quae ubi dictata fabulam expedite perdidicisse sunt uisae, emisit eas Psaphon. Illae uerò passim, ut affollet, cantillantes eandem repetebant. Quod audientes incolae, putantesq; fieri diuinitus, ut qui commenti forent nescij, Psaphonem ut deum sunt uenerati. Antiochum Syriae regem scribit Eusebius, esse uocatum θεός, id est deum. Caium principem inter deos à semetipso relatum quis non nouit? qui & louis maximi nomine statuas erigi sibi imperarunt? Diocletianum sunt qui tradant primum se ut deum adorari iussisse, quum gemmas uestibus & calciamentis inseruisset, quanquam ante illum imperatores omnes salutari ut iudices cōsueuissent, & chlamyde tantum purpurea ab priuatis distarent. Sed id utiq; mirabilis, eūdem hunc Diocletianum apud Salonas in proprio uillae palatio, statu priuato morientem, mox in deum esse relatum, quod uni tantum cōtigisse putant chronographi. Haud hinc porro dissitum & illud quod in triumphatu M. Antonius, quū Athenis debaccharetur, Dionysium se dici uoluit: quam rem non neglexit Dion, quū super theatrum schediam sustruxit, ut scribit Athenaeus, uirenti ornatam materia, quod Bacchicis fieri antris assueuit, ac tympanis, nebridibusq; & Dyonisiacis id genus ludicris alijs propendentibus, ab matutino cum amicis ad ebrietatem usq; decubuisse, spectantibus Graecis omnibus. Perrexit & in Acropolim ad faces, ἀεθλοποιός πόντος ἐπίσης. Plura item de hoc primo Suasoriarum Seneca. Addit Athenaeus, Caligulam dici uoluisse Dionysium, sed iuniorem, ac Dionysiace indutum iura etiam reddidisse. Ex ijs coniectant eruditi, Arabas astrologos humanae species proprietatem esse solarem prodidisse, ob ueritatis & gloriae studium, tum etiam ob staturam erectam pulchramq;. Quin ex humorum item subtilitate ac claritate spiritus, & imaginationis praestanti perspicuitate. Sed addunt & Mercurialem proprietatē, ob strenuum uersatilis ingenij motū. Miratur

tamen historicus Dion, tantam superuisse magno Pompeio animi claritatem, ut à bello rediens Mithridatico, quum magnis constipatus exercitiis & facile Italiam obtinere, & imperium sibi Romanæ urbis posset uendicare, noluerit: sed ἀπαύλατος, nil super ea re populo decernente, uel senatu, Brundisium appulsus milites dimiserit. Quod, inquit, eius factum μέγιστον καὶ κάλλιστον ἐστὶ πάντων. Dignum scitu, Spudarchas dicit à Græcis, qui anxie dignitates affectant, & imperia; meminit uocabuli in Symposio Xenophon.

Animæ humanæ potentia mira. Corpus nostrum posse ab anima fieri luminosum. Animam esse ad totius sapientiæ imaginem factam. Cap. VI

**L**anquam illum denique, ut quanta sit in anima nostra uis, pro uirili explicare pergamus: & quanquam adhuc non parum multa sint aggesta nobis, nihilominus & innumera supersunt, quæ fateri planè cogant, si quandoque respicamus, uerissimè dictum, Hominem esse miraculum magnum, animal uenerandum & adorandum. Legimus apud Auicennam, Platonicos multos, & Hippocratem, humanos animos tanta naturæ maiestate pollere, adeoque supra materiam omnem se potenter attollere, ut sibi ipsis, & suo uigori, semoto corpore, restituti potestate intima, mundi membra quælibet ualeant agitare, impellere, & ut cuncta liberent, uersare: ac corpori cuiuslibet latius dominari, tantoque potentius proprio. Cui mancipata anima, mundi parui elementa, id est humores quatuor uersat ad libitum: quin frigus, humorem, siccitatem, calorem, coloresque superinducit omnes, atque item sapores. Quod tunc demum patebit, si uitales actus amplius considerauerimus, necnon phantasie affectus. Vbi uero ab hisce ueluti uinculis exoluta euolat in amplum, deo iam plena, animalis grandioris humores, id est elementa quatuor maioris mundi permouet, ut sua, soloque affectu citat uentos Deo duce, ac cælo nubes inducit sereno, easque cogit in pluuias. Quod quidem posse fieri, factum uel fuisse, theologi Mauri & Arabes consentunt, Maurorum princeps Auicebron, atque Arabum Auicenna, & non abnuat Hippocrates Cous. Nec me fallit, in animæ historia ab Aristotele traditum, corpus quodcunque non posse ab anima moueri, sed proprium tantummodo. Cæterum liquere ait beatus Thomas, separatam animam uirtute insita corpus nullum posse agitare. Siquidem corpori iuncta id modo permouet, quod uitæ fuerit compos: nam præmortua membra haudquaquam animæ in locali obedire motu. Dilucet autem, ab anima abiuncta corpori prorsum nulli affundi uitam, proinde nullum item ad localem obedire agitatam. Sed inquit, aliquid ei ex diuinæ potestatis fontibus conferri potest. Arbitrantur Chaldæorum scientissimi, ab rationali anima id quo non ferè mirabilius quicquam, effici quandoque, ut radiorum splendore ab ipsa manantium illustratum diuiniore modo corpus etiam surrigatur in sublime, ad id maxime conferente insita radijs leuitate. Quod Zoroastri ueteris theologiæ scientissimo contigisse, proditum memoriæ scimus. Qua item ratione Heliam & apostolum Paulum dicerent raptos in cælum Platonici, eumque esse in corporibus statum, quæ nostræ religio ni glorificata nuncupare, moris est. Contingere autem hoc potissimum, ubi tota in deum patrem luminum consurgit anima, & illinc amplissima luce perfusa, collustrataque rapitur coruscans, atque similiter luminosæ claritatis radios transmittit in corpus. Hæc est anima, quæ sola mente uiuens euadit angelus, ac toto pectore deum concipit, de qua Magorum princeps ita cecinit, ad uerbum ferè tralata sententia: hominū anima deum quodammodo contrahit in seipsam, quando nil retinens mortale, tota diuinis haustibus inebriatur. Sed nos quidem dulcedine quadam capti, diu iam in humanas laudes procurrimus, & mesamur auidius, mira quadam rerum excellentia excussi ab itineris instituta reuertuntur. Verum quia egregium est argumentum, quod non omnino tamen à proposito abeat longius: etenim spicilegium facimus ex omnifariam utriusque linguæ auctoribus, compingimusque in unum ueluti fascem, quæ tum rerum diuersitate, tum difficultate quoque nonnulla, nec breui, nec prompte, ab ijs quibus euigilamus, perlegi possent: dabunt ueniam adeuntes ista assurgentibus quandoque, aut latius publico bono, sed in primis summi opificis gloriæ, spatiantibus. Alibi certe quantum patietur ratio, pressius compendiosiusque longe agemus, modo ne fastidio sit perlegere, quæ nobis alioqui distinctioribus per summas difficultates, nulliusque rei penuriam maiorem, quam congelata

congesta sunt. Hac modo parte laxari habenas nostro iure deposcimus, quando summam rerum nobilitatem attingimus. Cuius causa farentur plerique etiam gentium mancipati sacris, reliqua esse omnia. Nec sanè ita mirum, quando auctore Augustino; ad totius sapientiæ similitudinem facta est anima. Et ab philosopho omnium definita est rerum similitudo, siquidem est uiribus insignita, quibus percipiendis omnibus sufficit, ac uestigandis. Vniuersis quoque similis euadit, quamuis una. Quando terræ per sensum agnoscitur non dissimilis, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, firmamento per intellectum, per intelligentiam cælo cælorum, lapidibus per essentiam, arboribus per uitam, animalibus per sensum & imaginationem, hominibus per rationem, angelis per intellectum, deo per intelligentiam. Porro sicuti in dei participatum ueniunt omnia, sic omnium est capax anima. Deo fruuntur omnia per essentiam, qua sunt: per speciem, qua singulorum firè disparatio: per usum, quo congruè proficiunt ex essentia & specie. Hæc uero tria omnibus insunt impressa summæ essentiæ uestigia, item imaginis & muneris, id est trinitatis. In patre siquidem æternitas est, species in imagine, usus in munere, id est sancto spiritu, qui patris est ac filij munus. Adde quod sicuti deus est ubique totus in toto mundo, & in omni creatura, sic & anima ubique tota in toto corpore suo, uelut in suo mundo: intensius in corde tamen ac cerebro, quemadmodum in cælo esse præcipue narratur Deus.

Connumerantur quibus excellentia rationalis naturæ posse deprimi uidentur: mox reselluntur. Plinij locus restitutus illustratur. Debere unum quencque ipsum se cognoscere. Animam à deo pingi. Morborum causæ. Senectutis laus. Cap. VII

**Q**uanquam, quod & initio libri attigimus, occurri nobis sinuosius, solertiusque ita posse uideo, si tantam fateri necesse est hominis esse nobilitatem: si eius causa produxit omnia parè natura, unde nam sit quod infesta omnia perniciosaque sentimus? Primum non ipsa tellus dicta magnis auctoribus omnium mater, quicquam ferè citra labores sudoresque nostros tulerit: parumque fuerat, id exsequi pertinacissime, nisi in letiferis, & horæ momento animam hominis auferentibus, per benignam se nobis uoluisset ingerere, ceu planè, quod uiuimus, exprobrare nescitibus uelit. Nec mox reliquæ naturæ partes mitius nobiscum agere comperientur. Taceo, quorum naufraga corpora ferarum auiumque partibus iactantur, contonantibus procellis, tanquam rerum natura secum dissidente, ac sapius bellicum canente. Iam quæ loca præfecunda assilientis maris uel adobruta latent? Quam florida ciuitates absorptæ? Sed aeris pugnam quis pro dignitate deplorarit, ut saeuientis pestilentie rabiem prætereant? Cælum quoque ipsum sæpe uidetur in nostrum interitum properare. Iam omnia ferè animantia ex professo infesta homini, quis non nouit? Vbi ergo eximia rerum magnitudo? Vbi cælum exuperans hominis fastigium? Quid, nonne homo ipse homini lupus est? Inuulgatius illud Phalaridis est, siue is fuit alius, tutius se inter præsignes immanitate feras uicturum, quam inter homines. Illa uero quæ triumphatibus ab tergo ingeritur commonitio, quid demum agit? Cuius meminit in apologetico Florens Septimius, & Barbarus Hermoleos ignorasse animaduertitur: Respice, inquit, post te, hominem esse te memento. Proinde libro uicesimo octauo Plinius, Et currus triumphantium sub his pendens defendit medicus inuidiæ, iubetque eosdem respicere. Ita enim legendum uidetur, non recipere, quod in plerisque circumfertur. Meminit historiae consolatoria ad Paulam epistola Hieronymus. Quid ergo tibi subblādiris in malo? Excidit ne illud, optimum esse homini, non nasci: proximum, quam ocyssime aboleri? Quo ergo diuersus abisti? redi ad te, palinodiam recine, fatearisque luctuosa esse hominum primordia, luctuosiores progressus, exitum uero nullis posse lachrymis exæquari: præsertim quum plerisque tenebrarum illa conceptacula, suppliciorum diritas, damnati infandique spiritus excipiāt. Proinde uiue quod es, ac noris quam sit tibi curta supellex. Equidem uera propemodum esse hæc, qui possim diffiteri? Sed audi, si tecum ipse discors sis, quæso, quo nam iure omnia querelis impleas, si à te cætera item dissideant, infestent, cōuellant, lancinēt? At, inquis, diuinum animal sum. Agnosce, obsecro te, non plenè percipio, quid tu diuinum putes, an quod origine tantum, an etiam quod uita? Si origine tantum, falleris; brutum es, lupus, draco, etiam arbor.

Tui te mores exuunt diuinitate. Es ne luxuriæ conciliatus, immo mancipatus, auaritiæ, superbiæ: id genus innumeris alijs. Es, inquam, numisma dei, an uerius Satanæ simulacrum, turba scelerum collutatum adobrutumq; Quid gestis? quid gloriaris terra & cinis? Corpus quidem surrectum est, cuiusmodi uerum addeceat hominem: intus tamen fera est, Typhone multiplicior. Ad cælum tua te effigies reuocat: at inquinatissimis ipse moribus ad iumenta te recipis. Deposco mihi, inquis, uniuersas subijci animantes. Dic quæso, quo nam istud argumentor: aut quo illis excellentior: quo præclarior? Rationale, inquis, sum animal. Audio: sed ubi sese ostentat rationis lumē? aut quid omnino cum ratione uel cogitas uel facis? scortando ne, an expilando: ingerēdo in uentrem, latrinarum medicatorium, quicquid in ulla nascitur naturæ parte? An deum lingua exculcando petulantissima: nimirum hæc sunt rationalis naturæ opera. Respice miser, respice, exue brutum, ad hominem redi: cognosce te ipsum diuinum genus, mortali obseptum indumento, te ipsum (quæso) nuda. Quantum uales, segrega & distingue: uales autem, quantum conaris: elucescet statim aurum omni igne micantius, enitescet nubibus discitis aer serenior, submittes oculos, ac tanquā diuini solis radium reuereberis micantissimum, protinus turpia detestabere, ac teste te scōdum dictu, scōdum factu incepisse pigebit, aut cogitasse. Quando stella es terrena nube circumfusa, quod quum sciret Pythagoras sapiens, uetus profudit oraculum, Te ipsum reuerere. At tu quum in honore esses, inter iumenta deputatus es. Vique quo paruule diligis infantiam: ut in Prouerbijs Solomon inquit: Homini, sed uero tantum homini in mancipatum uenit, quæ terra nutrit, animantia: adnunt quæ in cælo sunt, fulgentissima corpora. Nullum tibi cum his esse dissidium potest, modo ipse tecum non dissideas. Improbè in alia imperium affectat, qui sui compos non est. Id assidue expendendum animo est, Ambulantibus in naturæ principis lege subseruiunt omnia, uenerantur, colunt quodammodo. Vbi extra oleas transuersus ieris, ubi ab præmonstrata reclinari orbita, ubi ab præscripto recesseris, domino rebellis, cuius placita proculcaris iugum detrectans, frustra per peccati scōditatem præuaricatus, illiq; tanquam are ac libra mancipio traditus, aliorum genua requiris, irata omnia infestaq; sunt. Et profectò consentaneum omnino est, ut quemadmodum prauitate intima, & intolerabili petulantia omnia laceessimus, in primis animarum patrem, ac uniuersorum opificem, non detrectemus talionis pœnam. Et nequis ancipitem putet causam, adq; Areopagitas, ut ad iudices grauiores exercitatoresq; planè reijciendam, qui de re controuersa disceptent: hinc ille apud Mercurium Pimander, Amorem corporis, inquit, mortis esse causam scitote. Qui se ipsum cognouit, bonum quod est super euentiam consecutus est: qui uerò corpus errore amoris complectitur, is oberrat in mortis tenebris, mala sensu percipiens. Qui se ipsum cognoscit, in deum transit, ut Dei uerbum tradit. Lux & uita deus est & pater: ex quo natus est homo. Proinde, qui se ex luce ac uita compositum deprehenderit, ad uitam rursus, lucemq; transcendet: adsum enim ego ijs, qui boni, pii, puri, religiosiq; sunt, præsentiaq; mea fert illis opem, ut statim cuncta cognoscant, patremq; pacatum & propitium habeant. Contrà uerò, impios arbitrio dæmonis permitto. Quod ad morbos attinet, quibus parte plurima afflictamur, scitu digna quæ Chrysippus tradit, Non esse eos nisi quodammodo, id est ex principali naturæ consilio, quod foret inconcinnum: sed nisi παρανομοσύνη, id est per seque lam contingere: quod genus sunt alia plura, ut in aere procellæ ac turbines & fulmina. Adde, non propterea naturam uideri accusandam, cui adglutinata sint impedimenta, & quidem insignia, senectus & infirmitas: quando est illa ætas animæ propria, moribus item bonis proinde dulcior, consilijs paratior promptiorq;. Ad mortis autem terculamenta etiam cōstantior, ac inconnuens prorsum: libidinum uerò incentiuis retundēdis quanto, bone deus, firmior? At imbecillitas, nonne sobrietas est mentis? Nam Apostolica intonuit tuba, Quum infirmor, tunc potens sum. Quin & oraculo salutaris responsum illuxit diuinum, Infirmitate perfici uirtutem.

Hominum genera tria pro uitæ institutis. Terræ filij qui dicantur: item cæli, aut dei. Actiuos & uoluptarios haberi tanquam exules, quia cōtemplantiam sint in patria. De uoluptate.

Cap. VIII  
Ex hominum

**E**X hominum uero uiuendi institutis factum est, ut prudentissimi triplex inter eos haberi genus censuerint. Esse quippe nonnullos, qui & dicantur, & sint omnino terræ filij, quæ maxima turba est. Alios uero cæli: alios autem & dei uocant filios. Et poetica quidem fabulositas, Hesiodo principe, terræ prognatos esse gigantes canit. Cui rei suggerit argumentum etiam nomen ipsum, quod ij demum terrena saperent, proni in paltum & Venerem, Deum porro aut negligentes, aut etiam negantes, unde natum, ut cum cælitibus bellasse dicantur, quod esse aliud non uideatur, quam naturæ repugnare. At qui altius attollendum caput arbitrantur, & toto conatu uitæ cultum petunt, artium adminiculis fulti, & scientiarum amore flagrantæ cælestia penetrant, ac mentis sagacitate singula oberrant, intelligentia plurimum uiuentes, Hosce tradunt cælo natos patre, quoniam cælesti mente cælestia modo sapiant & conquirant. Qui uero integritati uitæ, ac diuino tantū cultui mancipati terrena omnia, tum inutile, tum molestum arbitrantur onus, in intelligibilem sese mundum transcribentes, & in patriam dulcem (ut Plato inquit) confugientes, hosce putant dei filios habendos, quæ uera demum & solida felicitas est. Nam actiuos uoluptuososq;, tanquam exules habet Plotinus: ita tamen, ut actiuos facilius reuertī in patriam posse opinetur quàm uoluptarios, etiam si non desint, qui eum a quo negligatur uoluptas, *ἐμυχοῦ* putent *νεκροῦ*, id est animatum mortuum. Porro sicuti uirtute, prudentia, uiribus præcellentes Ioue prognatos prædicant poetæ, ita feritate ac immanitate conspicuos Neptuni filios credi uolunt.

Felicitatem esse duplicem, naturalem, supernaturalemq;. Quo calle hanc consequamur. Corporis descriptio grata. Cap. IX

**E**licitatem uero, quoniam huc prouecti sumus, finiunt eruditi, & meminit in Geneleos septiformi enarratione undecūq; doctissimus Picus, reditū uniuersusq; rei ad initia. Esse enim summum bonum felicitatem. Summum autem bonum id esse, ut primo Moralium Aristoteles, enarratoresq; testantur, quod omnia appetunt: quod autem omnia appetūt, id ipsum est quod omnium est principium. Proinde finis omnium, quod omnium principium, Deus uidelicet. Verum duplici calle incedit felicitas: aut enim naturalis intelligitur, aut supernaturalis. Et naturalem quidem intelligunt, cuius res omnes sint composites, quatenus bonitatis, quæ summa est in deo, participes sunt, & operatio ex naturæ præscripto tendit ad bonum. Nam ignem, ut exemplo res fiat illustrior, diuinæ bonitatis habere partem, ita cōtestamur: etenim primò est, & unumquodq;, quod est, participatu dei est, qui est ipsum esse. Quum ab igne promicat ignis, inibi fecunditatis diuinæ simulacrum est, dum præscriptas sibi non egreditur metas, iustitiam exprimit, dum prodest, exuberantiam in deo benignitatis effingit. Ignis propterea dici felix potest, quatenus hæc præstat, quatenusq; in eum cadere felicitas potest. Cuius, ut perfectius quodq; est, ita etiam capacius. Ideoq; maxime omnium capax homo, quia etiam perfectissimus. Hæc est celebrata ueteribus felicitas, quam Aristoteles sanxit in optima uersari operatione. Nam M. Tullius felicitatem esse ait, fortunam consiliorum honorū adiutricem, quibus qui non utatur, felix nullo pacto esse possit. Voluptatem, inquit septimo Ethicorum philosophus, felicitati adnectunt, nec id citra rationem. nulla nanq; operatio perfecta est, si præpediatur, sed actus est perfectus felicitas: quamobrem bonis qua quidem corporis, quæq; externis, quin & ipsa indiget fortuna, ut non ingerat se obex aliquis. Qui uero astruunt, eum qui rota torqueatur, & magnis conflictetur malis, felicem esse, sit modo bonus, nil profecto dicunt aut sua sponte, aut inuiti. Quòd si est, non homo tantum est ad felicitatē natus, quod ipsi tamen astruere uelle uidentur: nam unumquodq; itidem felix est, aliquo modo, cuius finis est ex destinata ratione. Sed dicam amplius, Cætera non ferè naturæ suæ modulum transiliunt, neclimites egrediuntur obiectos: at homo nunquam non ab se ipso recedit longius, & sui oblitus aliud quiduis amplius agit, quàm hominē. Quo nomine colligitur omnium infelicissimus. Quamobrem adumbrata felicitas hæc est, non solida, nec suis nixa radicibus, quia non in ipso est deo, sed in nobis, cæterisq;. Proinde uera illa demum felicitas, quam supernaturalem dicimus, qua ad diuini uultus contemplationem surrigimur allicimurq;. Sic enim uerus ad principium reditus comparatur, & cum eodem unio, è quo deflu-



defluximus. Ad quem si perrexerimus, haud sanè quis facile retraxerit, nec tanquam Pe-  
liam, ut M. Tullius inquit, recoxerit. Hæc uero est angelicæ humanæq; naturæ commu-  
nis felicitas: hanc bruta nec attingunt, nec affectant: hanc ut cōsequamur, non nostra ui-  
continget: necessarius est diuinus ille radius, quem gratiam diuinæ bonitatis nuncupa-  
mus & credimus. Hæc nos attollat oportet, furrigat, illustret: aliàs fallimur: est enim sal-  
uatoris præpotentis oraculum, Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Trahe-  
mur autem, si Mercurium ita exclamantem audierimus, O uiri terrigenæ, qui uos ipsos  
ebrietati & somno & ignorantiaë mancipastis, sobrii uiuite, abstinete à uentris luxu. Qui  
irrationali somno permulsi estis, cur præcipites in mortem ruitis, quum haudquaquam  
desit immortalitatis consequendæ facultas: Reuocate iam uosmet, qui laboratis inopia,  
ignorantiæ tenebris obuoluti, demigrate ab obscuro lumine, asciscite immortalitatem,  
corruptionem fugite. Ceterum alibi quoq; apud eundem Mercurium euangelicam sub-  
notauimus sententiam: Nisi (inquit) o fili, tuum corpus oderis, te ipsum amare non po-  
tes: quàm primum uero non te, sed Deum ipsum dilexeris, mentem protinus conseque-  
ris. Hanc deniq; nactus, euestigio sciētiam cōparabis. Impossibile uero est, utriq; simul  
intendere, mortalibus & diuinis. In primis uero quam circumfers ueste, exuere oportet,  
indumentum inscitiaë, prauitatis fundamentum, corruptionis uinculum, uelamen opa-  
cum, uiuam mortem, sensuum cadauer, sepulchrum circumuertile, domesticum deniq;  
furem: qui dum blanditur, odit: dum odit, inuidet: umbraculum inimicum ad se ipsum  
raptans deorsum, ne forte conspiciens ueritatis decorem, eius oderis prauitatem. Cete-  
rum, quia satis iam superq; humanæ naturæ admirationem, quod ad animalem attinet  
potestatem, quantū nostra paruitas tulit, uidemur exsecuti, consentaneum equidem sum  
arbitratus, excellentiam eiusdem summam in corporis constitutione pertingere, ut de-  
mum miraculi huius inter cuncta maxime miri æstimatio iusta impleatur, & desinat ho-  
mo se ignorare, respectetq; ad opificem suum, quo ut posset perfrui, ex bonitatis illius  
fonte exuberantissimo in lucem uitalem est emissus.

Humanis corporibus nil deesse ad perfectionem. An corpora nostra sint cæ-  
lestibus nobiliora. De simia iucundum scitu. Corporis humani nuditate non  
esse probrosam, contra Plinij sententiam. Quid responderi possit præponen-  
tibus homini bruta. Cur infantia quadrupedibus nos similes faciat: curq; ul-  
rorum cadauera fluitent supina, foeminarum prona. Pumilionū ratio. Cap. x

**A** T que ut ab medicæ artis scientissimo primum inuita ducamus: Corpora, Ga-  
lenus inquit, sunt animarum instrumenta, quibus illa necessaria exsequi ua-  
leant. Proinde unicuiq; animantiū suæ congrua naturæ ab optimo maximo  
deo membrorum attributa diuersitas est. Quæ item ratio unumquodq; præ-  
ter hominē, armis instruxit accōmodis, proprijsq; ac genuinis. Hic uero quod  
inter omnia ratione polleat, ac intelligentiā, organū habuit, cui reliqua uniuersa nequeat  
comparari. Datae namq; manus sunt, quæ armorum omnium uicem implent, præstōq;  
sunt mirabili diuinitatis prouidentia ad perficiendum, quicquid ratio dictarit. Sicuti nec  
anima ipsa demigravit in corpus, ut omnibus ferè Platonis exceptis, placuisse uideo,  
artis alicuius scientia imbuta, ut intelligentiæ ac cognitionis potestate cunctas perdisce-  
re ualere. Quamobrem inanis est Plinij querela, & Plutarchi quoq; de humanæ naturæ  
infirmitate atq; inscitia. Quoniā homo res est, quam natura cæteris intentius curiosusq;  
amplexatur, producitq; ueluti quiddā absolutius, & perfectius quauis creatura, quæ cæ-  
li ambitu contineatur. Adeo ut non desuerint, qui cælo item præstantiorem opinaren-  
tur hominem, seclusa tamen intelligentiā, præsertim dum ex formula sua uiuit. Quan-  
quam non me fallit, sexto Moralium Aristotelem, & in ijs quæ ad regem Alexandrum  
De mundo scribuntur, si modo non ementita est attitulatio, cælestia corpora homine  
nobiliora facere ac diuiniora, tum animæ ratione seu intelligentiæ, tum corporis, quan-  
do & propiora sint, & magis dei uirtute fruuntur, gerantq; uicem optimorum magistra-  
tuum ciuitatis aut principum, omnia motu suo agentium gubernantiumq;. Quod com-  
probat Auerrois quoq;. Ceterum corporis cōstitutio, ac membrorū compactior distri-  
butio cuncta saltem excedit mixta, etiam animata. Tamen non latet, animalium quo-  
rundam effigiem hominis expressiorem præferre imaginem: quod in simia conuulsi-  
Sed

Sed eam Galenus ridiculosam uocat hominis imitationem. Aliquando autem inuētiō-  
nem ludentium puerorum ridiculariam, in cuius confabricatione iusta uidetur fuisse na-  
tura, ut dicere affuevit Hippocrates, quæ ridiculam animam ridiculo circūuestiuit cor-  
pore. Propterea Theristis turpitudinem expressurus graphicè Lycophon *πιδυλομορφου*  
illum nuncupauit, id est simiæ consimilem, quam etiam Arimum Tyrreni uocent. Ta-  
tianus uerò orator est simiæ cognomentum indeptus, quod omnia ingenio suo imitan-  
do exprimeret. Nam quod humani corporis nuditatem, ueluti probrosam obijciunt Plin-  
nius & Plutarchus: sciunt auctores clarissimi, nos ita naturæ rerum etiamnum patrocini-  
nari posse, hominem nudo maxime omnium, & in te cō inobseptoq; nasci corpore, un-  
de & *ολιγοτερον* dicunt Græci, & *μικροτερον*, id est paucis, exiguisq; cōtectum pilis, quo-  
niam minimum in eo sit terreni recremēti. Quæ ratio efficere quoq; creditur, ut unguis  
item minimos proportionem sit fortitus. Propterea rectius Aristoteles, uir in omni scien-  
tia summus: Qui autem, inquit, hominem non bene, sed deterrime omnium animalium,  
constare aiunt, nudum enim improtectum atq; inermem creatum referunt, non recte ij  
sentiant. Cætera enim animalia unum auxilium habent: idq; nullo pacto ualent permuta-  
re, sed quali calceata semper dormire, ac omnia agere, nec uestitum unquam depone-  
re pleniorē. At homini multa habere præfultui auxilia licet, atq; subinde mutare. Quid  
quod Auicenna doctrina tertia fen primæ primū, Humani corporis cōstitutionem, quā  
Græci uocant *λεξις*, nos etiam temperaturam, temperationem, fermētationem quoq;  
semilatini complexionem dicunt, esse scribit, temperatiorem, quā uel sit usquam, uel  
possit esse omnino, ad dita etiamnum uirtutum dispositione cōgrua, quibus agat, patia-  
turq;. Quando contribuit deus cuiq; animati, & membro pro dignitate, quod actiones  
innatas adiuuet, quantum patitur ratio, & naturæ decor. Adde, quod ab Auicennæ do-  
ctissimo interprete traditū, adnotauimus: Si obduruisset, inquit, homo ut lapis, ore qui-  
dem esset insignis: sed nec loqui omnino posset, neq; item oculis uti: proinde simulacrū  
foret uerius mutum, quā homo: siquidem sensus quilibet, & uoluntarius motus orga-  
num molle requirunt, ac lentum. Queruntur, Seneca inquit, diuinorum munerum ini-  
qui æstimatores, & professi quoq; sapientiam, quod non mole corporis æquemus ele-  
phantes, uelocitate ceruus, leuitate aues. Vix sibi quidam temperant, quin eousq; impu-  
dentiaë prouehantur, ut naturam oderint, quod intra deos simus. At quanto satius est, ad  
contemplationem tot tantorūque beneficiorum reuocare mentem, & agere gratias,  
quod nos in hoc pulcherrimo domicilio uoluerit parens deus secula fortiri, quod terre-  
nis præfecerit. Quicquid negatum nobis est, dari non potuit. Quanto ualentior anima-  
lia sub iugum mittimus: quanto uelociora assequimur? Quā nil est mortale non sub  
ictu nostro positum: Tot uirtutes accepimus, tot artes: animum deniq; syderibus uelo-  
ciorum. Circumeas licet cuncta, nihil inuenies, quod esse malis. Porro ut scientissime in  
Moralibus Plutarchus colligit, equi celeritas in nostra cedit emolumenta, canum pug-  
nacitas hominem tuetur, piscium, suum, id genus cæterorum alimur corpulentia. Ele-  
phas terribilis est ille quidem & uastus corpore, sed adeo nobis obnoxius, ut tantam mo-  
lem in ludicra uerterimus, & spectacula panegyrica, quando saltationes condiscit, & a-  
dorantium modo genua submittere atq; etiam porrigere coronas. Quin id accepimus  
quoq; neutiquam silentio inuoluēdum: elephantū literarum Græcarū ductus perdidit-  
cisse, & ne quid admirationi desit, etiā perscribere solitum. Nam & equum ita edocuit, in  
Traiano scribit Dion, ut regem adoraret. Quamobrem, si cui hoc nomine uiltior est, ac  
putet hominis status, sic fermè responderi posse uideo. Non inest quidē nobis leonis ro-  
bur, non leporum pernicitas, non aquilæ uisus, non piscium in natando agilitas, non  
taurorum impetus, non canum sagacitas: uerum inest prudentia, inest ratio, inest diui-  
nior mens, qua unicuiq; istorum dominamur ad satietatem, uertimus ad delicias, excar-  
nificamus, & utcunq; libuerit, uersamus, seu patinarum uelis, seu assum malis, ut Plau-  
tino utamur ioco. Adijce, quod societas innata homini aduersus uiolentissima quæque  
nos communij ualidissime, & in alienæ naturæ transmisit imperium, ac dominari etiam  
mari iussit. Cōqueritur quidem Plinius, primam roboris spem, primumq; temporis mu-  
nus quadrupedi similes nos facere. At efficit hoc naturæ potētia, quippe superiora cor-  
porum ea ætate inferioribus, alioqui teneritudine insigni præmolibus, tum magnitudi-  
ne, tum

ne, tum pondere præstant plurimum. Quæ ratio efficit necessariò, ut manibus pedum uice utatur infans, qui mox robur indeptus surrigit corpus, & hominis proprium agnoscit statum: donec senio arefcentibus supernis incuruetur plerumq; infernis crassefcentibus, in muliere præsertim. Scribit idem Plinius, Virorum cadauera fluitare supina, foeminarum prona, uelut pudori earum parcente natura. Verum & hoc naturali prouenit ratione, quando mulierum antica possicis longe pernoscentur ponderosiora uteri respectu, & mammarum, quod in homine contra fit omnino. Quæri hac parte & illud potest, Vndenam fiat, quod uniuersim inter animantia iustæ magnitudinis quibusdam adsint corpora, nonnullis uero citra. Cæterum ab physiologiæ studiosis ratio ferè promi duplex affuevit: alteram ex loci promunt angustia, de alimenti inopia reliquam. Sed enim pumiliones arctior locus concinnat: latitudo nanque illis & profunditas lacessita uisitur haudquaquam. Verum parentibus euadunt breuiores multo, ueluti relictis lineis in aduncas reflexis, cuiusmodi agnoscimus ferè tabernulis quæ insunt picturas, breues utiq; at latas tamen, profundasq;. Verum quibus alimenta suppeditarint parcius, his ferè prærenua ac prorsum puerilia constant membra. Pumiliones alias & pumilos dici comperias: quanquam enerues quoq;, ac molliculî nuncupentur pumili. Quod Placides scribit. De arboribus item pumilionem dici, Plinio credimus: quem horoscopo in terra scorpionis parte constituto, nasci, Iulius Firmicus auctor est.

Cur sit erectæ staturæ homo. Cur plantæ contrariò nobis modo se habeant.

Piscis qui dicitur cæli inspector.

Cap. XI



Vid uero sibi uult surrecta hæc corporis figura: an non id ostendat bonum, & subinde ingerit ingratis, cui cætera in brutis nequeant comparari? Equidem sic arbitror, inde commoneri omnes, Non esse hic nos, ut incolas & habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atq; cælestium, quarum spectaculû ad nullû aliud genus animantiû pertinet. Propterea Mercurius inquit, generatio hominû ad diuinorû est operû cognitionem, testimoniumq; naturæ, ad imperandumq; omnibus, quæ cælo teguntur, ad cælestium discursum suspiciendum, ad potestatem dei & naturæ progressus: ut deniq; ipsi ipsas quæ in uita suspexeris, mox felicissimè hinc emigrans perfruaris, cæli transmittens limites in diuinæ maiestatis perpensione, sicuti nostræ religionis placitis, & Platoniorum sancitur. Et erectæ quidem figuræ ratio euidentis hæc, quæ finem nobis præscribit. Additur & humanæ formæ ratio consimilis animæ cæli in recessu ab contrarietate omni: ipsa quippe producta est in umbra intelligentiæ, sicuti Isaac dicere consueuerat. Proinde dicitur homo collimittû, & orizon corporeorum & incorporeorum: cuius superna sunt simpliciter, scilicet uniuersi. Quæ uero ipsum hoc efficit ratio, in calore est, ac spiritu, quibus inter cuncta animantia fecundior homo est, propriæ molis respectu, circa præcordia in primis, & spiritalia membra. Quo fit, ut erigatur corpus propulsione spiritus & sanguinis ad superna. Facit ad id & elementorum nexus, quibus humanum corpus est compactum, quando æquabili maxime pondere ad eius coiere compagem. Quamobrem libro De partibus quarto Aristoteles: Solus, inquit, animalium omnium homo erectus est, quoniam eius natura atq; substantia diuina est. Officium autem diuini est intelligere atq; sapere, quod non facile esset, si uasta corporis moles assideret: pondus enim tardiorum reddit mentem & sensum communem. Propterea concretione ac pondere grauiore opprimente, corpora uergerè in terram necesse est. Accedit ipsi & diuini Thomæ auctoritas in libelli expositione qui est De iuuentute & senectute, qui assignaturus ex mente Aristotelis rationem, cur plantæ contrariò nobis modo se habeant: Est, inquit, erectus homo duabus ex causis, simul quia est animalium perfectissimus, acceditq; plurimum ad cæli æqualitatem, simul quia proportionè corporis calidior est alijs omnibus. Calidi uero proprium est in arrectum tollere. Animalia reliqua medio se habent modo, quoniam minus ad cæli æqualitatem accedunt, minusq; habent caloris erigentis. In plantis autem res omnino contraria est, quia immobiles sunt, superiorq; in illis portio est, unde alimentum recipiunt: id uero in radicibus contingere, manifestum est. Proinde Aristotelem dicere, illas habere oris proportionem. Plantæ item imperfectissimæ sunt, minusq; genuini etiamnum obtinent caloris, quam bruta, nihilq; quodammodo ad cæli æqualitatem accedunt. Ideoq; quod

quod in illis supremum est, in uniuerso inum agnoscitur. Porro ne quid per incuriam transiliamus, auctor Galenus est: sic nos promptius & commodius multo manuum uti ministerio. Quicquid enim contrectamus, uel stantes id agimus, aut omnino sedentes, prorsum uerò nil proni, uel supini: siquidem positum huiusmodi ferè artes nescire. Quod uerò de cæli suspectione protulimus, multo excipit risu Galenus idem: quando procerioris colli auitia longe id facilius ualeant implere. Esse quoq; piscem ait, ab re cæli inspectorem nuncupatum, quod uel inuitus suspiciat perpetuo. Addit, qui ista tradant, non uideri Platonem intellexisse, a quo proditum sit, suspectari a nobis, non ubi quis caput reclinet oscitans, sed cum mente cælestium corporum, cælitumq; naturam attingat.

Quam multa sint in corpore humano admiratione digna. Quæ sit in corporibus pulchritudo. De humoribus quatuor humani corporis. Quid ita functos fato dicamus Alibantas. Segniciei in motu ratio: item animositatis, & contentiosæ naturæ. Idiosyncrasia quid. Medicina uera cur dijs attributa. Cur ingeniosi aliqui, aut obliuiosi. Cur tristes, aut hilares. Item de sanguine, ac bile atra. Plinij locus restituitur libro secundo. Cacoehymia, & Plethora quo differant. Ichores quid, & Enhæmum. Cur sanguis dicatur hæm. Lac quid. Cap. XII



N corporis uerò humani fabrica ingerunt se plurima singulari digna admiratione, quæ singillatim ac curiose contenteq; si quis exsequi curet, uix reperietur finis ullus. Siquidem quæ communia nobis sunt cum brutis, tanto exquisitior in corpore humano rationem habent, ut impius omnino censeatur, qui artificis eminentissimam sapietiam iniqua perpenderit lance. Nec dispicio nunc quo ingenio, qua rerum insigni opportunitate corpora nostra sint ossibus solidata, peruineta neruorû uis, ad omnem motum aptissima, siue procurras, siue retroagi aut circumagi opus sit, non minore ascendendi, uel etiam arrependi occasione, utcumq; omnino liberit, & quidè nullo ferè conatu, ut eos taceam qui agilitate incredibili per circuitos corpora immittunt, & utilium modo tam uariè inflectuntur, ut ne ceræ quidè se quacior uideatur natura. Illa uerò cuiusmodi laus est, in humana facie, uultuq; tantâ agnoscendi diuersitatem, ut inter tot millia hominum indiscretas effigies reperire non sit, aut rarissime admodum sese occasio ostendet, nec ab miraculo res ablit. Quod solertissimum artificis ingenium in paucissimis prorsum affectum fuerit. Quid illa loquendi uarietas, quæ quamuis initio terra uniuersa esset labij unius, eò increuit, ut mirari satis non sit, quæ præsertim dissoni oris quispiam non ferè censeatur hominis uice, inde etiam nato pro uerbio. Obsurdescere hominem in aliena lingua. Iam uero corporum pulchritudo quam apposita, quamq; usui omni accommoda. Nec eam nunc intelligo, quæ ex colorum lineamentorumq; concinnitate consurgit, quâquam nec istam frustra desideraris. Sed hanc prudentes tum efficitam, tum notham rentur pulchritudinem. Siquidè alia *ἡ δὲ ἀποδεδειγμένη*, siue mango corpora laudabit, alia Hippocrates. Ille enim peregrinis nugis, & artificio omni uenustatem, ut Galenus docuit, adsciscit: hic ueram adiudicabit pulchritudinem, quæ optima constat corporis constitutione, quam ex actu pernoscimus, sicuti De utilitate partium secundo, comprobatur Galenus idem. Hanc uerò in membris extimis præcipue attendunt peritiores, quâdo intimis, quia latent, non utique pulchritudinem, sed utilitatem attributam incredibilem uolunt. Est uerò constitutio optima, quæ omnes habet particulas, quæq; ex ipsis profluunt, emolumenta ad actus organorum peraccommoda. Corpus huiusmodi bene habitum euphoron Græci uocant, id est *εὐφροῶν*. Illud uerò in corporis humani compage cuiusnam modi esse creditur, quod arte mirabili, ut mundus, ita etiam homo quatuor constare uidetur elementis, uti decimo Simplicis medicinæ auctor Galenus est, sanguine, pituita, & utraque bile tam atra quam flaua: nam sanguis aeri assimilatur, pituita aquæ, flaua bilis igni, terræ uerò quæ atra dicitur bilis. Siquidem horum singula elementorum habent qualitates, ut *τετραπέδαμον* quoddam possis dicere, ac ueluti moretum: nec tamen omnino modo eodem, hoc est non per minutissimarum partium appositionem, sed per transmutationem & unitatem ita cœcreta generantur corpora, ut separari nisi ab eo, cuius iussu coiere nequeant. Quoniam uerò calens humectatio uitam prorsus continet, frigida autem arefactio mortem, hinc factum

h ut

ut uita functos dicamus alibantas, ceu sint *ἀνὸν λιβάδιον*, id est citra humoris portumculam. Sed illud grauius multo, quibus frigidior succus in uentre, aut in toto corporis habitu collectus est, hos ad motum esse seigniores, compertum est. Sic & qui plethorici uocantur, qui æquabiliter se habentibus succis abundant nimium, & quos recens afflixit frigus. At illi impensius etiam qui natura frigidior sint. Iam his longe insignitius, si frigiditati humor accesserit. Quis uero temperatura præsto calidior fuerit, hi prorsum & sunt animosi, & certaminis cupidiores, adq; actionem prompti nimio plus. Nec illud prætereundum, dici plerisque medicorum idiosyncrasiam priuatam uniuscuiusq; temperaturam corporis, quam assequi coniectatione uel perfectum medicum exactius, renatur impossibile: quo nomine, Galenus inquit, ueram medendi scientiam Aesculapio attribuit, ac Apollini. Gustu porro sanguis dulcis, pituita salsa, flaua bilis amara, atra uero acuta. Fons sanguinis est cor. Ex sanguine spiritus. Sed per cordis partem dextram manat sanguis, per sinistram promicat spiritus. Flaua bilis ex iecore, atra ex splene, pituita ex cerebro. Est uero sanguis calidus & humidus, pituita frigida & humida, flaua bilis, calida simul & arida, atra denique arefcit cum frigiditate. Ex his uero quatuor noscuntur corporum constitutiones: uerum ante has intelligit medicorum schola, quam temperatam uocant, sicuti Constitutionum secundo prodit Galenus, & quarto Colliget Auerrois, ut de Auicenna interrim taceam, secunda primi, doctrina tertia. Quod autem hominum alij sint hilares, tristes alij: causa, ut inquit Hippocrates, in elementis est. Nam qui defecatiissimi sunt sanguinis, ridibundi ferè sunt, usq; corporeq; floridi, & quandoque coloris uenusti. Homerus quoq; de caloris copia risum profluere, inibi uidetur indicare, ubi *γέλωτα ἄσβεστα*, id est inextinguibilem dicit risum. Quin & grammaticis suboluisse uidetur, à quibus *γέλωτος* deduci traditur ab *έλω*, quæ uox caliditatem nobis indicat. In quibus uero flaua exuberat bilis, agiles hi, leues mente, ingenij celeris & iracundi. Qui atra bile abundant, inertes sunt, pusillanimes, timidi. At pituitosi, seignes & frigidi. Ex pituitæ dulcis affluentia somni copiam profluere, coniectant medicorum schola, uelut ex acetosis famem, ex salis sitim, ex crudis sitis interpellationem. Homini autem meminisse & sapere ex temperamento aduenit cerebri, nempe cum medio modo habet, ut neq; calidum, neque frigidum sit. Nam obliuio ex frigido gignitur cerebro magis, quam ratione alia. Ideo morbus quod delirium nuncupatur, à febris gigni traditur exurētibus: sicuti redundante humore frigidus in cerebro, enascitur lethargus. Hinc commoneor, ut Plinij locum, nemini hætenus animaduersum, quod sciam, ad libram exactius reuocem libro secundo capite octuagesimo, ubi legitur modo, Truces uero ex cæli rigore has & illas mobilitates habentes. Reponendum autem sic, Truces uero ex cæli rigore. ut hic dispungas, sicq; inferas demum, has & illas mobilitate hebetes: ut glaciæ mundam partem incolentes, ac æstu torrida, ingenio esse præpingui, percipiamus. Id quod liquidò comprobant sequentia: quippe medijs terrarum spatij molles enitescunt ritus, sensus est purus, ingenia fecunda, totiusq; naturæ capacia. Quæ autem de affectionibus humorum quatuor adnotauimus, Scire oportet, nō uideri ea omnino perpetua: est enim ubi sub uirginea, & miti facie, barbara, atrox & ferina prorsum lateat immanitas. Sub aspernabili uero, & cruenta minante uultu latet quandoq; amabilis & exosculanda clementia. Quibus uero uenusta frons & ridibunda, renidensq; æstuant sæpe moeroribus, ac sibi ipsis putent. Iam quosdam inuenias ita lugubres aspectu & infertio uultu & fronte obducta, instar uicti Marfyæ, ut Saturni mancipia planè uideantur. At quum attentaris, bone deus, quam sereno sunt animo, quam facetoso, quanta comitate risu omnia resoluunt. Inter humores uero sanguis longè præstantior censetur, si quidem est spirituum materia, quibus maxime stat uita, & uirtutis uegetatricis operatio, atque item animalis. Deinde, quia ad uitæ principia accedit amplius, quum sit attemperati caloris, humectiq; præterea alit efficacius, instauratq; quod intercidit, proinde naturæ thesaurus habetur; & ut Plato inquit, carniū, & uniuersi corporis pabulum, quo pereunte, confestim insequatur mors. Bilem atram, seu *μελαγχολίαν* ueluti sordes intelligunt feculentas, distitas plurimum ab uitæ principijs, lætitiæ hostes ac liberalitatis, senio & mortu uelut cognatione iunctas. Ex medica illud est doctrina, si ex æquilibrio augetur chymi, affectionem innasci, quam *πληθῶς* dicunt, ac *πληθῶσαν*. Vbi uero bile flaua, aut nigra uel phlegmate aut humoribus, quos *ὀφθαλμῶδες* uocant, offertur uisatur corpus, caco chymiam

chymiam nuncupant, non Plethoram: humorem pituitosum, ac frigidum Praxagoras uitreum nominabat. Diocles monebat, Maio mense augetur in hominibus pituitam, & *ιχθῆρας* dulces: æstate uero flauam bilem, & amaros *ιχθῆρας*, eo utiq; uocabulo sanguini humores innuens permixtos. Scire tamen licet, Ichoras Græcis quandoq; pro humoribus in corpore seu corruptis, seu integris accipi. Lego apud eruditos, quod equidem relatu dignum censui: pituitæ speciem ingenerari quandam gypso aqua macerato persimilem, sed membrorum nodis præcipue, Vbi decoquentis uis caloris sæpe fiat perinde ac gypseus lapis, mirabili etiam mulieris exemplo, quam diu molestum uexarat onus sphondylorum ac rhenum. Ea cum scabendo, pruritu titillate, cutem lancinasset, lapilli exciderunt numero decem & octo, magnitudine quanta in tesseriis uisitur, colore planè gypseo. Cæterum ex quo coepimus & miraculum ex sanguine subtexamus alterum. Vnde enim fiat, ut in uulneris auctorem, si superueniat intra horas plus minus septem, proflite pernoscat: Nempe qui uulneratur ac perimitur, in assilientem dolenter conuertitur, cogitatio ultionem expetit auide, ad id repente inardescit bilis, à qua mox succenditur sanguis, raptimq; tota uis sese ad uulnus proripit, tum fomenti causa, tum uindictæ. Conuolant spiritus insimul, qui insita leuitate mox auctorem circumliliunt, cuius calore perseverant, persistuntq; aliquandiu. Quo tempore, si uulnus inspiciat is cominus promitur in eundem sanguis, tum calore necdum extincto, tum quod nec agitatio quietit interior, simul quia uel prius in illum sese concitarat. Porro quoniam spiritus suos repetit sanguis, suumq; prolificiunt sanguinem spiritus. Sunt ex theologis, qui in deum refundant euentus causam, ut horridius fiat peccatum, ac detestabilius. Illud auctarij fuerit loco, inter medicamenta esse, quod uocetur enhæmon: quod ut ex Hippocrate quarto Therapeutices inquit Galenus, *καλὴν ἐμπύην, καὶ ἀναφθράννην*. Nam & primo Problematum Aristoteles, supprimi ab eo sanguinem scribit, ac materia inutiles cōfluuium reprimere. Ita enim efficit, ut uulnus simul & inflammatione careat, & unitati sit opportunum. Porro, quæ cruentis iniicienda censemus, acria ex parte magna sunt, quo acerbitate sua astringere queant. Deniq; medicamentis constant non pinguibus: ideoq; Alipene nuncupantur. Cæterum & ulcus enhæmum dicit Galeno quandoq; obseruauimus, tanquam cruentum intelligas, *καὶ πρὸς φάρμακον*. Nec illud præterio, in Alexipharmacis Nicædri sanguinem dicit *ἐπὶ*, quoniam uere plurimum exundet. Certe eariten sunt qui hæmatiten dicant lapidem. Lac, ut phisici produnt nonnulli, sanguinis spuma est, quo nomine, inquit Varro, nutricem oportet esse adolescentem, anuis enim ut sanguis deterior, sic lac.

Spiritus plura significare. Branchus quid. De animali spiritu, uitali, naturali. Ingeniorum diuersitas unde sit. Cap. XIII

**S**piritus, siue *πνεῦμα* modis dicit pluribus, non grammaticis modo notum, sed & medicis: uno enim modo de anhelitu pronuntiat, ut apud Hippocratem, Galeno teste Prognosticorum prima: Spiritus si frequens sit, dolor & succensionem significat in his quæ sunt super diaphragma. Et apud Quintilianum libro undecimo: Est interim, inquit, & longus & plenus & clarus satis spiritus, non tamen firmæ intentionis: ideoq; tremulus, ut corpora, quæ aspectu integra neruis parum sustinentur. id Græci *βρωχῶν* uocant. Alio item modo uentum indicat, deinde & substantiam incorpoream, rationalem. Nam sic angeli uel intelligentiæ, & anima, spiritus ab theologis nuncupari solent. Postremò autem est spiritus substantia subtilis, ærea, dilucida, ex tenuissima quæq; sanguinis parte producta, ut deferatur uirtus à præcipuis membris ad reliqua, quo proprios ualeant actus exercere. Spiritus hic ad sanguinem ita se habet, ut ad ignem scintilla. Galenus libro De uirtutibus nostrum corpus dispensantibus, duo tantum facit spirituum genera, uitale, & animale. At Therapeutices duodecimo, naturalem etiam addit: ita uero ut ambigens de eo uerba faciat, & per conditionem. Auerrois secundo Colliget (ut barbaro, sed scholis tamen pertrito utamur titulo) duos facit spiritus, in corde uitale, at animale in cerebro. Sed primo Canticæ addit etiamnum ipse naturalem, quem ex uapore gigni interpretatur depurato detersq;. Cuius sedem, inquit, statuit Galenus hepar, unde transmittatur in corpus reliquum. Aristoteles autem cor, in quo deprehenditur manifesto. Præcipuum uero instrum

mentum quo uigent reliqua, est per neruos in cor & iecur descendens ex cerebro spiritus animalis. Vitalis autem spiritus ex corde profluens, multa est tenuitas quæ ad corporis membra inuehitur per arterias, causa cognati, insititque ac uitalis caloris existens, & proinde etiam uitalis nominatur. Hic etiam per arterias sese attollens ad caput materia spiritus fit in cerebro, quodamque moderamine sese omnis sensus & imaginationis & memoria, appetitusque & motus, necnon in ratione utentibus opinionis & intelligentiæ instrumentum abunde suggerit. In primisque sese animæ offert, & quod illa intenderit, irrtimpit: quamobrem etiam animale nuncupatur instrumentum. Verum tamen iuxta eius temperiem uariam uarias ac diuersas anima quoque perficit actiones. Vnde & ingeniorum nascitur diuersitas, quod & in brutis animaduertimus. Quædam enim rationi propiora uidentur, pro spiritus qui cerebrum occupauit qualitate. Quamquam & acutiora deprehenduntur ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus ac tenuis. Quin & quibus uiscere cibis ad mentis aciem interesse plurimum, coniectant.

Quid arteria, & quid uena: origo utriusque. Vena an dicatur de arteria, contra Gellium. Hæmorrhagia quid. Anastomosis. Diapedesis. Parocheteusis. Antispasus. Ischæmon. Arteriæ tunica an coeat soluta. Colletica. Epuletica. Cirfos. Varices.

Cap. XIII

**Q**uoniam uero sanguinis spiritusque facta nobis mentio est, quibus implendo deplendoque uitam reficit natura, uel perdit, congruum fuerit, hic potissimum uenarum, quas dicunt sanguinis riuos, & arteriarum, quas spiritus uocant semitas, rationem paucis attigisse, primumque rerum ipsarum finitionem. Venæ igitur sanguinis esse conceptaculum dicunt, siue (ut medici nuncupant) uas, mixti confusique cum spiritu naturali, in quo sanguinis plus sit, spiritus autem minus. Arteriæ esse uolunt spiritus conceptaculum naturalis mixti confusique cum sanguine: in quo spiritus sit plus, sanguinis minus. Id uero plane obseruatione dignum ex Galeni doctrina, necnon Cordubensis Moyse, Aphorismorum particula prima: eum qui sit in pulsantibus uenis sanguinem uideri esseque modi non magni ac prætenuem, adque sumi naturam proxime accedentem. Rursum qui est in uenis non pulsantibus, spiritum esse modicum item ac omnino nebulosum. Venarum exortum omnes ferè a capite atque cerebro deducunt, sed errore maximo, ut tertio De animalium historiis auctor Aristoteles est, qui earum naturam deprehendit huiusmodi: duas uidelicet intra pectus uenas contineri, spinæ appositæ: altera quarum maior sit, minor altera: sed maior, inquit, priorem partem adit, minor posteriorem: & maior dexteram potius sedem obtinet, minor sinistram: quam ahortam nonnulli uocant, eo quod neruosa eius pars conspici uel in mortuis potuit. Ambæ ex corde originem ducunt, transigunt enim totæ cætera uiscera, per quæ tendunt suam seruantes naturam. Deinde exsequitur Philosophus, qua ratione illarum utraq; in totum dispergatur corpus, ea transponere ac uelut conuolare uniuersa, non fuit consilij, ne pragmatia nostra hæc de homine exeat in immensum. Qui curiosius ista perquirat, locum habet quem adeat. Auicenna item doctrina quinta fen primæ primæ, Arterias esse corpora scribit sinuosa, in longum porrecta, neruosa, ex corde propagata: quibus inlitionis uirtus per diastolen & systolen, id est per disparationem & contractionem, ut inde cordis euentatio comparetur, & ab eo fumidus segregetur uapor, & membris corporis distributum infundatur spiritus. Venæ autem, inquit, arterijs quidem persimiles sunt, sed ab hepate manant ac quiescunt. Earum munia sunt, membrum sanguinem insinuare. Scitu uero non indignum parte hac, ab Hippocrate, sicuti ab uetustioribus item alijs, duo genera uasorum, quibus contineatur sanguis, nuncupari uenas, non ut ab iunioribus, alterum tantum, cui non insit pulsus. Id quod est secundo De morborum interstitijs ab Galeno confirmatum, & A. Gellij sententiam reuellit insigniter, sed & Quintilianus septimi libri sine, uim appellat sentiendi uenarum pulsus. Plinius quoque libro item septimo, Venarum dicit formicantem percussam. Auicennæ eruditus interpret dubium uideri scribit, profluant ne ab hepate uenæ, quum Aristotelis (inquit) sententia sit, uenas & arterias a corde initia ducere. Galenus quarto De utilitate partium, non pulsantes uenas, tunicæ unius ab hepate ortum habere scribit. Idem approbasse Auerrois uidetur prim

Coll

Colliget, capite De uenis. Etiam si in libro De dispositionibus cordis, asserere non ambigat, esse in corde cibalem uim, spiritus quoque & uenarum ac neruorum propaginem. Ego uero Galeni doctrinæ cæsum in harenendum, quam niti experimento scimus. Apuleius in libro De dogmate Platonis: Ex aduersum, inquit, cordi uenarum meatus oriuntur, per pulmonis spiracula uiuacitatem transferentes, quam de corde susceperunt, & rursus ex illo loco diuisæ per membra in totum hominem inuehunt spiritum. Cælen, id est concuam dici uenam maximam, quæ ab corde initia ducat, auctor est Pollux. Illud adiecisse, puto, nil obfuerit, Hæmorrhagiæ dici sanguinis fluorem, uenis uel ruptis uel conuulseratis. Fit autem Hæmorrhagiæ, quæ anastomosis, id est *ἀναστομωσις* nuncupatur, ex ualis, seu conceptaculi imbecillitate, & impetu copiosiore affluentis sanguinis ad eius os. At quæ dicitur *διapedησις*, hoc est diapedesis, tunica confit rarefcente, ac sanguine attenuato. In hæmorrhagijs ex Hippocratis instituto auertitur sanguis aut parocheteusis, aut antispasus. Et parocheteusis quidem intelligunt, ubi in propinqua corruatur loca: antispasus uero quum in opposita: ueluti ex supernis demanante sanguine per nares, sit *ἀντισπασμωσις*: at per inferna, uti per sedem, *ἀντιπασμωσις*. Sed & in occipitio, si per nares profluuium infestet. Hæc enim obiecta item accipimus. Ischæma denique, id est *ἰσχάμα*, sunt, quæ sanguinis comprimunt fluorem, medicamina. Porro & id obseruatione non indignum. A quibusdam traditum, Arteriæ tuniculam unam esse duram adeo, & *χρυσώδης*, ut omnino sit consolidationis nescia. Sic enim symphysin interpretamur: quippe mollia tantum corpora adglutinationem admittunt. Nam lapidi non concrecit lapis. Experimento tamen se Galenus aduertisse prodit, coisse quandoque: ac arteriæ naturam esse utique dysphyton, id est quæ coalescat difficulter, non esse tamen prorsum asymphyton, id est ab coalitu seiunctam. Quæ uero consolidant, symphytica dicuntur pharmaca: sicuti colletica, quæ adglutinant: epuletica, quæ cicatricem inducunt. Cirfos dicunt ueteres Græci, ac medici præcipue, quum toto corpore amplius uenæ dilatantur. Quum uero in cruribus, ixias uocant: nonnulli ex alia scriptorum decuria, uarices uocant Latini.

Pulsus quid. Item de ratione pulsuum digna scitu. Qui sit formiculans percussus, & uermiculans. Plinius declaratur. Microsphycti qui intelligantur.

Caput

XV

**A**m uero ut ueluti per gradus quosdam hominis nobilitatem attingamus ratione corporis, cui non uideatur diuinæ sapientiæ miranda benignitas, quæ summo studio peculiariter semper impertitur, quo à brutis insigniter se iungamur: Si quidem pulsuum ratio quam mira est: quam uere diuina? Qui in cacumine membrorum euidentibus sunt morborum indices, in modulos certos legesque metricas per ætates citati, aut stabiles, aut tardi. In his obseruatio crebri aut languidi ictus gubernacula uitæ temperat. Quo quid parte hac præstantius? aut quid æquè necessarium? Pulsuum uero, siue (ut Græci dicunt) *σφυγμῶν*, sic ferme finiunt, ut esse intentionem motus dicant, & remissionem in corde & in arteria, naturalis, non arbitrarij. At ueteres medici etiam sic: Pulsus est disparatio & contractio indiuisibilis arteriæ ac cordis, uel subsultio & palpitatio uel ebullitio uenæ & arteriæ. Vnum quentque uero pulsuum esse compositum, Auicenna scribit, ex motibus duobus. Quibus duplex item accedat quies: nam inter motus duos, & quidem contrarios, necesse est intercedat quies. Neque enim fieri potest, ut motui continuetur motus, quoniam unicuique præscribitur meta ad quam tendat, quod ubi sit peruentum quiescat. Systoles uero seu contractionis motus, à plerisque medicorum haud percipitur. Tunc enim à manu recedit arteria, tactus uero non prouenit, nisi sensibile tangentem contingat. Galenus medicinæ scientissimus, cuius Auicenna se fatetur interpretem, proinde scribit, Remissionem huiusmodi non obseruasse diu: mox uero curiosius sollicitiusque intendentem adeptum non nihil: denique ita progressum, ut pulsuum ianua sibi pateceret omnino. Sed cur nam institutum, brachiorum arterias obseruare potissimum? Nempe, inquit Galenus idem in libro qui est ad pulsuum Isagogicus, quia paratior est pars ea, atque item prolatur honestior. Accedit, eius loci pulsuum esse uniformem maxime atque in necessitate perutilem. Nam & arterias eiusmodi patentiores nouimus, quia pars ea minime sit corpulenta, nec abest ordinis rectitudo, qua in

h 3 cum

eum locum à corde corruatur arteria, nusquã ferè anfractibus sinuata. Adiuuat & propinquitas, præcipuè sinistri brachij, quo uberius se promit à corde uirtus. Quia uerò septimo Naturalis historiarum Plinius inter signa ingruentis mortis inæqualem formicantemq; uenarum percussum apposuit: Formicantem pulsus Galenus capite tertio libri De tactu pulsus, intelligit minutum, densum, ac summe debilem, qui uelocitatis opinionem exhibeat, quum sit minime uelox. Ralis auctor & ipse fidei haud labefactaræ, nec dilutæ, decimo Almanforis, pulsui nuper æditi infantis esse similem tradit. Phlaretus quærit, quo distet ab formicante uermiculans percussus: & hunc quidem putat quandoque conuerti demutariq; in melius, eius item amplius patere inæqualitatem. Formicantem uerò uirtute prorsum intermorta fieri, & interitum prænuntiare. Memorandum uerò Microsphyctos uocari quoq; Græcis, quibus pusilli sunt uenarum pulsus, longitudine altitudineq; ac latitudine minima, uti ab Galeno proditum est, surrecta arteria.

Quæ sunt partes in animalibus similes & dissimiles: item de neruis.  
Quæ membra organica. Quoq; ab ijs differant, quæ animalium dicuntur partes.

Cap. xvi

**A** Nimalium partes, inquit Aristoteles, aut in compositæ sunt, quæ scilicet in similes sibi partes diuiduntur, ut caro in carnes, & ob eam rem similes, id est homœomeræ dicuntur. Aut compositæ, quæ aptæ secari in partes dissimiles sint, non in similes, ut manus non in manus secatur, aut facies in facies. Quapropter dissimiles, id est anhomœomeras nominamus. Eadem hæc Auicenna ex Aristotele mutuatus doctrina quinta sen primæ primi cõscribit: sed addit, Dissimiles partes dici membra organica, quod sint animæ instrumeta ad complendum motus & actus. Nam & Therapeutices primo Galenus aliud esse morion, seu morion, & aliud organum præmonstrans: Organum, inquit, *ὀνομάζω μὲν ὅτι ἴσως, τελέειας ἢ ὑπερῆρας ἀπὸ βραχυῖος, ὅτι ὀφθαλμοῦ ὁ ἴσως.* Quæ sanè ratione oculus quidem animalis dicitur *μὲν ὀφθαλμοῦ ἢ ἴσως*. At tunica ceratoides *μὲν ὀφθαλμοῦ* utiq; ac *μὲν ὀφθαλμοῦ*: organum autem minime. Inter similia principem locum habere ait Auicenna os, mox chartilaginem, postea neruos, qui sint corpora ex cerebro prodeuntia, seu ab nuca, alba, flexu mollia, & quæ non facile interuellantur, ea maxime ratione nata, ut eorum adminiculo membra & sensus non sint expertia, nec motus. Sciendum uerò hæc partes haberi ac dici simplices ex sensus tantum iudicio, quoniam, & ipsæ ex elementis compactæ sunt: uerum quia in compositis non se actu promunt elementa, nec pernoscitur portio ulla, cui non cõgruat appellatio totius & distinctio eadem, simplicia nuncupantur & homogenea.

Ossium ratio. Cornei cur dicantur, quibus sunt ossa concreta. Quot in humano corpore. Interim quæ ossa dicuntur simenta, uel cynolopha: item sesamina, lambda, hyodea, catagma, helcos, rhegma, spasma, apospasma, tere-don, lygyfmos. Poros quid.

Cap. xvii

**P** Lato in libro De uniuersi natura, humani corporis explicans rationem: Os, inquit deus artifex ita concinnauit, terram atterens puram lenemq; miscuit, madefecitq; medulla, id postea in ignem iecit, mox in aquam misit, rursus in ignem, iterum & in aquam: sicq; transferens sapius in utrunq; tale reddidit, ut liquari à neutro possit. Quibus natura concreta sint ossa, quos rarerer utiq; reperias, Cornei dicuntur, puto, quia cornui masculæ nulla inlit medulla. Ossium uerò distinctio est apud medicos appositissima. Alia siquidem basis uicem præstant, quoniam illis innitatur corpus, quo in genere sint sphondyli dorfi: propterea inquit Aristoteles, Initium in omnibus, quæ ossibus constant, spina est, quæ compacta ex uertebriis à capite ad coxas porrigitur. Alia uerò clypei modum habent ad tutandum, sicuti os cranei, quo tanquam sphaera ossea, ut Plato inquit, quasi tornata cerebrum est circumseptum. Alia item armorum loco sunt, quibus præpediētia protelentur, ut quæ trito medicis uocabulo excuruitatis natura, ut ipsi interpretantur, Simenta nuncupantur, ab Græcis *κυνολοφα* dicta, id est canina prominētia. Hæc uerò super dorfi sphondylos locum habent. Alia sunt quibus iuncturarum siue compagum expletur inanitas: quæ, quod minutula sunt, uocant sesamina, ut scribit Albertus, inter ossa digitorum reperta potissimum, ut in genu patella. Aliorum ratio est ad partium interpenionem, sicuti os quod ab literæ figura dicitur lambda

lambda, abs quo gutturis ac linguæ musculi propendent. Id ab Galeno etiam uocatur hyodeum. Qui sic omnino distinguit, uti ossium alia motui subseruiant, quæ articulos uocant: alia motu careant, *συνάρθρωσις* dicunt, id est articularem concretionem. Cuius forma triplex: aut enim sutura est, ut in capite: aut uelut clauis, ut dentes: aut symphysis, qua ossa coherent, uelut insitio. Illud item obseruatione dignum: Ossa in homine comperiri numero exactissimo, & in summa (ut dicitur) summarum, ducenta quadraginta octo: sicuti in digitos misere diligentia præsigni Hippocrates, Galenus, Ralis, Auicenna, & Auerrois quoq;. Quamquam hosce, ijs mox singillatim recensendis, non nihil dissidere animaduertirim. Albertus ducenta facit & septuaginta sex. In capite connumerantur nouem & quinquaginta: in thorace sexaginta septem: cui supputationi accedat quod in corde os reperitur: etiã si ab uniuerso id numero secludat Auerrois primo Colliger. Id uero Aristotele tradente, unam habet rationē, ut basis sit ac fundamentū motus cordis. Nec id in omnibus repereris, sed in equis modo & bobus, certo genere, ut idem arbitrat. Albertus id se uidisse tradit in ceruis & in homine quoq;, & in multis præterea animalibus. Brachijs manibusq; duo ascribunt & sexaginta, pedibus sexaginta. Omento integri ossa omnia, dilucet: nam exempto eo, sideratio consequitur manifesta, & sensus amotio. Sciendum ex Therapeutices tertio, In osse id esse catagma, quod in carne helcos, id est ulcus. Vtrobicq; enim esse *συνεχίας λύσις*, id est continuitatis ac seriei interpellationem. Quam item rationem in corpulentis exillato ictu habet *τραύμα*. Citra plagam uero rhegma, id est *ρήγμα*. Nam in neruosis planè spasma est. Eiusdem porro generis censetur & apospasma, sed in nodis, ac coniunctionibus. Fracturam consequitur sæpe, quam dicunt *εργύμωσις*. Obtingit uero frequenter per uasorum *ἀνατόμωσις*, & eam quæ uocatur *σπασμωδία*, continuitatis interpellatio & ipsa. Catagmaticas deniq; leges dici, obseruauimus: sicuti ligaturas item catagmaticas. Tere-don apud Græcos, perforationem indicat. Sed in nomine, litera e abundare uidetur: nam ab tremate, id est foramine inflectitur, ueluti tere-don quædam, id est foratio, existens, quæ ab acutis humoribus fiat exedentibus. Lygyfmon uocant Græci, ubi franguntur in cruribus aut brachijs ossa. Deniq; fracta ossa non per unitionem coherere, tradunt nonnulli, sed per callum eum quem Græci poron dicunt, ceu glutino iungi.

Chartilaginis natura quo ab ossibus differat. Chondros, chondracantha, medulla notiaæ, spondylion, moschion, medulla lanæ, medulla auium.

Caput

xviii

**C** Hartilago ab osse diuersa est pluris minorisue ratione, quum alioqui natura sit compar: siquidem præcisum os non succrescit amplius, nec chartilago conuulsa cois, restituitur. Ad flexum lectisternij uicem præstat, *χόνδρος* Græci uocant. Ex nerui ossisq; natura conflatur, ut scribit Pollux, & tradit Galenus, *χόνδρος* dicuntur, quæ spinam habent chartilagineam. Terrestrium, quæ animal gignunt, nec exanguia uisuntur, chartilago foramine nullo cauatur, proinde etiam medullæ expers est, A quatiliū, quæ *σελλος* dicuntur, id est chartilaginata, per dorsum quod est ossium *ἀνάλωγον*, chartilago humorem habet medullæ modo. In gressilibus; ex quibus progignitur animal, auriculas & nares, nonnullam habere chartilaginem scimus. Medullam scribit Galenus, eam dici germana significatione, ossibus quæ occlusa distinctur, minus proprie dorsalem quoq; notiamq; Græcis appellatam, reliqua durior rem sicciorēq;. At quæ spondylis continetur, Polluci spondyliōnis censetur nomenclatura. Vituli medullam dici medicis moschiam, idem auctor est Galenus Simplicis medicinæ libro undecimo: sed qui uocabulo item eodem caparum uocant semina, quin & tenellas plantas: nam & Plinius lanæ medullas uocat, tenuissimam quanq; in lanitio partem, sic & auium medullam nuncupabimus plumulam molliorem.

Neruorum ratio, & unde oriuntur nerui. An sentiendi organum sit caro. Anthrope quid: item epidermis, rhacodes, lacernosa cutis.

Cap. xix

**A** M uero neruorum naturam si ad perpenionem reuoces, qualis nam inde confurget opificis admiratio: ijs nodi corporum qui uocantur articuli, aliubi interuentu, aliubi ambitu, aliubi transitu tanta animantium utilitate, ac membrorum firmitate, & motus præstanti, & certa ligantur pernitate, ut (ad sit

modo æquus rerum æstimator) fateri necesse sit, eam fuisse diuinæ sapientiæ in hac fabrica curam, ut singulis tantum eius attribueret bonitas, quantum emolumentum ac decoris ratio patiebatur. Ex qua alios uideamus teretes, nonnullos item latos, ut in unoquoque poscere figuratio uidebatur. Nervorum naturam Plato scribit, ex osse ac carne non fermentata esse à deo cōtemperatam, & flauo infectam colore: indeq; nervos carne quidem teniores factos aridioresq; ossibus autem agiliores & molliores, quibus idem medullas & ossa peruinxerit, omniaq; carnibus operuerit. Nervos porrò in corde habere ortum, Aristotelis sententia est, quoniam id neuulos suo ampliore uentriculo cōtineat, & uena, quam ahortam dicunt, neuosa sit. Alberti glutinososq; humore nervos & nasci & alii, idem affirmat auctor, cuiusmodi etiam humorem mucori assimilem eis circuectum conuulsumus. Auicenna primo Canonis, ut medicus & Galeni interpretis, nervos ab cerebro & nuca produci scribit. Libro tamen De animalibus tertio, hærendum Aristoteli est opinatus. Galenus locis aliquot sententiam priorem fouet: quem adiuuat Auerrois primo Colliget, item Cantica primo. uita uero sit potior sententia, non cuiuslibet fuerit sancire: præsertim quum grauis auctor in Aphorismis Damascenus ita pronuntiarit, Vbi diffideant Aristoteles & Galenus, haud facile internosci uerum: at ubi Aristoteles ipse pugnantia scribat, quid agendum? Nam in libris De animalibus, non semel sentiendi organum carnem statuit, aut *αυδης γαρ*, non (ut medici, & nos supra communiuimus) nervos. At secundo De anima: Caro non est, inquit, sensus instrumentum, sed medium potius, sicut aer & aqua sunt in uideudi, audiendi, olfaciendi ratione mediatam: sensibilia super sensibile facientia non mouent sensum, mouent autem super carnem posita. Auerrois assecla ubiq; fere Aristotelis, & medicorum, ubi se ostentari occasio, infestator acerrimus, Galenum hac parte insequi maluit, Aristotele relicto, Quod ipsum & duodecimo De animalibus Auicenna facit. Sed fortè carnem significauit lacertosam Aristoteles, cui tantum sensuificæ inest potentia, quantum nervorum. Albertus uir doctior, quam politior, nervos à cerebro diuidi tradit, dum ad pellem pertinent cerebrum obrenta, oriri autem à corde. Item alios dici sensuum uehicula, alios motuum. Hos quoque ab occipitio produci: ab anteriore parte illos. Hominis pellem Herodotus anthropennūcupauit, id est *ανθρωπινω* uel (ut in alijs) *ανθρωπείω*. At Galenus Epidermida uocat, quæ ulceri demum perfanato inducitur, & *επιπολυλωσεως δερμινω εν ληθη* & *επ' αλωκε τε λεως τω λαουω εν ληθη*, ex Therapeutices tertio. Sed alibi pellis superficiem intelligere eo nomine uidetur. Est & in abscessibus cutis nuncupata rhacodes, puris uirulentia insigniter attenuata, & *ρελακκας*, id est attritis linteis admodum assimilis. Lacerosam autem Latine appellant nonnulli, quia lacernæ instar rodatur. Aponeurosis, neuæ dicitur tenuitas. Amplius de epidermade Galenus Simplicium pharmacorum libro undecimo: Pediculorum, inquit, multitudo succrescit, in quibus copiosior fuerit cacochymia, & quidam uelut cortex absconditur à cute, diciturq; epidermis, qua crassi uiscosiq; continentur humores, unde fit scabies, lepra, elephantia.

Carnis ratio ex Platonis doctrina. Carnis species duæ. Qui sint ines, & qui uilli apud medicinæ peritos. Pulpa, in Plinio quid. Parenchymata, adenes, inion, inis, inulus, hinni. Sarcotica pharmaca, cephalica, catharetica, hyperfarcosis, eufarcon.

Cap. xxx

**C**arnem scribit Plato, aduersus frigoris & caloris iniuriam ab opifice deo tegumenti uice neruis ossibusq; superinductam, proinde inditum ei humorem caloris non immunem, ut æstate quidem roscida madidaq; extrinsecus, corpori uniuerso domesticam exhibeat refrigerationem, hyeme uero rursus igne proprio glaciem extrinsecus illatam repellat moderate. Quæ quum præclarus ille nostri corporis sictor esset meditatus, permixtione quadam ex aqua, igni, terraq; cōtemperata, indito insuper acuto falsoq; fermento, succi plenam ac mollem conflauit carnem. Huius uero species duas agnoscunt medicorum scholæ: aut enim uillosa caro est, ut quæ in musculis habetur: aut uillis nuda prorsum, ut hepar. Villos intelligunt, quos uocant Græci *inæ*. Etiam si non me fugit, Plinium quandoq; uenas fibrasq; conuertere, quod & Theodorus facit, non peruos. Cæterum tenuissima pars chartæ dicitur item ina. Est ubi Plinius idem, pulpam pro neruo accipiat, quam Theophrastus etiam uocari ina. Quibus

Quibusdam, inquit, pulpa sine uenis mero stamine ac tenui constat. Villum medici describit, corporis partem substantiæ tenacioris, solidam, gracilem oblongamq; filo per similem, quæ motui subseruiat, & carni robur adijciat. Villorum alios statuerunt neruofos, uenofos alios: & sint etiam quos arteriales uocant aut panniculosos, uel qui uilium fungantur uice. Omninoq; diuersi euadant pro membrorum ratione, in quibus comperiuntur, aut à quibus propagantur. Quod Galenus cōprobat Cræseon secundo. Sed & Therapeutices decimo: In musculis (inquit) est modo caro, in alijs hanc præter paucos agnoscit nemo. Sed in hepate, renibus, splene, pulmone parenchymata uocant, id est *σπυγγώματα*. In intestinis uero & uentre ac stomacho uuluaq; est pars hæc innominata. Sed & quartodecimo, Visceribus, inquit, propria inest caro, quam plerique parenchyma uocant. Adenes esse Galenus finit, concretam in se durius carnem, conuolutamq; Astruit Auicenna, ex motibus nullum, nisi per uillos fieri. Est, inquit Eustathius, *ινιον* in capitis posteriore parte, quo concidente ad inferiora, contractoq; ad humeros, *ιδυδου* dicitur, hoc est incuruari qui id patitur. Alijs esse inion uidetur nerui cauitas; qui dicitur etiam *τρυων*. Inis apud Græcos, etiam infans dicitur. Inulos accipiunt nonnulli ceruinos pullos. Hinnos autem & hinnulos cum flatili ac duplici consonante, ex asina conceptos mares equi seminio. Ex Gregorio illud præterire nequeo: Carnis sementinam trahere originem lac, caseum, oua. Quia uero carnem Græci sarca dicunt, inde pharmaca legimus sarcotica, inter quæ sit quod nuncupant cephalicum. Sunt uero hæc quibus internata caro ulcerum explet inanitatē. Sicuti quibus nimio plus excrecens exteritur, uocant catharetica. Nam uitium ipsum dicitur hyperfarcosis, id est *υπερφορως*. Porro sicut nec nimis gracilescens corpus laudem meretur, neq; item obefius factum; sic habitudo media plausibilis præcipue censetur: eam uero Græci *δυσμερως* nuncupant. Hyperfarcosata porrò nomine alio hyperochas in ulceribus Græci uocant idem.

Humanum corpus summa partium proportionem constructum. Phyam quid uocent Græci. Rotundum & quadratum schema reperiri in corporibus nostris. Mensurarum indidem esse deprompta nomina: item denarium numerum. Quibus constat corpus. Retrimenta quot excernantur modis. Ulcera superfuitates haberi generum duorum, ichora, & rhypos. Corpora peritomatica & plethorica.

Cap. xxxi



**Q**uod operis initio præstaturū me, non essem ausus polliceri, ut tam late hominis rationem persequerem: ipsa tamē uberius sese indies materia laxante, ingens nobis ostentat quodammodo rerum sylua, quæ uel cogitatione animi, quantum uis difficultatibus obluantē, et si non fatigare, at sollicitum anxioq; efficere saltē potest. Verum tamē durandū est, quia cœpimus. Nā & dii faciētes adiuuant. Quod si legenti uotis per omnia minus satisfecerimus, aut si quipiam habuerimus derelictui, ut impolitæ notari uideamur digni, Cogitandum erit, nemini unquam uitio datum, quod præfati sumus, deos quoquo modo posse colere. Studiosis Latine rei euigilantur ista, si quid senticosi in tanta sciendorum congerie sese obtulerit, flores modo præcerpant, reliqua soli uitio succreuisse putent, ubertate nimia interdum luxuriantis, ac prætereant: sciantq; hominis esse proprium conuiuere in plurius. Verum si condentis animum amplius respexerint, omnia plausibiliter excipient, pariaq; sibi in rationibus fieri putabunt. Satis, opinor, hæcenus artificis dei sapientiam in hominum constitutione admirati sumus: uerum quæ supersunt, singularē & ipsa præferunt claritatem. Quod & eorum rationem summamq; prospectum idem habuit inenarrabilis conditor. Nam quale censemus illud, in corporis humani fabrica summam symmetriarum, siue commensurationum rationem adeo seruata, ut inde ab architecto rum prudentissimis analogæ susstructiones sint corruata: Siquidem illud ita est ab natura concinnatum, coaptatumq; uti proportionibus, quas Græci *αναλογιας* uocant, membra ad summam figurationem insigniter respondeant: nilq; omnino comperias, quod commensu careat. Sicuti caput dicimus ab mento ad frontem summam, & radices imas capillorum, esse partis decimæ. Item manus palmam ab articulo ad extremum medium digitum tantundem. Caput à mento ad summum uerticem octauæ. Tantundem à cervicibus imis, & reliqua deinceps: ut si attendere libeat, nil sit non ab summa profectum ratione

ratione. Hanc uero membrorum analogam rationem omnium Græci phyam uocant, id est *φύλη*, propter illud Homericum, *Odyssæa* sexto:

*Εἰ δὲ πρὸς τὴν φύλιν ἄγχι πᾶσι σῶμα.*

Quid, quod rotundationis schema in homine item compertum est? Quem si supinum statuas, expansis manibus, & fixeris in umbilico circumum, quia is locus centri rationem habet, circumagasq; orbem conficies absolutum, extrema digitorum in manibus pedibusq; contingendo. Nec minus designationem in eo quadratam deprehendes, quando altitudo ab latitudine diuersa non est, si mensum concipias inter expansas manus. An non compertum & illud, Mensurarum rationes & nomina ex humano corpore mutatos esse ueteres, digitum appellant, aut palmam, item pedem, cubitumq;: Quinimmo & denarius numerus, quem perfectum dicunt & probant, ab digitorum serie depromptus est, quod Aristoteles adnotauit. Constare autem humanum corpus rebus numero quatuordecim inuenimus: neruis, uenis, arterijs, sanguine, spiritu, carne, pingui, chondris seu cartilaginibus, unguibus, ossibus, humoribus, medullis, pilis, tuniculis. Ad laudem pertinet illud quoq;: excerni recrementa, superfluentiaq; à uiris quidem per aluum, urinam, uomitus, oculos, nares, sputa, excreationes, aures, rem Veneream, per incerta item spiramenta, per pilos, & per ungues. Mulieribus adijciuntur duo, lac, & menstrua. Illud superpondium fuerit, in ulceribus item superfluitatum, quæ Græcis *πλεθωμάματα* dicuntur, duo esse genera: unum *ἰχθὺρ* nuncupatur, id est sanies: alterum autem *φύω*, id est sordes: illud tenue intelligitur, crassius hoc: unde *φύω* appellatur, sicuti prius *ἰχθὺρ*. Porro de superfluentis materiae argumento corpora uel dicuntur peritomatica, uel plethorica, discerniculo apud medicæ artis peritos manifesto.

Humanæ corporis partes. Membrum quid. Monocola quæ. Nouem haberi perpensione digna in quolibet membro. Motus actiui & passiui. Cur naturam dixerit iustam Hippocrates. Membri cuiusq; ratio triplex. Cap. XXXII.

**N**uenio in monumentis, Aegyptios humanum corpus in quatuor tantum portiones distribuere solitos: caput: manus: thoracem, quem etiam clibanum uocat Albertus: & crura. Membra uero, ut finit Galenus, corporis particulae sunt, quæ nec omnino circumscriptionem habent propriam: sic enim particulae non forent, sed corpora per se, nec omnifariam coniunctæ sunt alijs. Hinc & ad pleraq; transfertur uocabuli notio, siquidem domus partes membra item uocantur Columellæ, Vlpianoq; & Cæcilius dormitoriu membrum appellat, quod alibi cubiculum dormitorium. Nam & Græci monocola, id est *μονόκωλα οἰκίματα*, dicunt unimembres domos. apud Herodotum Valla diætas transfert singularias, quæ in Babylonijs sustructæ mœnibus olim erant, & modo in arce Mediolani uisuntur. In membri uero cuiusq; consideratione accurata, nouem uideri perpensione digna, docuit Commentator Alexandrinus in enarratione libri Hæreseon. Quæ omnia inenarrabilem dei providentiam explicant. Substantia prima est: constitutio deinde, seu crasis: cui adnectitur etiam color, quo membri natura quouis modo significari potest: sicuti eodem totius item interno-scitur habitudo, quum sicuti Pythagoras auctor est, docente in libro De sensu & sensibili philosopho, sit color epiphania, id est superficies uel superapparitio quædam. Porro inspicienda item quantitas, figura, numerus, situs, colligantia, actus uel operatio, emolumentum, seu præcipuum id sit, seu ut seruitus. Tot enim seruitutes uidentur, quot membra non principalia. In ijs uero illud obseruandum, actum membri ab utilitate distingui ex Galeni doctrina: nam actus motuum est effectiuus. Sunt uero & motus passiui nuncupati, qui alijs mouentibus fiunt. Utilitas autem esse uidetur, commoditas quæ percipi nequit, nisi ex operationibus, quæ sine doctrina proueniunt. Nec credendum omnino, particulam ullam adiectam temerè & fortuitò, uerum arte creatoris mirabili ac sapientia, sicut Galenus auctor est. Proinde summus artis medicæ Hippocrates, naturæ opera in hoc admiratus, non desinit eam cognominibus honestare, iustam appellando, uti Aristoteles esse eam uelut *οἰκονομοῦ* ait *ἀγαθόν*, id est œconomum bonum ac patrem familias. Quando iustitiæ diuinæ maiestas necessaria sapienter excogitauit, tribuitq; unicuiq; pro dignitate, redundantibus omnino resectis. Et ut uerissime dixit Haliab, Est ab natura animalis corpus constitutum ex membris multis substantia & qualitate diuersis pro

pro uniuersiusq; necessitate, quo ad destinatam metâ produci possit uita. Porro in membris cuiusq; compositione ratio uisitur triplex: aut enim uiuendi gratia sunt, cuiusmodi membra sunt principalia: aut bene uiuendi, ut oculus: aut sufficiendæ causa prolis, quo in genere habentur pudenda. In omnibus uerò deus opifex utilitatem respexit primum, mox uerò & decorem. Nam & Ciceronis illud laudatur De finibus tertio: Membrorū, id est partium corporis, alia propter eorum usum uideri ab natura contributa, ut manus, crura, pedes, uti ea quoq; quæ sunt intus in corpore: alia autem nullam ob utilitatē, quasi ad quendam ornatum, uelut caudam pauoni, plumas uersicolores columbis, mammæ uiris atq; barbæ.

Capitis ratio: cur ibi sedes animæ. Codia quid, & unde. Cræra, hemicræra, sincipita. Cur magnis uiris caput aperire, institutum. Cerebri item ratio. En car quid sit. An cerebro abstinerint ueteres. Obiter iuradi mos per caput, salutem, genium. Adriani historia, engissomata, camaromata, ostagra, encopei, aulici, phacota, xysteres, trypana, abaptista. Cædis expiatio. Cauere capite. Epidij historia. Diploa quid. An capite præciso possit quis progredi aut loqui. De craneo, & futuris: item de capillis. Interim adnotabis quæ dicantur Thria. Qui dicantur Phoxi: & quid phoxa, & phoxichili. Item cymbæ, cymbachus, cymbæum, xylocymba, corymba. Capitis resectio honorifica ueteribus. Cap. XXXIII.

**Q**uoniam uerò caput, arcis quodammodo locum habet in humanis corporibus: & Plato in Timæo, caput non principale solum, sed etiam totum in corpore nuncupauit: ab eo protinus exordiemur hic aliqua perstringere, quoniam alibi fultus de ea re fiet hoc opere mentio à nobis: ut omnino citra radium, & fastigiata sit pragmatia hoc genus. Quod & in membris item alijs quandoq; facturum me, præfari libuit, ne quis male feriat, aut nasutior in hæc incidens, quisquis fuerit eorum genius, partum hunc nostrum, ut exsuccum & male conceptum excretur protinus, atq; (ut ominosum) auerfetur. Ergo caput præcipuum, excelsiusq; in homine membrum, primo Regininis acutorum Galenus, & Platonici omnes rationalis animæ sedem nuncupant, ut rentur nonnulli, quoniam inibi cerebri est conceptaculum, ac membrorum animalium. Quæ organa sint, & principia uirtutis animalis, tam apprehendentis, quam eligentis, seu uoluntariè mouentis, quibus potissimum constat animalium inter se disparatio. Additur & capitis figura sphaerica, quam solam esse mentis capacem, asseuerate in libris traditum secretioribus comperi. Nec me fallit Bedæ sententia super Marcum: Animæ locus, inquit, principalis non iuxta Platonem in cerebro, sed iuxta CHRISTVM in corde est. Hinc autem eruditorum nonnulli, Codium, id est *κόδιον* dici Græcis caput, *κόδιον ἔστι τὸ κεφάλαιον τῆς ψυχῆς*, quoniam sit rationis conceptaculum. Vel ab herbæ codiæ quadam similitudine, quam inde credunt appellatam, quia deuinciat comate uescentes, ac sopore: hypnoticam enim uim præfert, id est somniferam. Codiam, papaueris dicunt caput. Cræram pro capite accipiunt ueteres Græci: unde hemicræras porcorum legimus apud Athenæum: sincipita intelligunt ex nostris nonnulli. Portionem uerò hanc cæli similitudine quadam possidemus sublimē, sicuti etiam interpretatur Aristoteles. Quin & uniuersa in hominis corpore situm præferunt uniuersi: quum cætera nullo eiusmodi sint constituta respectu, aut confuso admodum. Porro & in Quæstionibus idem, Caput eum obtinuisse locum scribit, quia sit diuinissimum membrum, ab eo enim sternutamēta quoq; proueniunt, quod esse sacrū augurium constat. Inde quoq; obrepisse nostris moribus opinor, ut quibus exhibetur reuerentiæ cultus, ijs caput aperiamus, etiam si Plinius, Varro, Plutarchus aliud uidentur secuti. Quid sine capite, inquit Ambrosius, est homo: Si caput inspexeris, agnoscas hominem protinus: alias iacet truncus ignobilis sine honore, sine nomine. Sola ære ducta principum capita, uel marmore adorantur. Proinde, iure illi, uelut consultori cætera famulantur membra, & ut numen seruili circumferunt gestamine, quod esse censoria quadam potestate, ut collibuerit, omnia dirigit. In eo singularis est naturæ providentia. Est enim in homine macilentum, ac propè carne nudatum omni, idq; necessario. Nam si corpulentius esset cerebro circumiectum sepimentum, res omnino in diuersum recasura fuit, ac membri eius ratio

ratio exigit. Neque enim refrigerandi vim haberet ullam: sed carnis copia fortum in teperceret amplius. Etenim aduersus cordis sedem & calorem natura cerebrum molita est, uimque ex eo habuit aquae terraeque communem, ut inferioris partis feruorem contemperaret. Fluctiones porro e capite impetum capiunt, sicuti cerebrum frigidius est, quam exigat temperamentum, per uenas sursum respirante ciborum superfluo, quod simile imbrum generationi uideri potest. Galenus post Hippocratē nobilissimus medicinae auctor, Naturae intentionem in capitis creatione non fuisse cerebrum scribit, neque item sensum omnem aut sensoria, quoniam haec comperiantur etiam in capite carentibus. At fuisse capitis sustructionem potissimum ob uidendi excellentiam: qui sensus ad circumspectum omnem, ueluti in specula collocari debuerit, sicuti auctor item est Auicenna. Abs quo illud etiam proditum prima tertij, adnotauimus, Exploratoris uice oculos fungi. Idem porro Galenus colligit, Cerebrum esse in capite locatum propter oculos, sensoria uero reliqua propter cerebrum. Opinari autem refrigerationis ergo cerebrum esse constitutum, putat ridiculum, ob remotionem nimiam: perinde ac si quis item calces cordis gratia factos asserat. Ediuerso Aristoteles, oculos propter cerebrum in capite locatos prodit, quoniam sit oculus aquae naturae, sicuti cerebrum. Verum ut cuique uisum fuerit, accipiantur ista. Commonendi uero parte hac diligenter sumus, dici cerebrum ab ueterum plerisque, ut est apud Lycophronem, encar. Et quia in cibis id auersabantur priores, quod scribit Athenaeus, perinde ac ominosum opinati, praecipueque Athenienses: inde pronuntiatum astruunt ab Homero, uelut in Sympotiacis meminit Plutarchus, *πῶ δὲ μὲν ἔγκρατος ἔστιν*, id est aequae ipsi honore ac cerebrum: quod execrati priores, atque abominantes reiciebant, in primis autem suillum. Sunt qui Homericum illud sic intelligant, *ὅτι δὲ λόγῳ τῆς αἰσῆς*. Nam Caras seruuisse perpetuo. Sed ad rem, Hinc Atheniensis Apollodorus nemini ueterum opinatur cerebri nomen admissum in libris, proindeque in Trachinijs Sophoclem, *λαθὼν μνηλόν*, id est abam medullam, dicere maluisse. Qua tamen in re longe falli Apollodorum, amplius curiosusque thesauros ueteres peruoluenti certo certius liquebit. Illa forsitan subscribet ratio antiquorum instituto, cerebro abstinentium, quod rem prorsus esse sacram, caput opinabantur, uel iurissurandi argumento: per id namque iurabant plerumque. Sed & per salutem, quod innuit Hieronymus. Nam in Pandectis adnotatum, etiam solitos plecti, per genium principis qui deierassent. Quin & in sternutamentis caput adorare aliquo modo uidebantur, ut quod sensuum dicitur fons. Dicitur encar, genere masculino plurimum quidem, sed & neutro quandoque. Encardion, in plantis medulla intelligitur, uel cerebrum: sunt qui cor malint. An uerum omnino sit, cerebro Athenienses abstinuissent, coniectabunt eruditi. Certe Iouis cerebri de scitissimo cibo pronuntiatum apud Pausaniam. Cuiusmodi sint forsitan apud Comicum cerebri *θεῖα*, elegantius scitiusque condita, quibus utebantur Athenienses. Erant uero cerebri portiones intra fici folia, quae dicantur thria, curiosius percocta. Praedulce item censebatur palmae cerebrum, etiam si capitis dolorem saepius grauiusque concinnaret. Eo uero exempto arescere palmam ferē, cognitum experimentis. De hac ipsa re plura paulo Athenaeus, & nos alibi. Sed illud non praetereundum: Omnium bipartitum esse cerebrum, & in postremo esse quod uocatur *ἡγερεφαλῖς*, id est cerebellum. Nobis porro illud parte hac non uidetur per incuriam transiliendum, quoniam (ut nunc est) in ijs nihil omnino receptitij fecernitur nobis. An capite praeciso, credibile sit, corpus reliquum progredi posse. Quod ne quis ridicule proponi putet, auctor Auerrois est septimo Physicorum, commento quarto, arietem se uidisse, qui capite detruncato, huc illuc motaretur. Scribunt & Christianae ueritatis assertores celeberrimi, Dionysium Areopagitam martyrio coronatum, postea quam resectum illi caput est, aliquandiu progressum, suum sibi caput baiulantem. Scio, ridebunt hoc philosophi, tanquam parum constanti ueritate dictum. Nos CHRISTI saluatoris infinitae potentiae id ascriptum uolumus uerissime ac syncerissime. Nam ut Aristoteles docuit, corpus detracto capite, progredi quoquam non temere credi potest: quoniam simul abscinduntur nerui, qui instrumenta sunt, & ueluti duces localis motus: sanguine tamen carentia, uel uiuere possunt diutius, truncata capite. Cuius euentus rationem ex libro De iuuentute & senectute, lector accuratus perdiscere poterit. Cōsimile huic miraculum est, quod affertur ab nonnullis, Caput ab-

scissum

scissum loqui. A quibus & Homerus aduocatur testis:

*φθγγουδὸν δ' ἄρα κέρου κωνίσου ἐμὲ χθόν.*

Ipsaque dum loquitur, miscetur puluere uertex.

Non enim dum ipse homo, sed dum ipse uertex, intelligi uolunt. Propterea scribunt *φθγγουδὸν*, non autem *φθγγουδὸν*. Quin in terra Caria res adeo pro uera habita est, ut reum quendam ex incolis egerint. Nam quum Iouis Hoplosinij sacerdos esset occisus, nec a quo constaret, nonnulli audisse se retulerunt, capite praeciso dicentem saepius. Vtrum super uero Cercidas occidit. Itaque hominem cui nomen Cercidas, per prouinciam amplius quaesierunt, compertumque in iudicium perduxere. Sed certe fieri nequit, ut praecisa arteria, & sine motu pulmonis loquatur: nec apud Barbaros, qui capita summa cum celeritate detruant, eiusmodi quippiam euenisse accepimus. Adrianum principem frigora & tempestates adeo tulisse patienter, legimus apud Dionem, ut caput tegeret nunquam. Os capitis uniuersum, inquit Pollux, uocatur cytos: Latini, caluam & caluariam dicunt, ut Celsus item testatur. Aristoteles *τελεχων* intelligit, quod capillis integitur. Anterior pars bregma uocatur, id est sinciput, uti in Anatome Galenus scribit: posterior inion, id est occiput. Quod interiacet, coryphe, id est uertex: unde dicoryphi, biuertices nuncupantur. Embregmata uero Graecis insperiones uocantur, hoc est quaecumque fronti aut temporibus ratione medica consperguntur. Embrochas, per imperitia multum dicunt. Sinciput interpretantur sematum caput nonnulli, ut Diomedes, & ante paulo commemorimus. Hac uero in parte id sese intergerit haud praetereundum: Inter cranei fracturas esse uehementissimas, quae engissomata uocantur: & camaroses, seu camaromata. Ex quibus illa quidem parte sui media, meningi, id est panniculo innituntur: camaromata uero portione prominent eadem. Instrumenta porro curandis hoc genus fracturis, alijsque, uaria excogitarunt ingeniorum acumina: nam ut ostagra praeteream, sunt qui encopei nuncupantur caui, quos & cycliscos dicunt. In quibus est, qui in fine habet phacoïdes, unde & phacota uocantur quandoque: est autem prominens quiddam, hebesque ac retusum cum politura. Recensentur & usum eodem xysteres, qui esse multiplices debent, ac schemate non uno. Sunt & trypana, inter quae habetur dicta *ἀβαρῖς*, quoniam demergantur nunquam, circumcurrit namque orbiculata itys, id est circumferentia, qualis in rota uisitur. Hinc certe trypanatum os dicit pullatus circulus. Illud nec tacendum: Expiandae caedis gratia ueteribus morem irroboraſſe, uti ad caeli caput ensem abstergerent, uelut sic sceleris aueruncarent labem, uel corporis totius extrema praeciderent, praetertim ciuili caede perpetrata, eaque connexa sibi ad alas applicarent, eo modo nocenti uim auferre se arbitrati, quod ab eis *μαχαλιδῶναι* dicebatur: quod in Helestra Sophocles indicat, & ab scholiastis est enarratum, ac repetitum ab Suida: sed & innuit Apollonius, *ἔβραμαται τῆμνε θανόντες*. De Iafone ac Absyrto. Cauere capite dicitur, qui non bona modo obligat, uerum & uitam. Epidium quendam olim in Sarni fluenta praecipitatum, mox cum cornibus extitisse, proditum annalibus est, ac momento euanuisse, sed & numinis uice cultum. Moysen quoque de confabulatione dei cornutum, ex Hebraica ueritate Hieronymus scribit, quod Exodi capite trigesimo quarto, relatum scio. Diplōam uocat Galenus, secundam caluariam laminam. Ex futuris compacta calua est, quas Graeci *φαφῆς* uocant, de quibus alibi plura. In paucis caluaria solida sine futuris reperitur, praeterquam in aestuosis locis. Idque caput firmissimum, atque a dolore tutissimum iudicatur. Ex ceteris quo futurae sunt pauciores, eo capitis ualitudō commodior. Hippocrates quod futuris careat, sanum arbitratur caput. Paucis constat capillis, quum calidius. Capillorum multitudo capitis redundantiam humorum praemonstrat. Capillorum flauus color ex flaua est bile. Quibus est proacuminatum caput, phoxi nuncupantur, uel ex fastigatione quam uocant *ὀφύτηται*, uel de signorum similitudine, quae ignium uel dissiliant, quod ueteribus ferē placet: ea uero phoxa dicuntur, uelut phloxa, ex flammæ uel, quae *φλόξ* appellatur. Eiusmodi in Therite caput, risu Homerus excepit: sed & in magno Pericle inuidorum uoculis est adnotatum, nec ab Athenaeo in Cilicibus praetermissum: sed & in Atticis, Argiuisque mulieribus. Verum in ijs, ut auctor Simonides est, etiam labia animaduertuntur fastigata, ex quo phoxichili uocantur. Porro & ab Graecorum quibusdam cymba dicitur caput, unde cymbachus nuncupetur, qui in caput saliens crura tenet sur-

i recta



recta. Est cymbæum quoque poculi genus, de quo in Lexico Pausanias: sed alij cymbium pronunciant, esseque simile nauigio tradunt, quod cymbam uocant, unde forsitan & nomen profluxit: id uero xylocymbaram appellant nonnulli. Nam xylocymbam uirulento morfu dicunt mulierem, nec formosam satis, nec magnitudinis moderatam. Cymbachum denique galeæ item summum dici inuenio. Sed & summa omnia dici corymba possunt, Homero astipulante. Alij acrostolia, & nauium uelut coryphas, hoc est uertices eo accipiunt nomine. Videntur autem prominentia in montibus præcipue sic dici, nam historia septima apud Herodotum montis legimus corymbum. Decentissimum porro mortis genus fuisse capitis refectionem, scribit eloquentissimus auctor Xenophon *ἐν Βασιλειῶν* secundo.

Capillorum ratio. Cur defunctorum capilli durent, aut etiam auferant. De Tulliola Ciceronis. Lophos quid, & lopheum, lophiumque. Lyfoma. Polylopha quæ. Interim cur aquatica inobsepta pilis. Cur collum minime pilosum. Caput. XXIII

**Q**uoniam uero summus artifex, emittens ueluti ædificij culmen, sic ornandum caput hominis censuit, non ab re uisum, huic parti impingere pauca quadam de capillorum ratione obseruata. Horum igitur materiam putant eruditi humidum uaporem, crassum, humectum, glutinosum: quod secundo Cræcon Galenus significat, etiam si putat Auerrois, pili materiam ex Galeni sententia, pure terrestrem. Quod si esset, non tam sequax foret pilorum natura, flexibilis uel, quo uelis modo. Efficiens ratio pilorum frigiditas est, tum intima in cute, ac ossibus capitis, tum externa aeris nos ambeuntis: quæ uaporem ab imo scandentem, ac in poris meatibusque cutis retentum durius cogit densescere. Pilus non multus ac prætenuis caliditatem indicat temperatam, connexam siccitati immodicæ. Multus uero & crassus, exuberantis indicium est caliditatis, quia multa prouenit euaporatio. Proinde uberius enasci pilos, iuuenta florecente, auctor Haliabas est. Atque in uiris item, quam foeminis. Capillus natura frigidus est, sicciorque omnibus quæ in corpore sint, atque etiam ossibus, ut sentit Auicenna. Flectitur tamen, quod illis non contingit, tenuitatis ratione & uiscosæ humectationis tenacisque, accedente terrestri siccitate ex quibus consurgit capillus. Aquatica fere uniuersa pilis cernuntur inobsepta: quod effici coniectatio est, quia meatus obstipet frigiditas multa uiscosiorque, unde fumosæ prohibetur euaporationis scansio. Collum non ita pilosum creditur, quoniam uaporibus transitum præstet liberum ac citra interpellationem relictum. Sunt qui ex rotundatione causam item prolificant. Scythæ ac Thracæ *ἐπιβύχες* sunt, id est promisso pilo & simplici. nam & ipsi humidi sunt, & aer eos ambiens. Aethiopes contra, qui loca incolunt calida, *ὀλόβυχες*, id est crispi sunt pilo. Siccum enim & cerebrum eorum, & ambiens cælum. Obseruatum est, pilos quandoque horæ spacio aut etiam minore, canos effici. Hos in mortuorum succrescere corporibus autumant plerique, nec abnuat Aristoteles, tamen non oriuntur noui. Quod item de unguibus traditur, ac Plinius enotauit. Nec incongruum arbitrantur, diutius in defunctis seruari capillos, humectatione in meatibus subsistente: quæ glutini densæ modo, obdurefcitque, ut sic longissime superesse capilli ualeant, quæ ratio Conciliatori maxime arrisit. Dignum scitur: Quum pontifex Sixtus, eius nominis quartus, reipublicæ Christianæ præsideret, compertum Romæ in uia Appia e regione Ciceronis conditoris muliebri cadauer, quod ex inscriptione coniectatum est, fuisse Tulliolæ. Id erat aromatibus ita conditum, ut temporis iniuriam non sentiret. In eo uisabantur capilli aureo impliciti reticulo, summa omnium admiratione, reperiri aliquid, in quod anni mille quingenti fere nil profus euallissent. Cæterum cadauer in urbem delatum tridui mora computruit medicamine amoto aut uitiatum. Incremēti uero capillorum in defunctis ratio est in calore uaporeque in pororum angustijs retento. amplioris autem in senescentibus ægrotisque ac decrepentes etiam causa creditur excrementitia multitudo. Cur autem, si subsecuntur tam capilli, quam ungues, celerius increfcant, inde fieri tradunt, quod humidus uapor ad radices scandens, præciosos facilius propellat. Capillorum autem ratio non est in decore præcipua: sed in eo fuit naturæ momentum maximum, ut extimum inde repelleretur frigus. Nec in eo emolumentum minimum, egestis hoc modo noxijs e corpore uaporibus

bus, unde est capillaris generationis argumentum. Vtque tamen speciosissima spectatur cæsaries, reuerenda in senibus, ueneranda in sacerdotibus, in bellatoribus terribilis, decora in adolescentibus, in mulieribus compta, dulcis in pueris. Discrimen uero & capillorum æquamentum Græci lysoma dicunt, id est *λύσωμα*. In auibus, quod capiti supereminet, *λόφος* uocant Græci apicem nostri. Nam primo De animalium historijs Aristoteles: Auium quasdam plectra habere scribit, id est calcaria: quasdam uero lophon, non nullas minime. Lophon item in galeis cristas dicunt, unde lopheum, in quo recondentur: sed & speculi theca, eo dicitur nomine. Lophon uero est ab lopho deminutum. Illud prius scribitur *λοφίον*. Lophiam capronas interpretantur. Lophias etiam dicitur in suum, ceruicibus surrectas fetas. Polylopha Græcis dicunt, quæ corticibus pluribus, uelut indumentis circumuestiuntur, *ἐν τῷ λόπῳ*.

Barbitij ratio. Mystax. Hyporrhinion, propogonion quid. Pogon, tragopogon. Cur mulier barba sit exuta: curque in nonnullis uisatur. Pappos, hypene, aruncus, cryngus. Adrianus Cæsarem primus barbam nutrire est exorsus: cur quibusdam barba nunquam subnascatur. Mastaces locustæ. Cap. XXV

**B**arbæ autem ratio, mirum est, quantum ad dignoscendam corporum maturitatem, & sexus cõferat discernicula, aut ad decorem etiam num uirilutatis ac roboris. Auctor Haliabas est, Pulchritudinis & ornamentum argumentum fuisse in barba potissimum. Succrefcit hæc toto mento, quam *μύστακα* uocant. Quamquam non me fallit, Pollucem scribere, eam quæ sub naribus habeatur, ita nuncupari: quæ ab re item dicatur hyporrhinion & propogonion, ueluti quæ sub naribus enascatur, & quæ progerminet ante inferiorem. Pogon certe Græcis barbitium est: sed & appellatione eadem Troezeniorum portus, unde per iocum barba rariore hominibus infusurrabatur, *ἐν τῷ ποταμῷ τῆς Βαδίσσης*. Tragopogona uocant in trago pisce partem sub gula nigricantem, ut scribit Athenæus. Dicitur mystaca interpretantur, quia illuc destillet nasus, quem uocant *μυκτῖρα*. Sunt qui mystaca etiam labrum putent, unde ducatur mystacon. Inferiori labro adnascens barbitium, pappos nuncupatur: utrunque simul hypene. Oritur etiam barba in mandibulæ inferioris parte suprema humoris calorisque copia illuc ab sincipite demanantis, testiculorum uel, inde prolificam materiam attrahentium: Argumento sunt uenæ ab inferioribus illac cõmeantes, quas ex eo spermaticas uocant. Proinde deesse mulieribus barbam, imbecillioribus earum testiculis. Si qua uero uisatur barba insignis: hinc cõtingere, quod illi additum peculiariter sit roboris aliquid & caloris: barbitio tamen tum rariore tum breuiore. Illud obiter adnotarim, in capris aruncum, ab Aristotele cryngum pronuntiarum. Adrianus Cæsarem primus, quod scribit Dion, barbam nutrire exorsus est. Cæterum ex uiris quoque barba per totam uitam nonnulli uisuntur exuti. Quod meatuum capacitate obuenire coniectant, quoniam euaporet antea fumus, quam ualeat concrefcere: ni forsitan insitæ frigiditati acceptum ac siccitati malis referre: calorem namque illa interpellat, hæc pabulum oblaedit. In mulieribus præter frigiditatem additur, testiculis carere eas exterioribus, a quibus reflectatur uapor. Accedere menstruum quoque exinanitionem. Opera illud parerga non præterierum, quia de mystace actum est: Locustas rodentes sata, bruchos appellari, & attacos, atque item mastacas, ut est apud Nicandrum. Alij tamen sunt, qui uniuersum locustas dici mastacas uelint, idque in Ambracia in primis. Scribit Aristoteles, magistratum ineuntes ephoros præcipere solitos, *κέρει δὲ τὸν μύστακα, καὶ πρὸς τὸ χεῖρ τὰς νόμοις*, ne cogereantur scire. De barba uero sit mentio, ut uel in minimis insuescerent *παιδαρχίῳ*.

Frontis ratio. Metoposcopi qui sint. Item quæ stellæ secunda. Cur quandoque nequeat aperiri oculus. Sudoris in fronte ratio. Scardamytici. Atenes. Osculum frontis. Tetanos frons. Cap. XXVI

**Q**uid uero frontis artificem hic fabricam memorare? Qua sapientia deus hanc homini tantum contribuit, tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis indicem? Fuere qui ex partis huius signis potissimum quibusdam uaticinia aucuparentur: quos inde quoque metoposcopos dixerum. Nam quibus sic striata rugosiorque frons, magna animo uersare, esseque melancholicos. Quibus uero erugata exporrectiorque, esse fallaces in primis: cuiusmodi fere Bononienses haberi, cauillat Conciliator. Quam

rem Digestis de officio praesidis, adnotavit interpres quoque. Ita enim physicas membrorum formas dicere, nulla tamen iniuncta nostris moribus necessitate, sed lubentia potius quadam & proclivitate, ex sanguine ac spiritibus physicis. Quas physionomi veteres stellas secundas uocabant, a superioribus impressas, praemonstrantes quae ratione prudentiaque reprimi queant. Sunt qui stellas putent secundas dici, quae extra zodiacum a septentrione ferantur, ac meridie, quod uiribus sint praeditae imparibus, primas obtinentibus quae signifero circumferantur. Ptolemaeus eruditorum consensu elementa nomine isto intelligit, quod caelestibus stellis prima ascribantur causa: at elementis secundae, proindeque stellarum nuncupatione insignitis. Verum a diuerculo fabulam repetamus. Frontis cutis consilio memorabili laxior structa est ac mobilis, ut commodius oculis subseruiret uel cludendis uel referendis. Insunt uilli ex hoc porrecti ab uertice ad palpebras. Propterea ratione chirurgica praecipitur, si abscessus in fronte se ostenderit, aut causatio alia, sitque dissectio necessaria, non esse ducendam ferri aciem per frontis longitudinem ab tempore in tempus, ne uillis praecisis desinat posse oculus suo perfungi munere, procidentibus palpebris. Qui nimium conuiuent, *σικεραυλοιοι* uocantur. Quirigent, *ετρογεις*. Sudat frons in primis, quia cerebro subiacet anteriori, ubi maxime scaturit humectatio, quam esse nouimus sudoris fomitem. Oculi religionem quandam parte hac seruata ueteribus, auctor Plutarchus est. Frontem *τετανον* uocant Graeci, rugis minime striatam, sed plenam & leuore splendentem.

Supercilia quam habeant rationem: item Illa. Giffa quid, & giffomata, giffipus, giffipodisma, suggrundia, uel suggrundae. Supercilia hostiorum. Anaphalantialis, siue salitium. Palpebra quid, & gena. Cap. xxvii

**Q**uid illa quae supercilia dicimus, quam artificii ingenio superposita oculis, ut demanantes aliorum corruarēt humores, uelut imbricamentū plane quoddam, siue grunda, uel (ut Graeci dicunt) *γείσομα*. Quanquam est proprie giffon, id est *γείσομα*, quod in supercilijs prominere: unde *επιγεισομα* apud Xenophontem. Sed & in ianua quod superiacet, hyperthyron dicitur, uel hyperthyron: eius protuberans pars giffon & giffoma. Verum & in galea eodem modo. Giffa, inquit Theon, aedificiorum eminentia est, uel quae dicuntur scomia. Euripides,

*ῥήθας παλαὰ γείσομα πικτόναι πόνου.* Aratus in praenosticis in graculorum mentione, *εβέρηνοι ηἰ γείσομα τινάσσονται πτόνους.*

Giffippus & giffipodisma trabis nuncupatur prominentia, cui giffon incumbit: unde *γείσομα*, uerbum Polluci, quo id agere indicatur. Suggrundia, uel Suggrundae prominentes in tectis partes dicuntur stillicidii destinatae arcendo, ne uitentur parietes: haec plane giffa sunt. Sed institutū repeto. Traditum Physicis est, supercilia in senibus fieri auctiora, quod ea ferē aetate loci eius ossa discludant amplius, unde copiosior promi uapor potest. Id quod cogitabundis usu uenire item, compertum est: quoniam caloris uel ad caput plus scandit uaporum. Supercilia haec in homine tantum pariter, & alterne mobilia. Sed & in ijs animi quoque pars est, inquit Plinius, siue negemus, siue adnuamus, haec indicant maxime. Fastus alibi conceptaculum, hic sedem habere uidetur. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Hinc Marcellini scitum illud, Supercilia erigens ut cornua, & de tragico (ut dicitur) cothurno strepens. Supercilia lunoni Lucinae a mulieribus fuisse attributa, Varroni credimus: ibi enim maxime collocari luno debuit Lucina, ubi ab dijs lux datur oculis. Caput & supercilia penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem uidentur, ueluti ne ullus quidem, ut M. Tullius inquit, insit boni uiri pilus. Cilia uero quae ab palpebris prominent, nonne & ipsa utilitate mirabili sunt constituta: ut minutarum rerum ad oculos incursum tanquam stipitatores quidam repellant, simulque uisuum dirigant spiritū, uel etiam ab oculis promicantes radios, quibus uidendi rationem praecipue constare, persuasissimum Platonis est: unde ijs uel reuulsis uel quauis ratione procidentibus aut obliquatis, remotiora longe imbecillius internosci uisū, Galenus arbitratur in medicorū isagogico. Quid, quod pilorum illa nigricies lumen egregie fouet, atque contemperat: adeo ne in minimis quidem deficit diuinae prouidentiae cura. Sed ingratitude uitio magna pars lance uel iniquissima beneficam pensamus clementiam, ne intelligentes quidem ignorantiae nubilo, qua quid ratione sit compa

comparatum. Nam quotusquisque aduertit hosce pilos nunquam ferē iusto plus incrementum: ne inde praepediatur uisus, immo uerō ne fieret, summo studio cauisse naturam. Quae palpebrarum ambitum, hoc est torulum solidiusculo communijs corpore ac charitaginolo, tum ne uapori fumido, unde est pilorum materia, pateret exitus: tum ut duro innixi, obfirmatiq; pili, stabiliores rectioresq; redderentur: nam & solo innata molliculo producuntur cilijs, & obliquantur, in quoduis latus: propterea festiuissimē Galenus, ab creatore cilijs iniunctum scribit, aequalem seruare magnitudinem: illa uerō diuinum uerita mandatum, omnino extra praescriptum non uagari. Caeterum id commune, quas Graeci *βλεφαρίδες* nuncupant, cilia me nūcupasse: quod item Theodorus facit. Nec latet, Plinium arbitrari, extremū genae superioris ambitum ab antiquis cilijs dici: nam et Laetantius oculos cilijs tegminibus occultatos, prodit, unde esse dictos oculos, Varroni placet. Oculorū integumenta haec genas uocat Plinius, *βλεφαρα* Graeci. Cicerō in Deorum natura etiam palpebras. Sed & Plinius quandoque: etiam si libro undecimo, pilos mauuli eo nomine intelligere. Sed & in alijs diuinae maiestatis sapientiam, ut coepimus, admirari pergamus: si illud nō omiserimus, metaphora honestissima quae *θεωμάτων*, id est hostiorum ratione, in templis praecipue, dici item supercilia. Vitruuius, Super cymatium, quod erit in supercilio, collocandum est hyperthyrum crassitudine supercilijs. Porro capitis lauitatem *φαλακρότητα* dicimus, id est caluitium. At in supercilijs *ἀναφαλακτίασι*: quam rem salitium interpretatur utique Theodorus, sed tantisper, dum melius inuenerit.

Oculorum constitutio mira. Caecitatis malum. Oculi faciles, a Virgilio curdicantur. Glaucopis Minerva unde appellata. Videndi ratio breuis. De speculis erudita nonnulla: curque ab mensuris inficiantur. Plinianus soluitur nodus. Quae dicantur *επιώπια*, & *επιώπια*: item *επιώπια*. *φολιος* qui, & *βλεπιδαιμων*: item *ιδας*, & inde corruata uerba. Visores. Passiua oculorum cupiditates. Hypopion. Vnguis oculi. Procopij historia. Optili, monopodij, lucinij. Caput xxviii

**A**m uero quid de oculis ordiar dicere, studio inenarrabili aduersus occurrentiam, uelut sinuosa reconditis conualle, prominentibus illinc supercilijs & fronte, tanquam uallo obsepiente, hinc malis protuberantibus, atque ex imo coorientibus, ceu cliuis, ad propugnacula partium toto corpore preciosissima rum: Hi profecto lucis usu uitam ab tenebris & morte mihi discernere uidentur. Etenim quam miserum, quamque funestum est caecitatis malum: Caecum postulare non posse, Iure consulti statuunt, quod insignia magistratus uidere ac reuereri nequeat. Senatorium tamen ordinem retinere, Appij caeci exemplo. Ad nouum uero magistratum aspirare, omnino prohiberi. Ita profecto est, carceris uicem plane subit corpus reliquum, ac tenebroso horret situ, ni oculorum affulserit gratia, nitore iucundo totum illuminans. Quod in caelo sol & luna, ipsum id sunt in homine oculi. Sol & luna duo mundi lumina, oculi certissima in carne sidera fulgent e sublimi, splendore micantissimo inferna collustrant, perinde ac in statione speculatores interdum noctuque nobis excubantes. Quibus mira uolubilitatis accedit celeritas, unde nobilissimo poeta libro octauo, oculi nuncupantur faciles, etiam si uino id contingere nimio haud ita multum uidentes opinentur nonnulli. Certe Astronomico primo M. Manilius ait:

Circumfer faciles oculos, uultumque per orbem.  
Addunt scientissimi, oculorum splendorem ingenij praeferre solertissimum acumen. Quod ipsum in pupillis color indicet glaucus. Quo argumento sapientiae Pallas dea Glaucopis creditur cognominata. Quod ad faciles oculos spectat, utique in libro De uenatione Xenophon canum oculos faciles nuncupauit. Virgilij carmen est:  
Miratur, facilesque oculos fert omnia circum Aeneas.  
Quin etiam hi arguti nimis, quemadmodum animo affecti sumus, subinde loquuntur. Nam, ut imago animi uultus est, ita indices oculi. Et propterea ab prudentissimis dictū, Animum in oculis habitare, quoniam ardere uidentur quandoque, incendi, humectare, conuere. Hosce duos tantum contribuit diuina ratio, quod numerus is speciosum quiddam completi uideatur. Illud utique eximie mirandum: Quum esse particulas decem  
i 3 quas

quas uocant intimas, ex quibus confurgit organum uisui destinatum, ferè constet inter eruditos, septem uidelicet tuniculas continentes, & humores tres contentos: sicuti primo Colliget auctor comprobat Auerrois, earum omnium utilitatem actumq; adeo esse ambagiosæ difficultatis, ut Galenus uir in medicina tantus, & rerum scientia non incelebris, reddere singillatim rationes non sit ausus. Sed & Auerrois arbitrarium de ijs iudicium esse scribit. Oculos etiam Galenus idem nunc organum uocat lucidum, nunc solarem animalis particulam: & diuinum quoq; membrum, quia sit eius præcipue inexplicabilis & mira subtilitas, si quid aliud in animantium natura. Et Stoici, uisum, dei appellatione honestare non sunt ueriti: sicut formam Theophrastus eundem uocabat, quoniam eo exuta facies, inquit Chalcidius, euadit informis. Oculi uero substantiam esse tradunt crystallinam spissamenti alicuius: quando uisuiua potentia, cuius oculus est organum, humiditatem exigit aquosam, quæ suscipere queat uisibiles formas ex insita perspicuitate atq; humectatione. Aer uero perspicuus & humidus insinuari nequit, & (ut sic dicam) incorporari, in propria dum permanet specie: ut sentit Albertus, porro aer uia tantum est, qua uisibiles obiectorum deferunt species, nec eas retinet. Quod est oculo necessarium, qua diaphanus est ac luminosus. Est enim uisus lucis, sicut obiecti præcipue, coloris autem tanquam cuiusdam lucis. Inde, ut sit actiui ad passiuum proportio melior, & unius in alterum transmutatio cõuenientior, necessarium fuit esse oculum luminosum quadamtenus. propterea Galenus inquit, Sensum luminarem alterari (ut sic dicam) ab coloribus, ut ab cognato eonimiliq;. Hæc uerò efficit ratio: ut splendorem in nio facile corrumpatur uidendi facultas, quia nimis transmutatur oculus propter similitudinem. Indicio sunt lucis reliquæ diu in sensorio residentes post clarioris sensibilis prospectum. Additur illud quoq;, Oculo nullum proprium inesse colorem, alioqui difficulter alienos admitteret. Argumento esse icterici possunt, quibus omnia uidentur citrina. Cæterum in libro De sensu & sensibili Auerrois esse negat connaturalem in oculo lucem, uerum ingredi forinsecus. Nam si inesset, inquit, uideremus in obscuro. Nec qui oculos clausos aperit, uidet prius quam fuerint illuminati. Adde, quod nec ira uehementius succensî satis uident, quia circumstant tenebræ, nec admittatur illustratio, uaporibus bilis uitio in oculos sese ingerentibus. Aristoteles tamen libro eodem, esse oculum natura luminosum aliquo modo, apertius sentire uidetur: nam & quorundam animalium in tenebris oculi lucent. Recipi uero intimè ab oculis lumen tradunt doctiores, per neruorum spiracula, qui dicuntur *ὀφθαλμοί*, quiq; uisuum spiritum ad oculos deuehant. Quibus abscissis accepto in temporibus uulnere, pereat uidendi facultas tanquam lucerna interextincta. Quinimo nec necessario lumen ab oculo extimum recipi uolunt, ut uideamus: quum tenebris obuallati densioribus, nec luce prorsum ulla oculum cõtingente, e longinquo multa uisu apprehendamus, ubi comperitur lumen retegens obiecta. Quod autem nullum oculo inesse colorem uolunt, sciendum tamen, uidendi rationem fuisse periturã, ni artificis sapientia post id quod mire pellucet, nigricans quippiam appinxisset, sicuti speculis retrorsum allinitur plumbum, ut obscurior illa densitas sit imaginu ueluti sufflamen ac infrenatio, quæ per uitri dilapsæ tralucidum leuorem, ac densiore obiecto non suppressæ euanescent. Inde uulgo irroboraui, ut dicatur oculus naturæ speculum, sicuti speculum artis nuncupatur oculus. Sed cur nam in oculo & speculis omnibus aduersa sese ostentant omnia, nulla uero auersa: quod amplius dictare uideatur ratio: Nempe, quod species ab obiecto per medium profluens ad oculi aut speculi superficiem, eiusmodi est discriminu nescia: sed simplex quiddam est, ac purum. Propterea, nil ibi prorsum agnoscas, nil ue retrorsum. Est uero illud huic cognatum loco, ut sum non habere modo patiendi uim insitam, sed & agendi quandoq;: siquidem speculorum præfulgens nitor hebescit mulieris inspectu, cui eant menses. Repente nanq; uelut sanguinis prætenditur nubecula: siq; recens paratu sit speculum, haud temere eluas: at si uetus, facile. Splendida quippe mouendi potestate insignia sunt, in quo genere oculos haberi, palam fit. Vbi igitur ingruunt menses (sunt uero etiamnum sua uiris menstrua) sic afficiuntur oculi, perinde ac corporis reliqua, quæ menstruorum quadam uelut aspergine rigari nouimus. Cæterum lumina quum primis, quibus foraminulenta est natura & uenosa, Quamobrem genitali profluuiio infestante, cui causam commotio præbet

bet, ac sanguinea inflammatio, primu quidem aer inficitur a sanguine, ac mduetur, qui oculis suffusus anima duertitur: porro infectus aer proximum inficit, inde mox speculo oblitur inquinamentum. Hæc autem eo appositum, ut scitius id ex septimo Plinianum perciperemus, quo speculoru fulgorem aspectu ipso hebescere prodit, dum menstrua promitur expurgatio. Quo autem modo uisus perficiatur, multaq; ad oculos spectantia copiosius alibi perscribemus. Interim commonitos uelim bonaru literarum studiosos, Esse qui in uidendi ratione simulacrorum illam per aeris media delationem reijciant, quamuis ab Peripateticorum prorepat scholis. Atq; item radiorum ab oculis profluxum: quod Platoniorum placitis sancitur. Quoniam si ita esset, radium quoq; ipsum cerneremus, quem oculis aduertimus, donec ad obiectu produceretur. Quu uerò temporis momento uniuersa subijciantur uisui, etiam nobis aliud agentibus, astrui probabilius potest: in eo qui uidet, esse utique uidendi munus, non in eo quod uidetur. Sed ita ut mens ipsa munere fungatur eiusmodi, ac per oculi membranas humoresq; perinde, ac per uitrum, aut specularem lapidem uisibilia sensu apprehendat, Vnde etiam, consequi putant, ut mens sape, atq; uoluntas, ex oculorum motionibus affectionibus ue deprehendatur. Cæterum ut cunq; intelligamus ista contingere, fatentur tamen iisdem, in acie ipsa, qua cernimus, quamq; pupillam nuncupamus, scintillas luminum cõtineri occlusas cõseptasq;. Quam etsi spacijs breuissimis arctauit natura ingeniosissima, quo minus foret læsuris obnoxia, nihilo secius integram hominis effigiem reddit, quod & ipsum non parua dignum admiratione est. Quamquam quid refert, tam solicite, tamq; circumspecte ab opifice deo nobis cuncta dilargiri: Vertimus in perniciem uniuersa, nec bonitate clementissima desinimus abuti, Exculcantur naturæ iura, & scelerum fomites efficiuntur sydereæ lumina, ac oculi fiunt tota nostra luxuria: ijs per momenta in uitia præcipites imus, mirantur hi, adamant, cõcupiscunt: nam infatigabilis est humanus oculus, quod Salomon scribit. Apostolica uerò sententia est, Esse mœchationum oculos plenos. Propterea Cyprianus, In mulieribus semper defixa intentione desideria explent oculorum. Tanta est, inquit Plinius, decoris affectatio, ut tingatur oculi quoq; unde est Satyricum illud,

Ille supercilium madida fuligine tinctum

Obliqua producit acu.

Sed & sciētissimus Hieronymus orbis appellat stibio fuliginatos. At philosophus Archelaus, quum diuitis oculos esset intuitus ludibundos, atq; illecebræ uoluptatisq; ple nos: Nil (inquit) interest, quibus membris cinædi sitis, posterioribus an prioribus. Porro, ut opera leuioris impingamus aliquid, sinuosam sub oculis partem *ὀφθαλμῶν* Græci uocant. Qui uerò sub oculis contingunt ex percussu liuores, dicuntur *ὀφθαλμῶν*: meminit in Nerone Dion. Quoniam *ὀφθαλμῶν* uocentur oculi, quamquam & durior manuum cutis ex labore callosa, nomine dicitur eodem. Aristophanis interpres, hypopia etiam cordylas a plerisq; nūcupari scribit. Auctor est Pollux, Ossa sub oculis, quibus accumbant nares, dici quoq; hypopia, id est genas, & uoce alia *ὀφθαλμῶν*: unde *ὀφθαλμῶν*, pro custodiare: ex quo est illud Apostolicum, *ὀφθαλμῶν* μετὰ τὸ σῶμα, καὶ δουλαγωγῶν. Apud medicos hypopion, oculoru intelligitur uitium, ubi in iride suppuratio sese ostentat. Galenus in definitionibus nunc *ὀφθαλμῶν* dicit, nunc etiã unguem ab similitudine, uti significat libro quoq; tertio Aegineta Paulus. *φολκῶν* dicunt Græci strabonem, cui obliqua sit oculorum acies, abiunctaq; ab naturali uenustate. Sunt qui eo nomine intelligat miserabilem quandam deridiculūq;, ut qui *τὰ φῶν ἔλκει εἰς ἑαυτὸν*: id est in se omnium conuertit oculos. Vocatur & *βλεπιδιαιμῶν* distortis oculis, ueluti ab damone percussus. Sic uerò nuncupari Socraticos consueuisse, auctor Pausanias est. *ὀφθαλμῶν* etiam strabo dicitur, accentiuicula in ultimo posita, uel cæcus, unde *ὀφθαλμῶν* signat *τὸ στραβοίσειν*. Illades, inquit Porphyrius, contorta dicuntur lora: unde *ὀφθαλμῶν*, nictare indicat: id enim agentes, oculos inflectunt. At Aelius Dionysius, *ὀφθαλμῶν* interpretatur, humectis fractisq; oculis inspectare. Pausanias *ὀφθαλμῶν* accipit, pro eo quod est oculis subannare irridereq;. Est Ionicum item uerbum *ὀφθαλμῶν*, quod circumspectare signat, ac huc illuc *ὀφθαλμῶν*, id est illos uertere. Oculi, quos conditos dicimus, acutè traduntur cernere: at hebetius, quos prominentes uocant ac emittitios. Visores, pro inspectoribus usurpat Tacitus,

tus libro decimo sexto: Nec missis (inquit) uisforibus, per quos nosceret an uera afferrentur, auget ultrò rumorem. Passiuas oculoꝝ cupiditates appellat Firmicus, ubi quis mulierum omnium concubitus cupiditate proiecta desiderat. Procopium imperatorē adnotatum annalibus est, humum intiendo semper incessisse, perq; morum tristitum latebras, ac similem habitum Crasi illius, quem in uita semel risisse affirmat Lucillius. Oculos Dorici uocant optilos: unde optiletis Minerua, cui templum erexit Lycurgus, monumentum excusit ab Alcandro oculi. Monopodios & lucinos uocabat Commodus Caesar, eos quibus aut singulos tulisset oculos, aut singulos fregisset pedes: quod prodit Lampridius. Illud grauius quod scribit Horus: Oculos sanguine suffusos haberi impudentiæ signum: quod approbat illo uersiculo Homerus,

*οὐνόβαρες, κωὸς ὀμματ' ἔχω, κραδίη δ' ἐλαφροί.*

Aurium, & audiendi ratio. Scaphus quid. Amara, & samara. Aerem icum moueri in orbem. Adriani historia. Cochliæ. De aurium humoribus. Item de fordibus. Cypselides. Lobus quid. De Fanelis. Amphotides quæ sint. Epotides, & Aterides. De auribus ex historijs non nihil. Qui dicantur Oti. Auribus an spirent capræ. Aurium uermes, eulæ. Cap. xxix

**A**urium est, quia sonum recipiunt, qui natura in sublime fertur: nonne summa sapientia sunt in prominentibus corporum partibus constituta? In his rectus simplexq; meatus primum, euadit mox tortuosus. Inde iuxta cerebrum in multa & tenuia foramina diducitur, per quæ facultas audiendi est. Quin & in propinquo duo paruuli quasi sinus sunt, superq; eos finitur os, quod transuersum à genis tendens ab inferioribus sustinetur ofibus. Et iugale dici potest, quia Græce *συζυγῶδες*. Alij *ζυγῶμαλα*: cancos appellant alij. Auerrois primo Colliget, aurem in osse petroso locatam scribit: & propterea (inquit) Arabum lingua dicitur agari. Quærat hic forte quispiam, cur meatus ille aurium (scaphum uocāt) anfractu sit tortuosus? Respondebit Auicenna, non sine prouidentia id quoq; excogitatum, ne subita aeris irruptio frigiditate uel caliditate cerebrum oblederet: uel soni excessus neruum, quo perficitur auditus, conuelleret. Nam sensus omnis harmonia quædā est. Nunc uero ambagiosa obliquitas illa: momento manifesto temperamentum adiicit. Aerem porro sonum deferentem, undam uocalem appellat Auicenna. Si quidem spherice mouetur aer, sicuti unda ex lapilli proiectu: quod sentit secundo De anima Auerrois, & primo De musica Boethius: unde & Princeps in ratione pulsuum, quos cum musica ratione simile quiddam habere prodit, circulos temporum nominauit, sicut & casus, arsin intelligi uolens, & thesin. Sciendum tamen, non perfici auditum aere tantum extimo sese auribus insinuante: uerum deprehensum ab peritis est, inesse illis aerem quendam, quem uocant cōnaturalem: est autem uapor ad usum hunc ab natura productus, ut motu quodam tremulo uocibus receptis, perficiat auditum. Sed cur nam in lateribus cōstituta aures? An quia speculatrix uidentia potentia, simul & olfaciendi, quam anhelitus ratione esse ori adnexam, commodissimum fuit, anteriora sibi uendicauit? An quæ in cæteris omnibus, & parte ista elucescit diuina prouidentia? Auditus certe in humecta parte locari commode non potuit: at in latere potuit, simul quia posteriora humani capitis inania sunt: simul quia nerui sunt ibi duriores, qui illuc uergunt: sicuti & auditus. Melius enim personat, quod exaruit tympanum, obduruitq;. At in postrema non sunt aures cōstitutæ, ne ab sensu communi abscederent longius. Scitu dignum est, quod de imperatore Adriano proditū monumentis est. Eum, quod sensu hoc esset oblaeso, cōsueuisse, dum exactius excipere uoces cuperet, cauam manum auribus apponere, quæ ueluti sinu quadam icum aerem colligens meatui copiosius infunderet. Aures, siue auriculæ uerius sinuosæ, quæ cachliæ nuncupantur, homini immobiles omnino, aut si moueantur, tenuis profusus, & hebetior est motus is. In quibusdam tamen mire uidentur agitari. Ratio uero est non ex aurium motu intimo, sed per extrusionem uel exculsionem musculi mandibulam mouentis, qui quandoq; ita auribus admouetur, ut cōtingat. Qua uero fiat ratione, ut aure duplici simplex tamen hauriatur sonus: dispicientibus naturæ ingenium est euidentissimum. Si quidem ut in uidentis proprietate nerui optici coniunguntur, ne uisibilis species delata fiat duplex

plex, ita & nerui *ἀκούσιοι*: quibus audiendi facultas perficitur, in origine concurrunt, & inde formarum audibilibus confurgit unio. Aurium cauernas etiam uocant Amaras Græci, quanquam est in hortis amara quoq;, id est incile hortorum rigationibus destinatum, dictione hinc corruata, quoniam marcescere prohibeat. Columella, amara est ulmi semen, samara etiam dicitur. Humores aurium sub affectionum genere interlocavit Hippocrates in puerulis. Sed cur non pariter nasi, palatiq; excrementa? Nempe, inquit Galenus, quia natura per nasum & palatum excrementa cerebri transferri uoluit. Per aures uero intermanare retrimēta, præter naturam est. Verum infantile cerebrum etiam per hos meatus propurgatur, nam recens natis nimio plus humet corpus: cerebrum autem eo amplius, propterea pueris per emissacula omnia humoris nimietas extruditur. Quod uero oscitantes, aut uehementius spirantes minus audiant, ratio est, quoniam sensorij auditus extremam partem contingit spiratalem, ac proinde quatitur, moueturq; cum eadem, ubi agitur spiritus. Auribus capras spirare, credidit Archelaus, sicuti prodit Varro, & est à Plinio repetitum. Alcmaeona opinionis eius auctorem aduocat Aristoteles, nec citra morsum, quando aure tantum audimus, nec ulla desideratur respiratio. Est enim, inquit, *λεφαλὺς μόνιον ἄπνοου. ἀλμυαίων γὰρ οὐκ ἔστιν ἄλλοθεν λέγει φέρων. ἀναπνεῖν τὰς ἀγῶνας ἤντι τὰ ὄπτα*. Porro Græci *ἄπτα* dicunt *σπυλικιδντα*, id est uerminosas aures, aut uermiculantes, quæ uermes putrilagine quadam cōcipiunt: eos uocabulo proprio *ἄλλας* uocant illi: quales è uulneribus ferè promunt se, aut putrescenti cadauere. Aurum in auricula gestare, nobilitatis censebatur insigne, quod in Platone adnotauit Apuleius. Aurem cuiuspiam qui tetigit, inquit Vlpianus, Digestis de furtis, totum eum tetigisse uidetur. Id & Trebatius asseruerat prius. Legimus porro, auriculas in tantum magnitudinis gentibus excrescere quibusdam, ut totum corpus his contegatur uestium modo, Fanelios uocant, siue Satmalos: ut Pomponius. Græci, ut auctor Strabo est, *φωπῶπις* dicunt: quoniam strati uice, quum dormiūt, auribus utantur. Est & in aure ima dicatus memoriæ locus, nato inde more, ut rapturi in ius aduersarium testes facerent, alias iniectio manus non erat. Sic uero faciebant, ut contingentes imam auriculam dicerent. Esto memor. Ne licebat hoc, ni futurus testis annuisset: ideo ita interrogabatur, Licet attestari? Aurium serdes Græci *κυψελίδας* uocant, unde *κυψελίδας* nuncupantur, quæ sordium altitudine adobruta latitant. Latini aurium marmorata dicunt, auctore Plinio: iuniores etiā cerumina. Quæ amarulenta sunt, quia non ferè aliud habentur, quam sudor qui computruerit: putredo autem falsos incoquit sapes, Galeno docente secundo De febrium discerniculis. Quod uero putret, & falsum est, mox amaritudinem concipit, consumpto humecto aquoso: Argum ēto sunt retrimenta & urina. Alij sentiunt, per aures eiectari biliosas cerebri redundantias, & indicio esse colorem inde luteum. Sicuti excrementū melancholicum, per oculos egeritur: pituitosum & sanguineum, per os. Aurium pars infima, quæ nostri imam dicunt auriculam (unde apud Ammianum Marcellinum: *Ima*, quod dicitur, auricula mollior.) lobus nuncupatur: quam & portio superior eodē censetur nomine: nam summa omnia, lobos recte dixeris: hinc iecoris lobi uocantur. Vnde in Nicandri Theriacis: *ἡπατὸς ἀλερότατον κέρσας λοβόν, ὃς περὶ τὰς ῥαπίδας ἐκφύεται*. ubi interpretes, trapezam iecoris partem accipit, ex qua lobus prodeat. Trapeza (inquit) & pylæ, partes sunt iecoris, sicut onyx, machara, caneon. Cimoni sacrificati, Plutarchus scribit, à sacerdote ostensum lobum carentem capite. Pyrrho item sacra dicuntur aloba, à uatibus præmōstrata, quum Argos peteret: quod cuiusmodi sit, ex his quæ attexuimus (opinor) amplius liquet. Verum Plutarchi interpreti satis superq; fuit sic transferre: Ex sacris rite peractis, quo nil dici ualuit ineptius inscitiusq;. Ciceris item aut fabæ uas lobum dicimus: nam cortex omnis, intra quem lateat semen, lobus dicitur. Hinc & rusticanum uas cōtinendis seminibus, uocatur lobus. Sunt inter legumina item lobi, seu lobia. Dolichos quoq; uocant Græci: sunt qui phasiolos interpretentur rubentes, qui & siliquæ dicantur. At milij panniculas Plinius appellat lobas. Quod in lobo prominet, *πελοδίου* nuncupatur. Aurium summa in flagitio deprehensis præcidere, ueteris fuit instituti, ignominia causa. Vnde apud Demosthenē *ἡκρωτισεασμῶλοι*. Dignum porro memoratu, quod in Tagis Thusci libris est obseruatum: Tangēdos mox fulmine adeo hebetari, uti nec tonitru, nec profundos fragores alios queant persen-

perferiscere. Quod in Germanicis bellis Severo, bellacissimo alias equitum magistro, usruenisse, Iuliano imperante legimus: qui acer prius, & industria insignis, fato urgente, commacruuit. Macrino imperatori aurium alteram fuisse perforatam, scribit Dion, Maurorum ritu, unde erat oriundus. Est intra aurem nervus nomine *ῥάγος*, e regione cuius est, quem uocant *ἀντιράγος*. Ab auribus quæ dicuntur Græcè *ᾠτα*, *ἑμφωτι*, & flexum habent. Ea uerò esse uasa quædam prodit Eustathius. Sed & indidem corruatur otus, ueluti auritus dicitur, pinnulis circa aures prominentibus: ululam nonnulli interpretantur, alij alionem. Scitū est quod scribit Aelius Dionysius: Auis hæc, inquit, laudata, & saltans capitur, uelut nycticorax: unde otos item dicimus, qui nullo negotio decipiuntur, aut gloriæ uanitate affectantes: id est *κροκόθεις*. Otidas dici putant stardas, quasi tardos anseres. Scribit libro septimo Thucydides, Defectis nauium proris, impositas esse epotidas, id est *ἑπωτίδας*: à quibus anteridas produxerint ad muros. Epotidas, Laurentius rostra nobis reddidit. Anteridas uerò sublicas interpretatur. Sunt qui prominentia utrinque ex proris ligna, epotidas opinentur dici, aurium imagine quadam. Et hæc quidem usos ratione Syracusanos, Historicus tradit, aduersum Athenienses. Cæterum & Corinthios ad eum morem instructis nauibus, ad Naupactum depugnasse proditum est.

De naribus, & earundem munijs. Sanguinis e naribus profluuium unde sit. Mirum de elephantis nare, quæ dicatur promuscis. Rhinocolura. De coluris, ac mitylo, & colo, & ficis coluris, ac colyridibus, colurijsque: item colophuris, & colobotis. Quid cothuri, mutica. Quid collyrisfare: item myssare, myxa, myxus. Item quid nares in architectura: & quid æstuaria, & mygme, myttotos, simon, plagion, loxon. Cap. xxx

**N**ares porrò nonne ratione scitissima & peculiari, quod ea ferè sit odoris cuiuslibet natura, ut superna petat, in sublimi & ipsæ sunt collocatæ? Accedit, quod cibi potusque magnum in ijs examen quum sit, non ab re in oris uicinia sunt collocatæ. Sed cur occludendi nares facultas non est, sicuti pro arbitrio claudimus oculos? In ijs utique peculiaris esse ratio uidetur, sensorij teneritudo & mollicies, mínimo cuique exposita nocimento: quod in naribus non fit. Deinde malis odoribus non oblæditur olfactus sensorium, sed cor aut cerebrum: cui læsioni facile occurritur, spiritu compresso. Narium uerò (ut Auicenna scribit) munus, est inspiratio: neque enim os, est spirandi organum: sicuti opinati quidam sunt: nisi affectio aliqua cogat. Item uocum distinctio in homine, deinde odorum internotio. Minimum uerò id emolumentum putant, quod ea item parte per *θαλάμιας*, id est interna foramina, cerebri redundantia excernantur: nam in hominibus inculpatæ sanitatis haudquaquam id uideri necessarium: & sufficere opinantur, quæ in palato habentur foramina, & in hoc usu sunt ueluti emissaria. Sanguinis e naribus profluuium cerebri nimie magnitudini in homine, ac huiusmodi acceptum referunt: inde namque effici, ut eo tendentes per os, uenæ nimium repletae per nares exonerentur: quando & indidem uitiatas sanguis diluitor euadat tenuiorque, qualem cerebri excrementis promixtum agnoscimus. Summæ ossium angustiae *ἰδμοσελεις* dicuntur, ubi foedissimum ulcus in oritur ozena, infestat cum carcinomate Polypus. Cæterum in elephantis mira & peculiaris narium ratio est, quippe implet ijs manus uicem: ea namque cibum tam siccum, quam humectum arripiunt, & ori infundunt, nec non arbores complexu peruellunt. Quod Aristoteles tradit, & meminit libro secundo Philostratus, *προβοσκίδια* Græci uocant: nos etiam promuscidem, ratione qua b transit quandoque in m: unde *κύβινδιν* illi, nos cymindim pronunciamus. Rhinocolura, siue ut Stephanus, rhinocurara: legitur in Aegypto fuisse urbs inde ita nuncupata, quod incolæ foret mutilati nares, ut Stephanus idem interpretatur, & pluribus exposuit Diodorus. Colura namque & coluria dicunt, quæ caudam non habent omnino, aut mutilatam præcisamque: meminit ad Dardanum Hieronymus: sed rhinocorura dicitur ab eo. Bouem *κόλον* intelligit Eustathius, mutilatum cornibus, quem mitylum item dicas: *κολόν μάλιν* appellant eruditi *ἢ* rapsodiam, id est *καλοβλίω*, quia res concisæ nimis ac mutilatæ prorsum eo comprehendantur libro ab Homero. Apud Theophrastum colophura, id est *κολόφρα*, animalia intelliguntur, boues, alini, muli, quæ si similes olfactarint, intermorianur

riantur: quod & de hominibus intelligit Andreas, si indormiant. Colobotæ, id est *κόλοβοται* sunt, qui decurtata proferunt uerba & dimidiata. Cothuros Hesiodus fucos intelligit sine aculeo, quem cauda uidentur occultare, id est *κόθουρον ἢ τῆ οὐρα*. Mutica Latine dicuntur, quæ cornibus carent: unde muticam uocamus spicam aristis uacuam. Sunt apud Athenæum fici, quas coluros uocant. Leuitici septimo, colyrides leguntur panes, quos deminutos prætenuesque interpretantur. Sed & qui puerulis minutus offertur panis, collyra dicitur recte: quanquam & colluria pro lalangijs seu laganis posita inuenio, unde id genus in sartagine coquere *κωλυρίδι* dicunt, id est collyrisfare. Coluræam uerò petram apud Callimachum cauam interpretantur, uel globosam, aut flexilem. Transferatur id uocabulum & ad panes, necnon ad medicorum pharmaca. Auctor Boethius est Arithmetices secundo, Coluron dici imperfectum, unde appellatos in sphaeræ ratione circulos uolunt coluros, qui duo sint, ob imperfectam (ut Macrobius inquit) conuersionem, neque enim unquam apparent integri: quod approbat Theon quoque, & in Procli Diadochi sphaera lectum est. Pars quippe in antarcticum uergens, aut non est, aut si est, nostris se non ingerit obtutibus. Illud postmodum nec ignorandum, *μύξα* apud Græcos, id est myssare, non aliud ferè signare, quam labijs occlusis, sonum naribus elicere, unde & *μυξίρα* nasum dicunt. Sonum autem *μυγμω*, irrisioni plerumque dicitur, unde qui citra reprehensionis morsum agit, *αμύγμων* dicitur. Sed & Homero *αμύμων*: Muris stridorem *μύγμων* uocant. Myxa uerò est, qui e naribus profluit subinde humor. Lego in Galeni thesauris, mucidum succum e cochlearum carnibus punctim percussis profluentem, dici myxam quoque. Nam myxus aliud omnino est, quod iactata diu epodè indicat facile, Bibit gallus, nec urinam fundit, fundit myxus, nec tamen bibit. Sed & Dianæ sacerdos traditur myxus: urbanus quidem satis, uerum & iactator, unde natum, ut id genus homines myxos dicamus plerumque. Hinc criomyxi per conuuium dicuntur apud Cercidam & Galenū Therapeutices sexto. Myttotos autem rusticum est pulmentarium, alio trito in oleo & aceto, uel addito caseo, ex aspernabili odore inflectitur nomen: sicut qui placenta ex oleribus putent. Addamus illud quoque, Nares item dici fornaculæ spiramentum, quo protruditur fuligo. Vitruuius: Ante id sit fornacula habens in Laconicum nares, eius præfurnum magna diligentia comprimatur, ne flamma extra dissipetur: nam ignis potestas, dum uritur resina, emittit per nares intra laconicum fuliginem. Narium ferè usum habent in puteorum ratione, quæ uocant æstuaria, dextra & sinistra defossa, ut per ea dissipetur spiritus fodientibus puteos deprimentibusque pestilens. Rhinuchos eadè ratione dicunt Græci, & Strabo, id est emissaria. Quia uerò simum quandoque dici nasum, est omnibus compertissimum, adnectamus quæ in Galeni thesauris explorata sunt nobis. Transuersum enim Græcè *ἐγκέρσιον* dicit, quod est recto contrarium. Simon autem, quod subtransuersum nos appellamus, quod ab transuerso paululum in partem utranque reclinat: plagion, id est subrectum, quod à recto utroque uersus recedit non adeo. Loxon, siue obliquum, quod in recti transuersisque meditullio est.

Labiorum & linguæ, munus duplex. Philtron. Typos, uel nympha. Prochilon. Prostromion. Item de ore. Microstomus, chelyne, chelynidæ, chelya, chelysma. Stoma unde. Astoma quæ: itena eustoma, stomatica. Mirones, miracula. Caput xxxi

**Q**uid uerò labia, nonne & ipsa in homine præsignem ab cæteris rationem habent? In brutis quippe dentium modo hæc tegumeta sunt, & uelut procastris quædam. At nobis etiam in loquendi necessitate mirabile suggerunt adiumentum: indeque mollia carnosaque ab rerum natura efficta sunt. Ut enim humana lingua duplici fungitur munere, conceptus animi enunciatio, & saporum uim presentiendo, proptereaque ab cæteris disparat, nec similis est: ita nec in labijs simplex functio est, sed dentes quidem cum decore contegunt plurimum, tum locutionem magis præstant articulatam: ea namque conflatur ex literis, quarum enunciatio plurimum obturbata, detrunata, nec intelligibilis præstaretur, nisi ad hanc rationem labra linguamque conformasset artificis infinita prouidentia. In labio superiori, quæ inest cauitas, dicitur *ἐλάτρον*: eadem in inferiori *τύπη* uocatur, uel nympha. Labiorum prominens pars, *πρόχολον*, eorundem mutuus congressus *πρόσθμιον*, uel *πρόσθμία*. Desinentia uerò maxillas

xillas respectans, το χαλινός fortitur nomen. Sunt porro labra, ut sciēter colligit Auicenna, hostij uice adiuncta ori. Quod brutis cōparatum creditur, ad explendam uictus necessitatem. In homine, promptuarium est rectae rationis, ut quae prudentia corde conceperit, ea sensa promat oratio: unde eleganter Apuleius os esse dicit, animi uestibulum, orationis ianuam, cogitationum uerō comitium. Hominem, Graeci ab oris exiguitate μικρόσσωμον dixere. Hac parte quae carent, dicuntur inora: sicut inaurita, quae auribus. Labrum superius inueni, qui chelynem dici arbitrentur: quamquam alij in ambitu positam partem eo uocabulo intelligere malunt. Vnde chelymidē nuncupentur, quibus ea grandior portio est. Testudinis operimenta uocant chelya. Nam chelys testudo est: sed & pectus quoque. Vnde sit Nicandro χελύσσειον uerbum. Quod ultimū carinae suffigitur, ne atteratur, chelysma dicitur recte. Os autem Graecis stoma dicitur, πρὸς τὸ μέναι, τὸ ἴσασθαι, quod cibaria praecidat, praemandatque. A stoma intelliguntur ori ingrata, & gustui. Astomi, qui sunt oris praedurī. Eustoma, quae sapiunt praecipue. Stomatica sunt Galeno medicamenta oris uitij accommodata: Personas oribus distortas & deformes legitimus Mirones nuncupari: nam & miracula à miris dicuntur, id est monstris.

Linguae, & orationis laus praecipua. De imitatione non nihil. Saporum sensus ubi percipiatur. Saluæ fontes. De gustu, & psittaco mirum. Meropes qui, & unde dicatur. Trysfare quid. Trygon cur. Ancyloglossum, ancylostomon. Sicuti cur trilingues.

Caput xxxii

**C**Aeterum leuia possunt ista censerī, si consideret quis humanae linguae incomparabile prorsus donum, in quo bonitas infinita inestimabili munificentia nos, ut legitimos filios, est amplexata: quid enim in tot tantisque corporis dotibus aequa pensandum libra est? Huius siquidem facultate post mentem, quae nos ex a quo ferē cum caelitibus constituit, constat praecipue illa, ut dictum ab Sophocle est, Regina rerum eloquentia: qua, sicuti M. Tullius inquit, cohortamur, persuademus, perterritos à timore abducimus, gestientes comprimimus, cupiditates, iras restinguimus: haec nos iuris, legum, urbium societate deuinxi: haec nos à uita immani & fera segregauit. Sed illud quantam demum in humanis rebus habet excellentiam? Vsu linguae posse hominem, quae minus intelligentia consequatur, ab altero tota facilitate percipere, quaeque noris ipse magna tua gloria alijs impertiri: Eximium est quod inde profuit emolumentum, parturiente semper animo, quae uel obseruari intentissime, uel summo excogitari ingenio. Nescire malumus magna pars, quam in id tantis laboribus & curis profecisse, ut abdita illatebrataque, uelut in sanctarijs, aut sepulchro uerius tam preciosa supellectilis munera supprimamus. Quid illa in calamitatibus, tanquam oneris praemolesti alleuatio, cum amicis communicatio? Quid secundis rebus incredibilis, & gestiens ille ardor animi eisdem impariendi boni? Denique ut rei pretium intelligamus, quae nam aut quanta commolita natura est, ut decenter orationis euaderemus compositae exordia: mox illa spiritalis fistula, quam etiam arteriam dicimus, ad os producta intimum uelut canali, à mente profectam uocem ita subuehit, ac excipienti linguae ita affundit, ut artificij motu nunc illa in palatum surrecta, nunc allisa dentibus, alioqui barbaricum insuauemque sonum sic moderetur effingatque, ut auribus cōtingat iucundissimus: & uehemētia quandoque detonans altius, immo uerō clarius fulgurans tam potēter mouet, docet argute, & ad delicias usque ita delectat afficitque: ut quod de Olympio dictum Pericle est, non Graeciam modo, ut ille, sed uniuersa ferē ualeat permiscere. Quod dictum uerissime non inficiabitur, cuius dictionem sic demum multiplex, ac interior fermentarit eruditio, uti nare iam queat sine cortice, quod aiunt, Quippe hominum extremos esse opinatur Plato imitatores. Cui calculum adijciens Latinae princeps lyrae, seruum esse pecus pronunciat. Alioqui infelix fuerit supellex, tantum alienis infutisse ue stigij, nec fermentum ita percoxisse, ut genuina resipiat prorsum, ac mellis more ex diuersis uelut floribus inoriatur consurgatque nulli comparabilis succus. Esse tamen in artibus necessariam imitationem, non inficiet. Quando hac ipsa de re caput est in Fabij libro decimo. Et secundo De oratore Cicero: Ergo primum sit in praecipis meis, inquit, ut demonstremus quem imitemur: atque ita, ut quae maxime excellent in eo quem imitamur

bimur, ea diligentissime persequamur. Tum accedat exercitatio, qua illum quem elegerit, imitando effingat. Caeterum parte hac unicuique altius inhæreat Quintiliani illud: Pigri esse ingenij, contentum esse ijs, quae sunt ab alijs inuenta. Nos uerō ab excursu in semitam redeamus. Quid ubi in modulatum caelestemque lingua exit cantum, nunc spiritu productiorem, nunc inflexo uarium, nunc distinctum conciso, copulatum intorto. Et, quod nequeas admiratione cōsequi, est ubi promittit, reuocat, infuscat, plenius edit aliquid, grauius, acutius, uibratius, summum, medium, imum. Propterea ingeniose ac plausibiliter mihi fecisse uidentur, qui linguam plectri similem prodidere, chordarum uerō dentes, nares cornuum, quis canenti accinitur. Nam & in Hexaemero Ambrosius ait: Plectrum loquentis lingua est. Haec uerō omnia diuinæ maiestatis recinunt amplitudinem & sapientiam, tuba clarius insonant, ac ingerunt ingratis, & periniquis tantorum munerum aestimatoribus. Haec quin ut posset munificentius lingua praestare, eius carnem struxit opifex deus raram, fungosam & mollem, ut dicere maluit Auicenna. Sed in corpusculo tam paruo, non desinit idem cum Auerro neruorum admirari multitudinem, tam ad motum, quam ad sensum spectantium: necnō uenarum, arteriarumque, quādo omnium horum magnitudo numerosa linguae mēsum longe uidetur excedere. Haec uerō ita scimus ab optimo maximo deo cōstituta, quia membri eius multiplex erat usus futurus: nam ad ea quae diximus, habere item munus aliud partem hanc, Lactantius putat, quod contritos & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos uisua deprimat, ac transmittit ad uentrem: unde & Varro, à ligando cibo putat linguae nomen impositum. Bruta uerō etiamnum lambendo potu adiuuat. Falli putat Lactantius idem, si quis saporis sensum inesse palato arbitrat: quoniam lingua lit, qua sentiantur sapores, nec tamen tota: nam partes eius quae sunt ab utroque latere tenuiores, saporem subtilissimis sensibus trahere. Plinius tamē: Intellectus, inquit, saporum est caeteris in prima lingua, homini & in palato: sed & in gustatu linguae uice nouimus esse aquatilibus palatum. Scitu uerō dignum, ad hunc usum oportere linguam esse quidem potentia humectam, actu autem minime. Indicio esse, quod quibus nimio plus arescat lingua, uel humeat, haud ita sapores ualeant percipere. Et humectatio quidem insita interpellat manifestō, quia ipsa primo linguae tactum praestat, quo occupante, nequit extima aduerrere. Argumento est, quod qui acrius quippiam gustu apprehenderit, mox nō ualeat aliud sentire. Scribunt eruditiores, in linguae radice duo inesse orificia, quae saluæ dicantur fontes. Eorum munus est, humorem seruare, ueluti penu quodam intimo, quo subinde irrotetur lingua, & os humescat uniuersum. Esse autem tanquam aquosam pituitam, tum in stomacho cōceptam ex tenuissima quaque chyli parte, & mox ceu in castella corruatam, tum ab cerebro defluam per eius ossis meatus, quod colatorium uocāt medicorum scholae: indicio inde concepto, saluosum esse illis os, quibus rheumate abundet cerebrum, quibus ue humeat stomachus, quod genus bibuli sunt, quique nimio plus uescuntur pomis, aut consimilibus. Illud uerō ad praesens institutum eximie accommodatum minus praetereundum est. Neruum quo tangendi sensus ad linguam deuehitur, non esse ab eo diuersum, qui gustus uectabulum est: Galeno tradente, quarto De morbis interioribus. Sed cur solertior est gustandi uis in lingua, quam tangendi? Ratio uerō est, quia gustus exactior est ad peruestigandum: tactus uero caeteris sensibus hebetior ac materialior, ut interim trito in philosophorum scholis uerbo utar: sicuti uisus subtilitate sensus excedit omnes, postea uerō auditus. Denique placet Auicennae, ad loquendum uideri praestantissimam esse linguam, quae suos tum lōgitudinis, tum latitudinis commensus habeat, quaeque in apice tenuis & acutior, in radice latior. Caeterum nec silebo parte hac miraculum insignis nostris uisum temporibus: Psittacus hic fuit Ascanij cardinalis Romae, aureis centum comparatus nummis, qui articulatissime continuatis perpetuō uerbis Christianae ueritatis symbolum integre pronūtiabat, perinde ac uir peritus enuntiaret. Quod quia praeclarum est, ac dictu rarissimum, non fuit consilium, transilire per incuriam. Auctor denique Eustathius est: Meropas in carmine Homericō dici homines, quod eorum naturae uis, distinguatur uox in dictiones, syllabas, elementa, quae res animantium nulli contingit: quorum soni, neque dici debent, neque audiri. At diuinorum periti Meropas dicebantur arbitrantur ab uocis diuisione, quae post Chalanes turrim facta narretur. Constat ta-

men & aurum quasdam meropas nuncupari. Sed & Coi, Meropes dicuntur, gentili nomine: quando insula item Cos, Meropis appellatur. Inuenies & proprium nomen Meropa. Ceterum nec illud inuoluendum silentio: τρυγόν, hoc est tryssare, ab Græcis dici de inani obstreperaque uerborum multitudine, unde corruetur etiam trygon, idest turtur, quem & scommate scitissimo usurpat paræmia, sicuti auctor probat Eustathius. Tritum uerò est quod Græci dicunt, oportere, γλωσσων μὴ εἶναι ἀργύριον, χεῖρα δὲ ἀργυροῦ. idest esse ociosam quidem linguam, manum uerò operariam. Verum scioli trygodæmones diuersos sibi induunt mores: at hos nil aliud, quam ut Spartiani utar uerbo, catamidandos, idest ridendos conspuendosque sinamus ualere: sed cum macaria item, ni respiscant. Ceterum id non omisisse præstiterit: Ancyloglossum Aeginetæ Paulo esse linguæ uitium astrictioris, nerui sub ea, quod filum uocant, interdum blæsitare. Ferramentum quo perfanatur, ancyloromon uocant. Siculos ab Apuleio dici trilingues animaduerto, quod Barbare initio sunt locuti, Græcè mox, postremò etiam Latine.

CAMILLI RHIDERII RHODIGINI IN ANTIQVARVM  
lectionum libros Lodouici Cælij patris, ad magnificum comitem  
Ioannem Rouerellam, Præfatio quarta.



Iberiori mentis intuitu, huius nostræ peninsulæ primordia uagatus his proximis diebus, antiquioris inscriptionis monumenta non pauca discurrens, Rouerellæ familiæ nobilissimæ antiquissimam genituram hinc ortam, non insignitura minus, quam & antiquæ dominationis positura & consanguineæ stemmatis necessitudine certius agnoscens, astrictiori multo magis uinculo, quam antea adligatus in tui obsequium perpetuò infixus detineor: nam etsi iamdiu tua in me collata beneficia, me tibi adeo euinctum fecerint, ut me tibi deditissimum scirem: nunc communis patriæ nostræ congenitura me adeo adligatum inuoluit, ut tibi merito, magis quam mihi ipsi uidear destinatus. Qui eo sis ortus stemmate, quod toto fere orbe terrarum illustre nostram hanc patriam adeo exornauit, ut ab eo quicquid in ea studiorum, literarum, ue, aut ingenuæ probitatis adfuerit: id Rouerella familia aut præstante, aut confouente, quale quantumque est, emicuerit. Quid enim quantumque Bartholomæi reuerendissimi cardinalis, Philicæque patris tui, Laurentij, Nicolaique, atque aliorum è Rouerella genitura sanctissimæ prælaturæ Rhodiginis conciuibus honori utilitati que profuerint, sciunt qui non toruis perspicientes supercilijs literatas nostræ patriæ doctiorum elucubrationes nouerunt. Quo etsi omnes astricti, ego potissimè deuinctus, meæ in te obseruantia famulitium tibi oblaturus non aliud arctissimæ meæ affectionis uadimonium tibi exhibere cognoscens, portiunculam hanc laboriosissimarum lectionum à doctissimo Lodouico Cælio mihi patruo his proximis diebus doctissime castigatam ad te destinandam curauit: munus quidem etsi tuæ amplitudini ualde impar, id tamen ut meæ in te maximè obseruantia culturam præ se ferat. Quod te, eo latiori suscepturum animo, & gratiore perspecturum fronte cognosco: quibus te uirum doctissimum nobilissimam genitura emanatum, munificentissimum mihi patronum & sciui, & certiori affectu semper cognoui: huiusque tenuiorem non aspernatus exilitatem, hoc solo sincerioris meæ mentis affectu, accipies. Quod salis saltilitatione turis carentiam multotiens emendatam audiui: idque doctioris tuæ Mineruæ cultura suffarcinatum fouens expolitoris frictionis patrociniij tui titulo ascriptum, ut hilariori fronte securius prodeat, curabis: Camillumque Rhiderium tibi dedititium, lato eo fouebis animo, quo ipsius in te fyncerioris ancillatus famulitium præ se fert. Vale.

## LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI QVARTVS.

Dentes cur attributi animantibus. Dentibus an insit sentiendi uis, atque item ossibus. Dentium distributio, & uocabula. Quid gelatinus. Gingiuarum nomina. De Pyrrho, & Hercule, suis Calidoniæ dentibus, & Zenobiæ. Odontiasis quid, & odaxysmus. Gomphiasis, gomphiasmus, pladara, epulides, parulides, chauliodonta carcharodonta. Cap. I



ENTIVM potestatem quibuscunque ij contigere, ideo communi quadam ratione contributam tradunt Naturales, ut cibum mollientes conficiant: quam esse ex digestionibus primam, statuunt artis medicæ periti. Sunt tamen quibus tum ad inuadendum, tum ad propulsandum, uim suggerant. Homini uerò ad cibi necessitatem adnexi aptissime uidentur, siue ad perpenzionem reuoces primores, quorum est digerere mandanda, & difsecare, unde & temnici nuncupati, qui lati utique sunt, sed exacuminati quoque, ut implere munus suum possint facilius. Siue item eos, qui cibum conficientes latitudinem nacti sunt planam ad hunc usum: nam ipsi interlocatos nouimus, qui uocantur canini, partim acuti, partim item lati. Quinimmo & locutionis potissimum ratione dentes plane fortissimi homines: quando, ut uel paulo antè significauimus, ad literarum expressiorem enuntiationem dentes conferre plurimum pernoscentur, præcipue primi. Erumpunt uerò statutis temporum curriculis, sicuti etiam prodeunt pili, progerminat barba, generationis semen defluit: quoniam fecundum corpus est, ac ueluti prægnans, ut Plato inquit: illi quippe suorum omnium spermata sunt inserta. Auibus hi attributi non sunt, siccitatis calidæ ratione, quæ nec præmansum cibum ualet cõficere. Adiuuat & stomachus prior, qui remollita spatia alimenta in alterum percoquenda transmittit. Dentibus uerò inesse sentiendi uim abunde Galenus docuit, quia sint illorum radicibus adiuncti nerui, quibus sensus facultas comparatur: & uidetur Auicenna putasse, ut quoque propria substantiæ sentire, quoniam tertij septima dentes interdum dolere significat ex causa intima. Non esse uerò dolorem, cuius non sit sensus. Alij putant eum esse gingiuarum dolorem, neruorumque. Vt cuncti, calidi, ac frigidi sensus adesse dentibus creditur potius, quam sensibilibus reliquorum, cuiusmodi est humidum, siccum, durum, molle, asperum, lenè. Hoc uerò efficit dentium nimia durities, nam pati nequeunt, nisi agens fuerit præpotens. Caliditas uerò, & frigiditas agunt cæteris potentius. Et frigoris quidem rationem affert Aristoteles. Quod dentium meatus prætenues sint, & caloris exigui, qui ab frigore superatus dolorem inducat. Ex physicis item sunt qui reliqua item ossa nec esse sensus expertia tradant, etiam si neruus affideat prorsum nullus: nam spiritus sensificos, qui poros penetrent, uim sentiendi posse suggerere. Sed nec hi constanter propositum tuentur, propterea istiusmodi difficultatum studiosis relinquatur disceptatio hæc: quam tamè abunde excussit differentia quadragelimatertia Conciliator. ἀμφόδοντα dicuntur utrinque dentata. Inesse præfagia dentibus credit Aristoteles: nam quibus rariores fuerint, haud ita diu uiuere, opinatur. Quoniam quæ dentium ordine sint prædita numerosiore, esse item uitæ productioris uideantur, uirorum exemplo, quibus plures sint, quam foeminas, quod ipsum & in cæteris conuilitur. Dentium numerus in homine ad duos increfcit & triginta: auctoribus Galeno, & Auicenna: nec tacuit primo Colliget Auerrois. Foeminas raro plures adnascuntur, quam duodetriginta. In Græcis auctoribus hanc fere dentium compertio distributionis nomenclaturam: quatuor anteriores, qui in meditullio constituti habentur, dici tomeos, & dichasteras, aut crenas, atque item gelatinos: uocabulo primo ab infectione ducto, alio ab diuisione, tertio, quod cõcidant: nam gelatinos uocant, quia inter ridendum retegantur: quæquam & eodem nomine corrugatio nuncupetur ridendo circa os expressa: propter illud Martialis.

Nec grata est facies, cui gelatinus abest.

Sed & Democritus de risu petulantia, gelatini cognomento est insignis. Insequuntur hos duo leuobviti appellati, siue canini, quoniam in acutum producti caninos praferant dentes. Adiacent qui dicuntur gomphii, seu molares: quibus adnumerantur, quos mylos nuncupant: post quos postremi sophronisteres, sic enim eos Cleanthes uocabat: Auicenna, dentes sensus uel intellectus. Quos adnasci arbitrat post genituram profusionem ante consistentiam, quae anno contingat tricesimo. Hos alij leuobvites etiam uocant: ut Aristoteles, ἐπι το κείναι, quia aetatem perficiat, ac compleant. Genuinos appellant Latini, quos Varro post annos fere septenos enasci tradidit. Haemodia esse Galenus scribit, dentium stuporem, qui etiam gingiuas infestet. Molarium autem partem quae affidet gingiuam, momiscum dicunt: superiorem uero qua conficiuntur cibi, trapezam, id est mensam: cavitates autem, holmicos, ueluti mortariola: utrunq; simul, pharnas, id est praesepia: gingiuas extimas uocant ula: intimas uero enula: spatium inter locatum dentibus, harmum dicere mos est: ordo uero ipse dentium ac series, dicitur phragmus, tanquam sepem appelles. Pyrrho Epirota tradunt unum fuisse os, dentium uice, lineis modo in superficie suppositum distinctumq;. Et prodit Herodotus in Persica strage inuentos unius dentes μονοφυειας, id est ossis unius. Herculem fuisse triplici dentium serie, Ionis Chii proditum monumentis est. Sunt in iumentis, qui uocentur pullini dentes: eos Graecis gnomonas, ab diiudicanda aetate, nuncupari aduerto: de quibus alibi plura. Odontiasim uocant Graeci, uel odontophyiam, dentitionem. At qui hanc praecurrunt, pruritum, odaxysmum dicunt. Gomphiasis, molarium est dentitio, quos γουφους appellant. Gomphiasmos autem, dentium haemodia, id est stupor. Gingiuas, πλοσίδες uocant medici, humectatione imbecillitas nimia. Pladara enim dicunt, humore flacciditas. Illud demum haud praeteribo, quod primo Gothici belli tradit Procopius: Beneuentium olim ab Diomede direptum, ac inibi suis calidoniae dentes, quos accepisset Meleager uenationis praemium, reliquisse. Hi uero ad nostra, inquit, tempora perseverant, magnitudine uisenda, quippe lunari specie pedum trium explere perimetrum. Zenobia, qua Romani imperii insignibus admouit numen, tantum inerat dentibus candor, ut margaritas eam pleriq; habere opinarentur. Epulidas uocant Graeci excrecentem carnem ad intimos molares ex inflammatione, non citra dolorem, ac quandoq; febrem. Sunt & in gingiuarum parte parulides, ex inflammatione, qua suppuratione sese ostentat, nisi mature discutiantur. Chauliodonta uocantur, quae dentes habent ex ore prominentes, ut elephas. Carcharodonta uero quibus intus quidem sunt dentes, sed acuti, tanquam λευκογυμνισ, ut leoni, pardali, lupo, cani.

Prosopon, id est facies, quid. Coros quid. Comodi historia, & Fulvia. Colli ratio. De sphondylis. Ancteres quid: item anthereon. Corra, corra, corsoferium, corsofeus, dire, byssauchen. De ossibus humerorum. De iugulis. Clidas, clidia, guttur, gula, pharinx, larynx, asparagus, & aspharagus. Gylus, & gyliauchē quid. Gyrini, ginni, gygenij. Isthmus, unde paristhonia. Orthostade. Orthostadia uestimenta. Strangulationum ratio. Cynanche, paracynanche, parasynanche, angina, synanche, metaphrenum. Antiades quae, & cur. Tonsillae, cion, decollare, murenula, fuca, capitium, struma, pappa, prolobum, proboli. Cap. II

**R**osopon, id est faciem, appellant Graeci, quod inter caput & collum hominis est, ab re nomine imposito. Nam quia unus animantium cunctarum erectus homo est, solus anteuersus prospectat, uocemq; anteuersus mittit. Mentum, in quo efflorescit barba, anthereon dicitur Homero, ποδι ὑπὸ ἄνω ἰε νεου. dicitur quandoque & in muliere, sed per catachresin. Menti pars extrema, Galeno dicitur ather: quanquam eodem auctore, est in hordeo ather, proprie cuspis spicae. Quia uero ab Graecis maxillas dici corras nouimus, & tempora etiam corras: inde corsoterium in Athenaeo, pro tonsillina inflecti arbitror: apud eundem, corsofeus esse tonsor uideretur. In Ionicis aedium sacrarum foribus nominantur item corrae. Vitruuius: Corrae, inquit, cum astragalus circumcurrant. Sed & Corson cognominatum accepimus, eum qui barbam sibi abrasit primus: quod Alexandri tempestate factum, auctor Chrysippus est.

est. Coros autem, de stomacho dicitur quidem proprie, quum cibus oppletur: mox & de praedictibus pronuntiat quoq;. Sed & in magnis honoribus dicitur coros, ac uniuersum id genus alij: ex quo ὑβελν κος μυτθρα nuncupat Pindarus: quanquam parum obseruate forsan, quando diuersum contingit potius. Nam ita Homero ingeniorum fontipropemodum tradenti assentimur:

Τῆται πικρὸ ὑβελν ὅταν κἀὶ ὄλεθ' ἐπιτο, id est, Inuiriam satietas profert, ubi nequam homini contingant opes. Scribit Lampridius, Commodum Caesarem uultu fuisse insubido, ut ebriosi solent. Fuluiam M. Antonij uxorem, cui buccarum altera esset inflator, dixit Sex. Clodius acumen stulti tentare. Strongylosopoda dicuntur, quibus rotunda est facies: quam esse speculum mentis dixit Hieronymus, quando & taciti oculi mentis fatentur arcana. Subest capiti collum, quod nec ipsum artificis expers prouidentiae est. Id distribuitur primum in ceruicem & iugulum. Ultima colli uertebra, quia onus sustineat, nuncupatur atlas, ut uideri debeat, caput spinam excipere. Quae ἰσθα σφύρδ' dicta Graecis, sacra ab nostris fistula, uertebrae constat quatuor & uiginti. Eas uertebrae, seu nodos, Graeci sphondylos dicunt, & Aristoteles. Nam spina ipsa uocatur etiam rhachis. Quidam uero sphodylos, ut Pomponius Festus scribit, cubos appellant. Sphondylum, piscem intelligit cum Macrobio Seneca: eum dici uulgo schinalum, interpretantur alij. Aristoteles sphondylen uocat bestiolam, quam uerticillum Theodorus reddidit. Inter indicaturae nobilis salsamenta utique est sphondylos. Athenaeus, in mugilis capite forma echinata, sphondylum agnoscit. Aliubi inter salsamenta horrae sphondylum adnumerat. Collum septem incumbere sphondylis uolunt, quos Homerus astragalos uocari, ac sphondylion, eam quae inest medullam. Quod uero circum eos fiat conuersio colli, & stropheos nuncupant: sicuti apud Phecreant dicuntur strophinges: aggregatio autem omnium dicitur gyes. Primum uero qui cum collo circumagitur, uocant epistropheum ex Graecis pleriq;: Hippocrates etiam dentem, id est ὀδοντα. Alterum uero, quia sit immobilis, axem: in quo catochi sunt, id est proiectiones duae: quarum altera cum praecedenti coit sphodylo, cum sequenti reliqua: postremum (ut praetexui) appellatur atlas, ueluti achthophorus, id est onerum gestator. At Plinius ordine mutato, primum atlantion statuit, postremum uero epistropheum. Ancteras nuncupant colli portiones, quibus maxime praefocationis occasio inest. Sed in Medicina Celsus, & tertio Therapeutices Galenus, eo nomine fibulas uocant, quae uulnerum oras impositae paulum contrahant, quo minus lata post cicatrix sit. Harum uero partium affectiones tres obseruauimus, ὑβασην & λυόραση, necnon λωρλαση. Ex quibus hyuos posteriora capitis infestat ante spinam: cyrtosis uero, media spinarum: lordosis autem, anterioris partis affectio est. Lordosin Galenus interpretatur uertebrae luxationem, quam excauationem intelligimus. Hyuon sunt qui eum interpretantur cui sit obtortum collum. Dignum scitu ex historia: Militari more in nomen imperatoris iurantes milites conceptis uerbis, gladios admouere ceruicibus solitos, diris sese execrationibus deuotes. A ceruice duo lata ossa utrinq; ad scapulas tendunt: nostri scoptrula operta, omoplatas Graeci nuncupant, nonnulli etiam epinotios & platas. Iugulum in summo costarum os recuruum, nec durissimis adnumerandum ossibus, quod brachij motu paulum cum lato osse mouetur. Iugulos uocant clidas & clidia, quorum pars omoplatas respectans uocatur epomis: ceruicem eo nomine Theodorus intelligit: quae autem collum, parasphagis. At cauum id, quo disparatur iuguli, sphage: a quibusdam etiam thymos. Hinc humerus excipit extremis utrinq; capitibus tumidus, mollis, sine medulla, chartilaginosus: medius teres, durus, medullosus, leniter gibbus. Collum uero gutturi, & gulae causa ab optimo maximo deo attributum. Guttur, spiritus causa est, hoc si quidem halitum animantia trahunt redduntq;. Proinde quae pulmone carent, neq; item collum habent. Hinc gutturosus dicitur Iureconsultus, & Celso. Gula uero est, qua cibus & potus deuoratur. οἰοφωλον uocant Graeci. Sed in quibusdam Homericis glossulis sic comperi, Pharynga nuncupari interhiantem inanitatem, in quam duo competant ora, oesophagi uidelicet, ac laryngis. Et est oesophagus quidem uti statuunt medicinae periti, cibaria qui excipit locus, quem stomachum uocant. Larynx autem est, qua concipitur sonus. Verum de his alibi uberius paulo. βρογχεν interpretantur quidam guttur, k 3 sed



sed eam tamen partem intelligunt, in qua sese extrinsecus tumores promunt, quos bronchocelas nuncuparunt Græci. Guttur porro à Græcis aspharagus item dicitur: quamquam Attice asparagum indicet, notum fruticem: etiam si est asparagus in oleribus, quæ prima sese promunt e terra folijs necdum egerminantibus: quod ab Paulo Aegineta est curiosius obseruatum. Non prætereunda Græcorum item diligentia, tradentium, *τροχιλίου*, indicare colli ambitum uniuersum: quoniam *ὠχλῶ*, intelligatur in homine posterior pars, in brutis uero superior. Vbi autem *δελφῶ* audis, anteriorem in homine partem accipe, in cæteris imam. Quæ colli expertia sunt, gulam manifestam non habent: sed nec habere, necessarium. Et instrumentum spirationi accommodatum longitudinem habere oportuit. Propterea Galenus octauo De iuuamentis, ob pulmonem esse præcipue collum scribit, *γυλιόχνας* Græci uocant prætenues homines, & colli oblongioris: nam est gylus, militare uas contextum, in quo caseus seruaretur cum oliuis & cæpis, unde & militaris opsothece nuncupata. Herculem quoque dicitum fuisse gylum tradunt. Gyrini uero informes dicuntur ranarum partus, quod scribit Theon, id est *ἀδιδάπλασι γυρίμα- τὰ, καὶ ἀποδία*: quando urfarum more pariant ranæ. Hinc in Prognosticis Aratus:

*Αὐτὸν δὲ ὕδατος πατῆρας βοᾶσι γυρίων.*

Vnde apud Platonem, Nihilo rana gyrina prudentior, prouerbiali figura. Nec me fallit, esse qui expuncta ueteri lectione, gryneam substituunt: sed utrum magis quadret, doctorum fuerit perpensio. Ginni apud Aristotelem deminuta forma, equi dicuntur: quos & gygenios ab Strabone nuncupari, putant nonnulli: quamquam & mulorum genus sic in Liguria uocet. Gyrus, Dioscoridi est farinæ pollen: gyriras panes uocant autopyros. Sciendum uero, nulla superiorum habita ratione, Domitium, girrinos appellare informes exiguosque ranarum partus, Plinij lectione interpollata: quia ostreorum cirri dicantur Martiali. Isthmum Galenus apud Hippocratem interpretatur partem illam quæ os & gulam interiacet, per metaphoram. Et inde paristhmia dicitur tonsillas arbitror, quæ contingunt in locis istis, quæ *μῦλα* item uocant. Est & affectio, quam orthostaden uocant, quia surrecti stemus, neruis posterioribus contractis. Nam & uestimenta quædam orthostadia uocabant: quorum in Nerone meminuit Dion. Sicuti quæ traherentur, *συρτά*. Si quid, inquit Albertus, in arteriæ deerrauerit tramitem, nec excuti ualeat, mors consequitur, aut ægritudo chronica, quoniam modo stomachi peruius pulmo non est: ideo quod fuerit delapsum, aut paulatim consumatur, necesse est, aut putrescat. Porro quia huc diuertimus, sciendum, præfocationem omnem ex angustia contingere. Angustiam uero aut repleta intermedia regione fieri, quæ inter thoracem est, atque pulmonem, aut pulmonis cauernis, uel aliqua inflammatione, quæ in uiscere affligat uniuerso, uel in aspera arteria, uel in ea parte quæ est uelut caput eius, quam nominant guttur, quæ inflammatio fieri item in præiacente spatio potest, quod fauces appellant, & laxius est. Quum ergo fauces sine tumore apparuerint, & strangulatio superuenerit, gutturis tantum est affectio huiusmodi. Asperæ quidem arteriæ inflammatio difficultatem spirandi aliquam efficere potest, strangulationem non potest, ob meatus magnitudinem in ipsa latioris, & tunicæ tenuitatem. Impossibile siquidem est, corporis adeo tenuis inflammationem per insignem canaliculæ laxitatem replere. Reliquum igitur est guttur, quod subitâ facere strangulationem potest, quoniam in ipso angustatur pulmonis meatus. Nominant autem medicorum plerique affectionem id genus cynanchen, quibus placet faucium inflammationem synanchen appellare. Vlpianus Digestis de ædilitio edicto, antianchen interpretatur inueteratos faucium tumores, quibus discuti non ualeant, uelut dicitur antianche obluctans oblistensque præfocatio, ni malis palæanchen legere. Sunt qui antiades malint, quod uerbum tonsillas indicat. Porro alij parasynanchen, itemque paracynanchen appellant: Parasynanchen, inquam, ubi partibus quæ superiacent faucibus, inflammatio affligit: paracynanchen autem, ubi extra guttur infestet. Anginæ uero nomine in Præfatione libro uidetur Hippocrates appellare affectiones quaslibet, in faucibus sese ostentantes: quas & spirandi consequitur difficultas. Cæterum anginæ species quatuor comperisse uideor: prima uero est, ubi fauces inflammantur: fauces intelligo locum oris internum, in quo simul coeunt gulæ ac gutturis extremæ partes. Altera, quum neque fauces, nec oris portio ulla, aut quid extimum cernitur inflammatum, suffocationis tamen in gutture

ture sese periculum promit. Tertia, ubi extrinsecus in faucium ambitu ostenditur inflammatio. Ultimo statuitur loco angina, gutturis tum extrema, tum intima pariter afficiens. Est & affectio, quam dicunt *ἀπνοιαν*, idest apnceam, nulla (ut uisus indicat) spiratione facta: quod tamen fieri nequit, aut ea quæ per uniuersum fit corpus, transpiratio sufficere tunc potest. Hanc uero per arterias efficit cor ipsum. Antiadas, de quibus dictum est, ex eruditissimis sunt qui statuunt quatuor, duas parte dextra, sinistra totidem. Imoque ita dici, uelut sine inuicem obiectæ. Nam cur Latini tonsillas appellarint, rationis planè uideri incompetæ. Antiadas finit Paulus, tumores ea parte præduros, ueluti adenes obdurati strumæ sunt. Collum anterius Græci, item *δελφῶ* (ut dictum est) uocant: inde & similitudine quadam in angustum desinens prominentia, supercilium ue dicitur item dire. propterea in Homero polydirada Olympum interpretatur, multas habent exochas, idest eminentes partes. Quare dirades sunt inæqualia loca & aspera. Scribit Aelius Dionysius, Byssauchena, idest *βυσσάχυνα* dici, cui ad collum sint humeri contractiores. Apud Pausaniam eo appellatur uocabulo, qui collum comprimit, sursumque protrudit humeros. Metaphrenum dicunt partem ab collo ad cinctum protensam, aut uerius quod à tergo præcordijs obiectum est. Metaphrenon dici, Theon scribit, quia sit *μετὰ τὴν φρενα*, idest postmentem, cuius in pectore statatur sedes. In auium quibusdam ingluuius est, cutis in amplum sinuata, qua primum cibus continetur ingestus incoctusque. *πρόλαβον* dicunt Græci. Plinius sinum, & in onocrotalis uterum, pappam magnus Albertus. Probolium uero uenatorum est telum, apris accommodum præcipue. Proboli autem in mari sunt petrae. Sunt ex Græcis, qui *κίονα* dici collum interpretentur, quoniam columnæ uicem gerat, dum caput fulcit. Sunt qui *κίονα* gurgulionem, idest *γαργαρίωνα* signare opinentur. Alij partem quæ columella nuncupatur, uel communi loquendi usu *σεφυλή*, idest uua. Dicit autem *κίονα* uolunt, *ἔστ' ὃ κείναι ἔχ' τὸ λιᾶτω μόνος τὸ σωματικὸν μέγεθος τὸ ἐνωίον*: idest, quia ex imo ad summum pertingat stomachum. Decollare uerbum in Iohannis Baptistæ historia, sunt qui parum Latine positum rentur: quum tamen Fenestellæ sententia notione ea comprobet accipi grammaticus Diomedes, etiam si ueteribus dictum legas frequentius. Securi cædere. Alias Ennio decollare, à collo & humeris deponere est. Sicuti Tranquillo succollare, subiecto collo tollere onus. Apud Plautum pro decipere inuenias decollare. Sed & Lucillius ait, Quibus fructibus me decollauit. Murenulam colliaurum nuncupat uulgus, Hieronymo tradente, quod scilicet metallo in uingulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena, contextitur, ex piscis utique imagine uocabulo conformato. Fucas appellat Columella in facie maculas: Tetanothra, idest *τετανωθεα* uocant Græci medicamina cuti leuigandæ ac erugandæ, præsertim in facie. Capitulum Hieronymus uulgo dici ait, uestis partem qua collo inducitur.

Manuum laus præcipua. Scribendi bonum. Dextra cur in fide porrigatur.

Tendines, tōni, dactyli idæi unde. Ambidextrî, & ambilaui ratio: *γυία, γυάλας, κυλλος*. Pygmæi unde: ancon, malschalæ, seu alæ in harundinibus: carpus, carpæa: Carpiæ ciuitates. Brachij partes, & uocabula. Manuum, digitorum partes, ac partium nomina. Chirurgia. Osculandi mos. Spithame, lichas, ulna, thenar, cotyle, condylus, condylion, gronthus, scytalides, phalanges. Brachium calefacere. De Martio, & Claudio. Agrorum nomina diuersa. Xa-naon. Caput III

**Q**uid uero eloquentia uel ingenij claritate maiestatem, quæ ex manibus adest homini, dignè ualeat exsequi? quam aptæ hæc? quamque ad omnem motum nullo labore faciles? Mira est artium numerositas, quam membri huius adiumento condiscimus, & exercemus. Taceo hic pingendi, fingendi, scalpendi, nobile artificium. Quid illa musicorum cuiuscunque modi organorum contrectatio scientissima, & maxime diuina? Quid illa constructio sublimitas, quam elegans, quam scita? Quid urbium structura in omnibus, uel præstantissima? Quid multiplex agrorum cultus, quo tot tantisque ad uitam necessarijs instruimur? Quid illa indumentorum uarietas? Quid ornatus excellentia? His penetramus in uiscera terræ, metallorum inde uim longè pretiosam eruentes. Immo uero & rerum natura agitur in planu, solo tantum non æquatis montibus. Admittuntur maria, repelluntur, certis quoque limitibus, ueluti extra præ-

scriptum proferre pedem uentur, obiectis molibus. Penetramus aquarum ima, natura supellecilem undiq; nobis uendicantes, totq; modis rerum facies mutatur. Camporum dominamur laxitati. Supercilia montium, & uerrucas (ut hoc interim uerbo utamur) quantumuis senticosas nobis obnoxias reddimus: bestias item omnes, terrestres, aquaticas, aereas. Quicquid ferè mundi uastitas complectitur, manuum solertia nostri fit iuris. Quid illa scribendi maiestas, quæ tantarum rerum scientiam nobis comparat, uerustatem propagat, nil finit interire, & quod omnia conterit, tempus nostris cogitur manibus succumbere: quid hoc magnificentius? quid æquè mirandum? id esse homini datum, in quod ne mortis quidem auida rapacitas ius ullum habeat? Quid tot, tantarumq; legum contexta uolumina, quàm demum ciuilioris uitæ præferunt eminentiam? Quid dictorum cōuentorumq; publicis tabulis comprehensa fides aduersus ingeniorum prauitatem? Ausim dicere, seiunctis manibus, fuisse nō inermes modo nos futuros, sed uel brutis infeliciores. Quem enim usum rationis habeat lumē illud diuinum omni ope destitutum? Hinc recte mihi fecisse uidetur, qui rationis ac sapientiæ ministras esse manus pronuntiarunt. Anaxagoras uerò ille antiquior, sicuti ab Aristotele traditum scimus, & in Moralibus ab Plutarcho repetitum, ideo sapientissimum uideri hominem dixit, quia manibus foret instructus. Nā uti ego interpretor, quod caeleste in nobis est, debile, mancum, nulli prorsum rei parte hac orbem erat futurum. Harum multiplex emolumentum, uel tritum Græcis explicat prouerbiū, *τι δὴτι χεῖρες ἐκ αὐτῶν ὄφθαλμοί τε*. Quid enim non efficere ualeant manus? Dextram porrò in fide porrigi, quis uel ex Plinio non nouit? Cuius rei causam Varro Callimachum secutus esse ait, quod omnis ueterum auctoritas dextræ manus uirtute constaret. Propterea, inquit, maiorum hæc fuit salutatio, ut hac potissimum se corporis parte uenerarentur. In Nebulis Aristophanes item ait: *λεῖον μὲν, ἢ τὴν χεῖρα διὸς τὴν δεξιάν*. At interpres, *ἴθι δ' ἔτι πρὸς τὴν στωβήριον βελτίους τὰς δεξιὰς ἀδελόναι ἀλλήλοις*. Videor & super hac re quippiam obseruasse apud Pletionē Rerum Græcarum libro secundo. Id ipsum & Perlis sanctissimum fidei pignus censerit auctor Diodorus est. Quid? quod inter agendum non ut cæteræ partes loquentem adiuuant, sed ipsæ quodammodo loqui uidentur: ijs nimirum, ut Fabius inquit, poscimus, pollicemur, uocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus: gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, tempus ostendimus. Quin in tanta linguarum dissona & uarietate, hic communis quidam gentium cunctarum sermo planè potest uideri. Quid uerò artifex illa digitorum structura, quod nam ingenium admirando non fatigarit? Nescias uenustatis inde maius sit specimen, an emolumentorum amplitudo clarior. Maximus est in numero decor, maximus & in gradibus ac serie. Digitorum contractio facilis est, protensio nō minus ex commissurarum mollitie ac concinnitate. Tendines uocāt nōnulli, qui bus digiti moueantur, haud ab similes his qui toni ab Hippocrate nominantur: orbiculatae namq; sunt, eas *ἀρνηθρόσας*, id est à neruis prodeuntes nuncupant pleriq;. Quam uerò opportuna est in apicibus ad apprehendendum globata caro, forinsecus unguium obuallata firmitate: quorum inibi augmentum insignitius est, Alexandro Aphrodiseo tradente: quoniam illis insitum est in superna deferri. Ad delicias, quin etiam & fastum argutiasq; abijt pars hæc: & qui insolentius fastu tumentes quippiam subseruientibus iniungerent, digitorum crepitu id significabant, quod monstrat quandoque Martialis: & Hieronymus adnotauit non citra sugillationis foeditatē, aduersus eum qui digituli crepitu silentium imperaret. Digitos etiam quibusdam esse in manibus fenos, sed digitorum monstrat appellatio: de quibus item quaritur Digestis de ædilitio edicto, an morbosi credi debeant. Diodorus Bibliothecæ sexto, dactylos putat idæos ob parem digitorum numerum appellatos. At Geographus, idæos dactylos in Ida Cretæ ferrum elaborasse scribit, & ab numero ita nuncupatos, quod repetit Eustathius quoq;. Alij etiam aliter. Manuum porrò emolumentum duplex: alterum est sensus, alterum uerò retentionis. Proinde excogitauit optimus maximusq; rerum perpenfor deus mollissimam palmam, quo sensus fieret solentior exactiorq;. Cutis præterea palmarum, ut auctor Auicēna est, temperatior contigit omni alia cute, excepta tantum ea quæ in digitorum uisitur extremitatibus, præsertimq; indicis. Galenus primo De constitutionibus, manum internam esse

astruit temperaturæ sinceriter mediæ inter extremitates omnes, hoc est inter calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, ueluti ea sit sensilium corporum regula & plane sensus instrumentū homini, animalū sapientissimo. Inde q; pars ea nudata pilis est, ne hirsuties tactus præstantiam oblaederet. Illud uero nec admiratione caret, Viros utraq; manu utentes sæpenumero esse uisos: mulierem uero ambidextram non effici, auctor grauissimus Hippocrates est. Reulit & septimo Naturalis historiæ Plinius. Ratio uero est ex naturæ debilitate: si enim ambabus manibus ob neruorū robur ac musculorum, quidam uiri utuntur: optima ratione, nulla mulier utitur: sed satis abunde q; habeat, si una dextra uel modice utitur. Non omittendum quod produnt Græci interpretes, *ἀρὶ σφῆ δὲ δεικνύει*, que fata sunt, id est *μωροῦ, δεξιὰ δὲ τὰ σωτήρα*, id est prudentia. Chirurgia, quod scitu dignū est, non medicina modo partem indicat, sed & de artibus item pronuntiatur alijs, unde est pictorum *καλὴ χερρορία* apud Anaxandridē, Athenæo referente. Amazōnidas quidem amburare dextrā solitas māmulam, tradit historia: ut in proximā manum plus commens alimentū ualentiam conciliaret ei, quæ etiam per naturam inualida habeatur. Circumdextrum, ut sic nunc mihi dicere permittam, quem Græci amphidexion uocant, Asteropæum Homerus dixit, manu utraq; pariter utentem. Ambidextrum uerò Aristophanes hominem uocat, ambifariam læuum. Ambidextrum etiam nominat Hipponax. Est eius rei mentio apud Herodotum quoq;. Ambidextrum fieri hominem, illa produnt ratione physici, quod affatim sese promat in sinistram latus cordis calor, & hepatis in dextrum: si porrò in ima splen amplius delabatur. Quod uero sinistra utatur aliquis pro dextra, causam præbuerint cor item ac hepar, ubi eorum uiscerum affluentior sese uis in sinistram corruet, dextra parte tantum non destituta. Id uero contingere, ubi in sinistris tam cor quàm hepar situm nanciscantur: aut in dextra collocatum quidem hepar, obductis pannulis crassioribus, ne quid uirtutis in dextrum refundat, præpeditur. Potest & perpeti consuetudine sinistra effici, ut dextra. Gyia Græcis dicuntur manus proprie, *παρὰ τὸ γῶν, τὸ χερῶν*: id est ab excipiendo commoditate. Verum & abusive corporis membra reliqua uocantur gyia: sunt qui de pedibus dici peculiarius interpretentur gyia, *ἀπὸ τῆ γύης*, id est *γῆς*, quæ terra est. Gyalus uero est quadrangulus lapis, & de cubo pronuntiatur. Gyalas Macedonibus poculum est. Cyllos ad manum ita refertur, Hieronymo interprete, sicuti ad pedem *χολός*. Nam cui manuum altera demutilata est, dicitur *κυλλός*. Brachium ossibus constat duobus. Brachij prominens summitas dicitur acromia, aut humeri caput: item epomis, & acrocolia, apud Iulium Pollucem: ubi articulus obfirmatur, entypolis, uel humeri acetabulum, extrinsecus musculi, intus parole. Sinus sub summo brachio, axillæ, apud Græcos *μαχαλαί*, unde ducatur amphima schalos, quo nomine manicatam intelligi uestem uolunt, alijs uero seruillem. Erat item heteromachalos, quo uterentur operæ. Moris fuit ueteribus, ut cognata cæde polluti, interfectorum summas quasq; præsecarent partes, ac insutas sibi circumponentes sub alis ferrent præcipue, opinati hoc modo interemptorū uires contundi, ne quid in reliquum possint obesse: dicebatur uero hoc *μαχαλιθιων*: unde apud Apollonium, *ἕρματε τὸ μὲν θανόντων*, de Iafone & Absyrto. Porrò ubi ossa brachij componuntur, ancon uocatur: quanquam, ut obiter id monstremus, plura signat ancon. Est enim eo nomine detestata nauigantibus Nili pars: unde & per euphemismum quendam, dulcis appellatur cubitus. Est & in foribus pars, quam prothyrida uocant. Aneonas montium summitates intelligunt apud Sophoclem. Erat item eo uocabulo perobscuro Carthaginensibus domicilium, in quod compingebantur quibus iratior factus esset tyrannus. Dicitur item cubitus pygon, id est *πυγῶν*: unde appellari pygmæos, Eustathio credimus. Pygusion certe cubitale intelligimus. Vocatur & pachys, id est *παχύς*, discriminatim ab superiore tamen, ut Herodoto placuit. Ab alijs in idem corruatur. Aduertendum uero quod de brachiorum sinibus est dictum: ab eorum similitudine in harundinibus, & pleriq; alijs geniculos concauos, machalas item à Græcis dici, à Latinis etiam alas. Quæ utiq; caua nunc bina, nunc singularia uisuntur, semper autem interuallata. Brachialia, sunt brachio tum ornamenta, quæ chlidonas itē dicunt Græci. Nam chlidas uocant, delicias & molliciem: unde est Xenophontis illud, *ἐκ γὰρ χλιδῆς περιβάμεθα, ἀλλὰ χωροτικῶς*. Et in Paraliphs Plutarchus ait, *ὀψίτη χλιδῶς βαδίζου*: quod est, deliciose incedere. Sed ad rem. Extrorsus

trorsus prominens olecranon uocatur: unde apud comicos ὀλεκράνιον uerbum. Os minus brachij nos radium appellamus, Græci κεραιδία nuncupant, & parapechyon: maius uero cubitum dicimus, hoc est pechyn, ut docuit Pollux, uocatur & propechyon: finem eius uocant carpum, Plinius uero brachiale, ossibus compactum octo. Cui quod præfacet, appellant pro carpion. Manum mittere in carpum medici dicuntur, Galeno autem chore, ubi arteriæ motiones explorant. Quod si est, ridicule pro uola quidam interpretantur carpum. In sanctis literis ubi legitur modo, Labores manuum tuarum manducabis: nonnulli Græci ambiguitate uerbi in tendiculam illapsi, κεραιδία interpretati fructus sunt, non manus. Quum tamen κεραιδία etiam manus dicatur, quod scribit Hieronymus, Sunt qui carpos, esse cenchramidas ficorum opinentur proprie, ac oliuarum sanctas. Pericarpion uero, circumiectum ijs humidum cum ambeunte corio. κεραιδία δὲ in eos intenditur, qui fructus oblaferint. Metacarpium uero expansa est ante digitos pars. En carpos apud Vitruuium inter Ionicæ columnæ ornamenta legimus. Basi, inquit, spiram supposuerunt pro calceo. Capitulo uolutas, uti capillamēto cōcrispatos cincinnos propendentes dextra & sinistra collocauerunt, & cymatijs & encarpis pro crinibus dispositis frontes ornauerunt. Carpæa uero saltationis species Xenophonti ἡ ἀναβόλασι. Carpias, inquit Menander rhetor, ciuitates dicebant in præripijs fluminum ab Romanis ad Barbarorum impetum reprimendum conditas. Mensura ab magno digito ad minimum spithame nuncupatur. Si pollicem explices, & indicem, litchas nominatur mensuris. Ab olecrano ad extremum medium digitum quod interualli est, cubitum dicas. Si digitos contraxeris, ab ancone ad ipsos dimensio pychon dicitur. Si ambas manus explices à pectore in lineam rectam, ulna. Manus uero portio interior à magno ad indicem digitum uocatur thenar, à quibusdam etiam ir. Sunt qui thenaris nomine spatium ab digitis intelligant ad carpum, ab uerbo θείνω. Apud Pindarum dicitur ararum thenar, id est latitudo, aut cauitas, qua excipiuntur sacrificia: etenim manus concuum à multis nuncupatur thenar, ab θείνω, ut præmonuimus, aut ab θείνω, quo signatur uerberum inculsio. Est & in pedibus thenar. Extrema uero manus pars opisthenar. Quam in dextra, inquit Plinius, auersam osculis appetimus. Catone de prouincia digrediente, Plutarchus scribit, milites manum reuerenter esse osculatos. Quod genus, inquit, honoris imperatoribus modo, id quod perpauca id temporis contributebatur. Qui adorant, ait Hieronymus, manum solent deosculari, & capita submittere: quod se lob beatus elementis, & idolo fecisse negat. Et Hebræi iuxta linguæ suæ proprietatem deosculatorem pro ueneratione ponunt. Seneca, Hos ego deprehendam alienorum seruorum osculantes manum. Relatu non indignum id quoque: Principes Romanos peregre profecturos, & mox urbem repetentes, ita condito more, senatores osculo solitos excipere. Propterea in Nerone Tranquillus: Neque adueniens, neque proficiscens quenquam osculo impartiuit, ac ne salutatione quidem. Quod ab indice ad minimum est spatij, hypothhenar. Quod in meditullio est, thenaris, hypothhenaris, ac pectoris, κεραιδία manus, id est cauitas item appellatur. Alij corylen dixerunt. Digitorum uero partes hæ: Quod prominet in commissura, uocatur condylus: dicitur & eodem uocabulo, percussus eo inflatus: & inde uerbum κωνδύλιον. Sunt qui hoc nomine, pugnum intelligant. Hinc est illud Plutarci in Iunioris Catonis uita, forma prouerbij enuntiatum: Erat, inquit, ei χεῖρες ὁ πικροδαιμονίας, καὶ λόγος ἔχων τὸ κωνδύλιον περὶ χεῖρας. Martianus: Complicatisque in condylis digitis uulnerabat. Hinc & digiti plerumque monocondyli uocantur, aut dicondylj. Pollex monocondylus est: at reliqui, dicondylj. Condylum inueni, qui & gronthum interpretentur. Est condylion Aeginetæ Paulo indicum conchylion. Nam apud eundem, ostrei genus dici inuenias condylon. Conchylj porrò indici testam onyem uocauit idem quoque. Pedum uero digiti omnes monocampiti, id est flexus unius. Qui subsunt articuli, scyralides nuncupantur, uel (sicut Aristophanes) phalanges. Insunt cuique digitorum tres, pollice sequestrato. Condylō interemptum ab Hercule in Oenei conuuiuo, puerum legimus, qui manibus aquam infundebar: quemque Archiam Hellenicus nuncupatum scribit: Eunomium alij, Architelis filium: quo facto, Calydone excessit is, cæde quanquam non uoluntaria. At in secundo Phoronidos, Cheriā fuisse nomen, relatum scio. Therstem quoque condylis ab Achille interemptum, Græci scribunt

bunt, quoniam Penthesileæ ab se interfectæ oculum hasta percussisset. A brachio denique id usurpari prouerbiale potest, ex deserto uiro Philippo natum, qui ad dicendum ita solebat surgere, ut quod primum uerbum prolaturus esset, nesciret. Dicebat tamen, Optime quum brachium concalefecisset, se solere pugnare. Martium imperatorem Romanum in digitis neruos habuisse dicitur, non uenas: tanta uis, ut nullius manus ad scribendam aut impellendam præstantior tradatur. Quippe uenientia carra salutaris obnixus repulit: fortissimum quemque uno sic demum digito afflixit, ut perinde ac claua ferroque ictri torquerentur. Hic est qui ferrarij traditur fabri filius: propterea in concione, Ars mihi obijciatur ferraria, dum me ferrum tractasse suis sentiant cladibus exterae gentes, quæ populum Romanum ferratam gentem putent. Sed & Claudius imperator, non is de quo Suetonius, sed alter, sæpe equis & mulis ictru pugni dentes excussit. Non prætereundum quod est in ueteribus memorijs traditum: Agri certum genus dextratum dici, sicuti sinistratum quoque: nam est subcisiuus ab subsecante linea, ut scribit Agrius Urbicus, dicitur & citratus, sicut ultratus: tetragonus item & tessellatus, cultellatus, normalis, epipedonicus, triumuiralis, solitarius, Syllanus, Neronianus, podismalis, iugarius in quinquagenis iugeribus, meridianus, commutatus ex beneficio. Xanaon affectionem intelligunt muliebrem hyeme inortam, quando summa digitorum partes exlanificij labore uix moueri queunt. Et φαυαῖν eo modo laborare est. Unimanum puerum manus unius dixit Lilius.

Pectoris ratio, & uocabula partium. De costarum numero. De uberibus, & partium nominibus. Rhœ. Thorax. De osse sacro, & sphondylorum meatu. Item costarum uocabula. Quid pleuritis, arthritis, nephritis. Pectus uinciendi mos. Terentij locus explicatur. Cardia, cyamos, chondros, spathæ, plateæ, copia, orrhopygium, coccyx, solen, fistula sacra. Cap. IIII

**P**ectus inter lacertos homini constitutum est, cæteris uero in crurum priorum meditullio, quibus etiam carinatum inest, & uolucris eo amplius, aquaticis autem uel maxime. At in homine laxitas admissa est, brachijs nil prorsum interpellantibus. In brutis coarctatio necessario est infecuta, inter ambulandum protendentibus priora crura, propterea nec eodem loco illis mammae: quas nostri pectoris recipit carnosam latitudinem, quæ cordis foret tegumentum aptius. Costas homini octonas natura distribuit, reliquis aliquanto plures. Auicenna, Galenusque septenis componi ossibus hominis pectus affirmant. Sed iuguli os costis adnumerat Aristoteles. Teniores mollioresque costas Græci φώας uocant. Qua in parte considerati amplius in hoc officio rerum naturæ maiestatem succurrit: pectoris hanc laxam complanationem & utique sublimem, oculisque occurrentium expositam, mirabilem præ se ferre conformationis dignitatem. Aristoteles primo De historijs, & Galenus in Isagogico nomine thoracis partem intelligunt, quæ collo ad pudenda protenditur, & dicitur alio modo holmos: huius superiorem ad iugulos partem uocant Græci στήθερ: unde & intima dicunt entostathidia. Inferiorem uero nominant sternon. Vnde & sternomantis Sophocles dixit quæ dicatur etiam engastrimythos, de qua dictione alibi plura. Sternon autem dicitur etymologici, πλάττω, τὸ στήθερ τὸ πρὸ τοῦ στήθερ, quod hic mentis insit firmitas solidior, quando est inibi cor, καὶ τὸ ζωτικόν, id est uitalis portio: unde sibi uim haurit mens. Verum haud prætereamus partem ista Galeni sententiam ex secundo De morborum interstitijs: Et thoracis, inquit, parietes ab nutricibus plerumque deprauantur, dum ipsos educatione prima nimium arte extrinsecus uinciunt. Maxime uero, inquit, quotidie apud nos fieri hoc intuemur in uirginibus: nam ijs dum student nutrices coxas augere ac latera, ut magnitudine thoracis exuperent, uittis quibusdam totum comprehendunt, ac omnes scapularum partes, & thoracis cohibent uehementius, ac comprimunt. Quo fit, ut quum aliquando non æque omnes intendantur, aut pronum in anteriorem partem reddatur pectus, aut posteriores partes, ad spinam quæ pertinent, gibbæ reddantur. Fit illud quoque, ut uelut perfractum, ac ad latus adductum fiat dorsum, ita ut altera quidem scapularum non aucta, sed parua, & compressa satis appareat. Ex ijs uero pluribus paulo de medici nobilissimi sententia repetitis Terentio in Eunuchō lucem inferri multam, nemo non uidet.

Haud

Haud similis uirgoſt uirginum noſtrarum, quas matres ſtudent  
Demiffis humeris eſſe, uincto pectore, ut graciles ſient.  
Pectus uero ut plurimum portionem oſſibus conſtitutam, communitatimq; accipiunt,  
uulguſ, & Auicennæ interpres caſſum uocant, ab ſpatio (ut opinor) intus uacante, ina-  
niq;. In eo ſingularis item pernoſcitur naturæ prouidentia: quæ non integro oſſe pectus  
communierit, ne uitio partibus illato, in totum graſſaretur mox uis mali. Affuit & laxi-  
tatis ratio, ut expanderetur facilius ad commoda membrorum anhelitus, ut ſenſit Au-  
cenna. Pectoris ſummi medianas portiones uocant ſtathenia. Vbera autem maſtos di-  
cunt. Ex quo & ſupercilia terrarum eodem dicuntur nomine. Tiithia uero mamma ſunt  
muliebres. Quod uberibus ſubeſt, procardion appellatur, in reſſu quodã & cauitate.  
Id molle eſt ac corpulentum, ita dictum, non tam quia præiacet cordi, quam quod ſit ante  
ſtomachi os, quod dicitur Græcis *νεγδία*. Eandem rationem habet hypocardion & an-  
ticardion, quod & ſphage dicitur. Vberum apex papilla uocatur, ſeu thele: de qua ſimi-  
litudine fontium tubuli ab Varrone in Re ruſtica, papillæ uocantur: ſicuti ab Caſſiodo-  
ro, ubera. Nigricans circulus papillam ambiens uocatur *φδς*, id eſt lumen. Prima uero  
lactis ſub eo *πῆſις* nominatur cyamos, id eſt faba. Quæ lac continet portio, colpos, id  
eſt ſinus, aut aſcoma. Vbera decoris gratia uiris contributa, uelut neuulos Damalcenus  
ſcribit. Poſteſt & euaporatio aliqua in iſis intelligi: laxa nanq; inibi caro eſt. Sunt & apum  
ubera Palladio, quæ imitantur pendentes: uuas dicunt aliq;. Super procardion eſt os pe-  
ctoris, ſeu chartilago dicta chondrus, uel xyphoides, à ſimilitudine capitis gladij: ut Ga-  
lenus interpretatur: uocant & malum punicum ex corticis imagine quadam: prominet  
ſuper os ſtomachi, propugnaculi uice. Inter coſtas uero, quæ auctiores, dicunt *γρησῖες*,  
id eſt legitimas: at minores uocantur nothæ. Coſtarum quidem oſſa dicuntur *σπῆλαι*, la-  
tiora uero platæ, anguſtiora autem copia, id eſt *λωπία*. Vbi uero deſinunt ſphondyli, ſa-  
cum dicitur os: à lato incipiens, in anguſtum deſinens, ubi coccyx eſt, qui & ſphondy-  
lion & orthopygium nominatur. Sub coſtis os chete, item ceneon, & zona, quam Ro-  
mani ſaciam. Coſtarum affectio pleuritis eſt, ſicuti articuloꝝ arthritis: & nephritis rhe-  
num. Ligures heptapleuri nominantur in ueterum monumentis, quod ſignificat coſta-  
rum ſeptem. Sphondylorum meatus, qua reſidet medulla, *σάλω* uocatur, id eſt canalis,  
aut aquæ ductus: item *σνείρυξ ἱερῶν*, id eſt ſacra fiſtula.

Ventris partes, & uocabula. Cœliacus morbus. De umbilico, & partium cir-  
cumieſtarum uocabulis. Etron, abdomen, peritonæum, ſyringotoma, echin-  
us, cecryphalus, apocriticus. Strophî dolores. Gangamon, græa. Preſagiū  
ex umbilici nodis. Cholera quid. Ilia, ceneon, lagon, lapara. Qui ſint uerſus  
Procœlij, ſphæcodes, lagari, myuri, acephali, phricocœlium. Cap. v

**A** Pectore coſtis uenter ſubiacet, non cluſilis ob eã uidelicet cauſam, ne aut cibi  
tumorẽ, qui per calorẽ neceſſariõ euenit, aut uteros plenos impediāt. Imum  
uentrem appellat Hippocrates partem uentris imam, quæ umbilicũ ac pu-  
denda interiacet. Ita ut in hæc tria totum epigaſtrium, id eſt locus ſupra uen-  
trem, diuidatur, in hypocondrion, id eſt ilia, & umbilicũ, & imum uentrem. Superiorem  
quoq; uentrem dici ab eodem obſeruauimus, ſedem, quam thorax à pulmone occupa-  
tam circumſcribat, & ambeat. Hypocondrion eſſe ſuper umbilicum, Ariſtoteles ſcribit.  
*κοιλίαν* uocant Græci uentrem: unde cœliacus, in uentriculi porta morbus eſt, ſub quo  
indureſcit uenter, dolorq; eius eſt: & *μονοκοιλία*, uentris unius: uocant & gaſtera, ex quo  
& hypogaſtrium dicitur pars ſub umbilico ad pubem, quam etiam *ἡτρου* nominant: unde  
& etridia fruſta apud Comicos: & abdomen, ac lactes quoq; ut Probus. Etron item  
geniculum in ferula, uel umbilicum dicunt, uel enterionen. Etron etiam hepar uocatur:  
unde eſt *ἡτρεῖς ἡπείου*. Abdominis poſtremum aqualiculus. Abdomen porro ab parte  
exteriore cutem habet euidentiẽ, in troſum membranæ includitur leui: peritonæum di-  
cunt quidam ex Græcis, mendosa in Celfi codicibus diſtione. Meminit poſt alios ſexto  
Therapeutices Galenus: qui & *πεδοπναις* partem nuncupari ſyringotoma ſcribit, id eſt  
*σνευροπῆμα*, in gaſtroraphiæ pragmatia: quam uentris intelligi conſultionem uoluit, ubi  
ſit is uulnere diductus aliquo. Sciendum uero ab Græcorum doctiſſimis proditum, in  
bobus uentrem dici proprie echinum, etiam ſi de ceruo item pronunciarî anima duertit.

Cæterum

Cæterum & triplicem haberi uentrem, tradunt: quorum primus, qui & ſupremus, dica-  
tur cecryphalus, quia cibum occulit: ſequens, echinus eſt, *ἐχίνα* dicitur *ἐκεί τῶν τροφῶν*,  
uel ob aſperitatem: tertium appellant apocriticum. Alij in animalibus, quæ *μυρκαὶ μύρια*  
uocant, uentrem ſtatuunt primum enyſtrum, id eſt *ἔνυτρον*: ſecundum uero echinum:  
tertium autem cecryphalum. Relatu uero non indignum: Strophos dici à Græcis dolo-  
res, quibus circa umbilicum infeſtamur. Sunt autem hi, morbi alicuius perpetuõ uelut  
aſſectæ, ac proſus ſymptomata. Quod ſub uentre eſt, ſtachys item appellatur, id eſt ſpi-  
ca. Mediũ uentris concauum, umbilicus dicitur, & meſomphalion. Ambiens uero locus,  
gangamon: quia ſit ibi neruorũ implexio, ſagenæ modo, quam etiam gangamona nun-  
cupant. Mediana uero umbilici, acromphalia: ſicuti deſuper, epomphalion. Circũiecta  
umbilico cutis, uocatur *χεῖμα*, id eſt anus: quoniam corrugata, ſeneſtutis indicium eſt.  
Umbilicus uero ad hoc naturæ prouidentia factus uidetur, ut per eum ſectus dum eſt in  
utero nutriatur: quod Ariſtoteles ſcribit libro De hiſtorijs nono, & ſecundo De anima-  
lium generatione. Dignum uero ſcitu eſt, quod primo Introducitoriũ Albumaſar ſibi pro-  
dendum putauit, Numerum ſuſcipiendorum deinceps liberorum ab puerpera, peritas  
obſtetrices facile concipere ex nodis ſpatijsq; umbilici eius, qui natus ſit infans: quot  
nanq; nodos obſeruarint, totidem deinceps parituram pronuntiant. Ilia imo uentre po-  
ſita ſunt, inter coxas & pubem, ut inquit Celfus. Græci, ab inanitate uocant ceneona: &  
quod flaccida ſint, etiam lagona, ut ſcribit Athenæus. Ilia certe dicta ex tenuitatis ratio-  
ne, imbecillitatis ue: quando inanis eſt pars ea. Lagonem uulguſ pullatum barbare galo-  
nem uocat: ſicut laparam Homerus. Cholera, id eſt *χολέρα*, inquit Medicinæ tertio Pau-  
lus Aegineta, immodica eſt uentris perturbatio, quum deiectione, tum uomitu, ex cibo  
rum perpeti cruditate, ob ingurgitationis nimietatem, aut humorum redundantem pra-  
uritatem. Cholera pro bile accipi audias paſſim, & ita ſcribit Lampridius: cui tamen co-  
laphum incutium noſtri. Verum & Hieronymus ad Furiam: Amariffimam cholera  
tuæ ſenſere fauces. Quin Matheſeos ſecundo Firmicus: Quicunq; inquit, in genitura  
horofcopo arietem habuerit, ad ignem cholericamq; naturam declinabit. Sed & ab eo-  
dem leo ſignum traditur cholericum. Morbi duplex agnoſcitur genus: nam Hippocra-  
ti eſt quæ ſicca nuncupetur cholera, quæ rationibus quidem comparibus obueniāt, ue-  
rum citra uomitum & alui deiectionem. Cholericam uero cauſationẽ pluribus exſequi-  
tur Celfus: ſed & in Iſagoge non præteriit Galenus. Illud uero impeniſius obſeruandum,  
metaphora honeſtiſſima in Homeri carminibus, cœliacas dici affectiones duas, ſiue *πῆ-  
δος* expreſſius enuntiantum eſt: altera, magnitudine ſit & abundantia, indeq; procoelion  
nũcupatur pathos, ab animalibus quæ protuberanti ſunt uentre: altera ex defectu, id eſt  
eclipſi, cooritur: proinde ſphæcodes appellatur, uel ſphæcoides, tralatione ab ueſpis pro-  
ducta. Dicitur & lagaros, ab inanitate, quam in lagone monſtrauimus: cuius exemplum  
extat Iliados ſexto,

*μή μ' ἀργώσῃς μύριον, ἀλκῆς τε λαθωμαί.*

Quoniã pes quartus iambice trichronus eſt, qui tetrachronus eſſe debuerat per ſpon-  
deum uel dactylum, heroici metri lege. At procoelij exemplum eſt,  
*ὦ ἀχιλλεὺ πηλεὺς ἦε.*

Quippe tertius pes tetraſyllabus eſt, ac proinde tumet tanquam uenter, ac metricam re-  
quirit ſyſtolem. Porro ſunt & uerſus, qui uocantur acephali, ut qui à breui ducant ini-  
tia. Nam myuri in poſtremis peccant ſubſultantq;: in medio delinquit lagarus procoe-  
lius ue. Quod uitioſe cludant, dici uidentur myuri: nam *μύριον*, claudere eſt. Obiter illud  
adiecero: fuiſſe item dialogos nomine Acephalos, ab philoſopho Aefchine concinna-  
tos. Frigus circa uentrem aſſiduum, phricocœlium uocant, id eſt *φρικωκοιλίον*.

Pubes, epifiium, ephæbæum, hebe, phallouitroboli, acylos, orrhon, taurus, pi-  
pinna, lipodermi: peos, ac pæos. Item penis: eius uocabula plura. Fascinum  
cur. Pudendorum Liberi patris cultus. Taurus, & dactylios. Congylia. Ca-  
pros, caprea. De nanis. Nonos quid: & uepene. Onos, onobelus, monobe-  
les, Tentum quid.

Cap. VI

I

Vbi

**V**bi uerò inhorrescunt pili, pubes dicitur, hebe à Græcis atq; epifium, hoc est *επισμύ*: nam ephæum, medicorum tantum est. Hebe tamen plura in Græcorum doctrina signare animaduertitur: quippe pilorum in pudendis succretio prima eo censetur uocabulo: sed & in quo id provenit, locus ac tempus quoq; sic nuncupatur. Prominens autem pudendum, penis, uel coles, ut Celsus: nam & Græce, *καυλός*: à quibusdam etiam, muto. Summa pars uocatur corone, ab Græcis: & quinto Therapeutices, à Galeno balanus: à nobis etiam glans, per similitudinem. Tegumen balani, præputium: à quo, dempro & præfecto Iudei, appellæ dicti. Et uitium, phymosis: ubi glans nudari nequit, & infra cutis incidenda præcipitur usq; ad frenū: de qua remox item paulo. Eius foramen, urethra nuncupatur. Est quidē acylos, seu aculos Homero, glans insignata: uerum & pro pudēdo positum inuenias, ea forsan ratione, quam de balano protulimus. Apud Strabonem libro decimosexto, ex Artemidoro, aliquot apud Arabas & Aethiops recensentur populi *καλοβοί πύς βαλάνος*, idest mutilati glandes. Sunt & in ijs uocabula plura, sed alibi latius. Honor quidem in ijs præfandus erat, quando apud castas aures uix ulla eorum mentio fieri honeste potest: ac in prætextata sæpe incidendum uerba est, nuptaq; tamen quia ordo ipse rerum, & naturæ contemplatio sese nobis ingerebat, tam commentanda nobis sunt uisa, quam necessaria creduntur suggerenda proli, intra hominis ætatem alioqui defecturæ. Nec tamen hæc ipsa dixeris line prouidentia: quippe formas harum partium tales, necessariò ad officium propositum esse debere, quales iam sunt, obscurum nō est. Augetur hoc etiam unum membrum, & minuitur sine ulla morbi mutatione. Quorum alterum utile ad coitum, alterum etiam ad cæteros corporis usus cōmodum est: nam si semper simili modo se haberet, impedimento foret non paruo. quod in priapismo dilucet amplius: id enim est colis accidens, sicut gonorrhœa, instrumentorum seminis affectio est. Dicitur enim sic seminis assidua excretio, cole haudquaquam extenso. Priapismus uerò, quum coles & longitudine & latitudine totus augetur, nullo stimulatē ad libidinem aut desiderio aut acquisito calore. Cōstat porò eiusmodi partibus, ut eorum quæ diximus, utriq; possit euenire, partim siquidem neruum habet, partim chartilaginem: itaq; & contrahi potest, & extendi, atq; etiam flatus capax est. Verum tamen ubi hæc in re neruum dicimus, non eiusmodi intelligi debet neruus, qui sic dicatur proprie, quales ex cerebro & dorsi profluunt medulla: quum quia nerui illi non adeo insigni cavitare sunt, quam membro huic necessarium est, tum etiam quia nimium habent sensus: nam quum extumesceret pars ea, non cōtingeret citra præsignem dolorem. Neq; item cuiusmodi in colligationibus, quoniam duricies nimia officeret, neq; in musculis, ob molliciem & soliditatem. Quæ si quis dignè perpendat, miretur necesse est, singularem opificis sapientiam. Etiam si Paternianos scio hereticos, ab Paterno quodam nuncupatos tradidisse, inferiores corporis partes ab Antitheo cōformatas compactasq;. Quod si uenas, arterias, neruos ad eam corruatos partem ad disquisitionem amplius reuocaris, longè magis auctor fiet mirus. Arterias certè in cole à lingua maiores existere, quam in cæteris membris, docuit medicus nobilis Galenus in libello qui est De motibus liquidis. Proinde Auicenna quoq; particulam hanc componi ex membris uenosis prodidit. Porò adnotarunt periti rerum, tres esse in cole meatus: urinæ: ac spermatis, qui duplex dicitur: item meatus, quo profluit humiditas quædam semine tenuior, aut in meditullio seminis, & aquosi sudoris, Alberto auctore. Hæc uerò tunc prorumpit, ubi lasciuius puellam attractarimus. Cæterum hosce meatus facile uisum effugere contendunt. Immoq; in dissectionibus, quas uocant anatomas, nō deprehendi. Ex quibus omnibus id colligi deniq; potest, partem hanc uenis, arterijs, meatibus ex toto factam cavitatibus peruiam: ut sequax loci natura faciliorem se erectioni præberet: quæ citissima est, spiritu, uento, uapore inanitatibus oppletis. Hæc enim est naturæ intentio prior in membri huius constitutione, sicuti Auerrois quoq; testatur. Sequens uerò, ut sit meatus, quo superfluitas egeratur aquosa, idest potus effluat retrimentata. Sed & illud dignum omnino relatu est: Excogitasse naturā, ut coles detumescens resiliat in uentrē, ne prorsum frigore debilitaretur. Quo argumēto, rigoribus nimijs per-euntes, genitalia tum uestibus, tum manibus confouere deprehenduntur: in ea nanq; parte primus sit sensus frigoris mortificatis, ut uerbo medicis utar pertrito. Pudenda in ma-  
ribus

ribus etiam, ut est ab Hieronymo adnotatum, *φύση* Græci uocant, Latini uerò naturam. Phallouitrobolos in imperatorum gestis rebus, legisse me, sum memor, eos intelligunt uitreos priapos. Struthionem item ab passeris salacitate, dici uirile membrum, scribit Pomponius Festus. Nam est item struthion, potorium uas. Sunt qui membrum hoc item fascinum appellant: ut in carmine obsceno & apud Horatium, Minus ue languet fascinum.

Vbi Porphyrio, fascinum pro uirili parte posuit: quoniam fascinandis rebus hæc membri deformitas apponi solet. Sed aduertant quæso eruditi, an uerior ex historia eliciratio possit. Lectum siquidem apud Varronem est, in Italiae compitis Liberi patris sacra solita celebrari tanta turpitudinis licentia, ut in eius honorem uirilia colerentur pudenda, palam exultante nequitia. Nam Liberi membrum per dies festos magna celebritate plostellis per agros prius, mox & in Urbem uectabatur. Lauiiij integer mensis Libero dicabatur. Quibus diebus unusquisq; spurcissimis abutebatur uerbis, donec per forum id transueheretur membrum. Cui inspectantibus omnibus, matrem familias honestissimam, coronam necesse erat imponere. Sic deus is propitiabatur ad seminum euentus, sic ab agris fascinatio aueruncabatur. Vnde opinor, turpi membro impositum nomen, ab eo quod præstabat. Appellabatur & uerpa: ut apud Catullum,

Nihilominore uerpa Farti estis.

Nam uerpos dicunt Iudæos, ex illo Satyrico,

Quæstum ad fontem solos deducere Verpos.

Sunt qui eodem nomine infamem intelligant digitum. Martialis de mentula:

Incipit in medios meiere uerpa pedes.

Quum uerò genitalia mutilare ab Adriano uetarentur Iudæi, uelut pro laribus & focis in bellum exarserunt. Dicitur & capros. Capræ uerò sunt in natura cameli, prominentes carnes. Orrhon & taurum, ut scribit Ammonius, eam uocant portionem, quæ testiculos interiaceret: quam in auibus orrhopygium uocant, non orthopygion, ut imperitiores: unde orrhodiam, pro formidine interpretantur, quoniam in timore bruta eam obtegāt partem, inserta cruribus cauda. Hinc *ὀρροπυγιστικόν* melanurum uocant. Dicitur id item perinæon & tramis, desinitq; in sedem quam dactylion dicunt. Quanquam Hippocrati sunt dactylis, quibus in medendi ratione utimur, passilli, orbiculie: nam globos pusillos, Galeno interprete, ac pilulas seu catapotia congyliorum appellatione intellexit idem: quod à nostris scienter est obseruatum. Peos apud Aristophanem uertrum indicat: quod si per *οι* scribatur uerbum id, idest *πεις*, tunc signatur triticum: hinc *πιοδωγόν*, est spicilegium facere. Sunt qui *πύων* scribant, quo nomine annum quoque intelligunt. Ab tauro apud Tragicos formatur *αταυροτος* ataurotos pro uirgine, quasi sine tauro. Tauros pro pincernis accipiebant Ephesii. Theophrastus putat nanos dici, quibus uirile membrum sit prægrande. Nanum inuenio apud Lycophronem dici Vlyssēm: sed Nonon pronuntiant Tyrreni, uocabulo errone significante, idest *ὄν πλανήτιον*. Scribunt alij, Vlyssēm uel prius solitum dici Nanum. In tractatu hoc obseruanda item Lampridio prodita in Commodio Cæsare: Habuit, inquit, in delicijs homines nominibus uerendorum utriusq; sexus appellatos, quos libentius suis oculis applicabat, Habuit & hominem cuius prominebat penis ultra modum animalium, quem onon appellabat, idest asinum, sibi charissimum, quem & ditauit, & sacerdotio Herculis rustici præposuit: Hinc etiam onobelos dici coniectant: sunt autem hi, qui uiriliores uidentur, ut in Hellogabalo sentit Lampridius, uelut asini telum præferentes. Obseruatum apud Græcos est, præputia scitè admodum epagogia nuncupari, opinor, quia uti fuerit collibitum, inducatur, retroq; agantur. Sunt tamen qui monobeles dici mutoniatos malint. Dignum relatu illud quoq; tentum pro uirili positum membro apud Catullum:

Grandia te medij tenta uorare uiri.

Tentaq; rumpit.

Ve penem apud Martialem accipimus pro parua mentula:

Drauci nata sui uocat uepenem,

Collatus cui gallus est priapus.

Quanquam interpres pipinnam legit, notione eadem, quia pipare sit minorum pullo-

rum: unde & pipillare apud Catullum de passere:

Ad solam dominam usq; pipillabat.

Αειποδίσμους, Græci intelligunt, quos Latinis apellas dicere, moris est receptissimi.

Testium ratio præstantissima. Membra dominantia quæ sint. Didymus panniculus. Muliebrium pudendorum partes, ac uocabula. Sacandrus, lanuui- ni, clitorini. Pessus, & pessulus. Porta, & hostium, pro genitali. Dupondius. Locus ex proœmio Digestorum restituitur. Item Propertius explicatur. Cremasteres. Lytæ qui dicantur, & prolytæ. Dipondium. Chlunem entomiam quid uocent Græci. Monij sues qui: item mellina, uidulus, uidularia, mesosce- los, apocopi, cochone, detestatio, cremor, cremium, superamenta, crimnon, Crimnodes urinæ. Monolita. Heliogabali historia. Phimosi, periphimosi. Lumbi, & umbilici, pro genitalibus.

Cap. VII

**V**bi sunt porro genitali membro testes, de quibus sententiam Aristotelis alibi hisce commentatiunculis fortè inseremus. Interim medicorum uestigia inse- cuti flores modo rerum inde præcerpemus. Inter illorū uero placita est, quan- tum ex Auicenna & illius consequimur interprete, non solum in ijs esse ge- nerationis adiumentum, sed principatum ac necessitatem summam: adnumerant siqui- dem membris principalibus sublimibusq; ac dominantibus & in corpus totum influen- tibus. Ea uero esse quatuor omnino, deprehensum ab scientissimis est: cerebrum, cor, he- par, testiculos. Hisce uero tantum dignitatis attribuit Galenus, ut conseruatione speciei dixerit esse nobiliores membris omnibus ad id ipsum destinatis, quum quia caliditatem acrobur suggerunt animalibus, tum quoniam prolem sufficiunt. Conspicua est, inquit primo De spermate, cōmutatio, quam subtractis testibus contingere animali deprehen- dimus. Id enim reddi frigidius, certum est. Flaccescit quoq; robur, non secus ac senescen- tibus: uenæ coarctantur, sanguinis flos hebescit, minuuntur & arteriæ, pulsus relangue- scit. Ad hæc glabreta corpore sunt toto, Venereorum restinguitur appetentia. Quan- quam exectum sacerdotem etiam coisse, scribit Albertus, ac genitalem profudisse uri- nam, sicut taurum Aristoteles. Et Varro: Admirandum (inquit) accepit, exemptis testi- culis, si statim uaccas admiseris, concipere. Confirmat Columella, ratione non omiffa: necnon Palladius: sed sanguinis fluore uitulum interire opinatur, etiā si generet certissi- me. Inde colligit idem auctor Galenus, esse testes bene uiuendi principium: cor autem, uiuendi solum. Bene uiuere autem, præstantius longe est quam uiuere solum: id uero te- stibus præstatur: ergo & pars ea censerit præstantior debet, quā optimus maximus deus produxit, ut possit concipi semen uirtute corpulentia testium: sicuti docuit item Auicenna. Id enim ad custodiam generis necessarium, dant quippe spermatis formam, qua ipsum est id quod est, per quam meretur ut sit uehiculum uirtutum, immutantis & infor- mantis, decisarum à toto corpore. Est præterea, uti attigimus iam, principatus eorum in redundantia uirilīs cutiusdam uigoris, qui ab illis in membra corruatur. Hæc uero testi- culorum necessitas in ijs tantum quæ perfecta sunt, absoluta intelligitur: neq; enim om- nibus adiuncti animalibus sunt. Sed quo amplius excellentiusq; in se rationale animal, cuius causa hæc nimis diu fortasse mullitamus, mox in publicam abitura materiam, di- uinæ bonitatis exuberantiam recognoscat: attendant, quæso, harum obseruationum stu- diosi, quid auctor non incelebris Auenzoar, quem sequi quandoq; pigritū non est, quum pleraq; indidem opera minime inani liceat expiscari, prodehndum super re ista censue- rit. Testes ambo, inquit, inter præcipua recensendi membra sunt, magna eorum uirtus, nec occulta: etenim prætenuem in eunucho uocem audimus, malos agnoscimus mores: sunt porro imberbes, rationis item pessimæ, nec ferè inuentus est exfectus aliquis bonæ legis aut intellectus non diminuti. Sed cur nam ea portione resecta hebetatur calor: an quia seminaria superfluitas retinetur: an quia non fit tanta spirituum generatio, ut prius, deficiente iam sine, ob quem generabantur congregabanturq; ad testiculos? An etiam absentia genitalis spiritus, effectu ad generationem concurrentis? Verum recalescunt item membra ob testes quodam caloris repercussu: argumēto id esse aiunt, animalia non exfecta pluribus moueri motibus: motus autem calorem excitat, & auget, quem hebe- scere cogat quies. Inuenio apud auctores, esse panniculum quendam qui dicatur didy- mus

mus, quicq; duplici contineat testiculos sinu, & mutuos eorum contactus dispescat: idq; maxima naturæ solertia, ne si (ut assolet) oblædatur unus, in alterum quoq; transeat ui- tium. Quidam seminaria uasa eo nomine intelligere maluerunt. Galenus in libello Isago- gico, didymos testes uocat: unde illud est in Græcis relatum monumentis, Didymon tibicen in adulterio deprehensus ex τὸ ὄνοματ' ἐκρημάθη, ex nomine suspensus est: quod signat, ex τῷ διδύμῳ, idest ex testibus. Alachis uero Longobardus aduersus regem su- um Cunipertum bello conflato, iurauit, Si postridie uictoriam adnuisset deus, puteum unum se clericorum testiculis oppleturum. Cæterum uoto frustratus impietati satisfac- cit. Hos Auicenna similitudine quadam etiam oua nuncupare solet. Dicuntur & co- lei ab eruditīs, atque item lanuuii & cliternini: ut est in Ciceronis epistola ad Pætum. apud quem tamen arriserit magis, si clitorinos legas, potius quam cliterninos: dictione ab Græcis producta, apud quos clitorium est muliebri pudendum, quod & sacandrus dicitur: unde & λιτοειδής, turpiter membrum id atrectare significat. Pollux per u scribere mauult, ubi ait libro secundo Onomastici, Totum in uirginali, siue interfœmi- neo uocatur λυτός, idest pecten, aut epision. Rima uero dicitur schisma, quod arcum il- latenus quandoq; est, ut mulier fieri nequeat: sicuti commemorat Vipianus. Quæ inter- iacet subfultans caruncula, nympa nuncupatur, aut myrton, siue epideris, aut ληθεις, idest clitoris. Est & ληρωειος, hoc est clitorium, apud illos: sed id uerbum quandoque mensam indicat regiā, quandoq; etiam gloriā. Iam opinor restitutus est candori suo M. Tullius: apud quem cuiusmodi interpretamenta hæcenus sint excogitata, neminem arbitror paulò humaniorem, & à Musis freto non ita magno disiunctum latere. De la- nuuijs autem, seu lanuuiinis, arbitror Propertium intellexisse quadam ultimi libri Ele- gia, his uersiculis:

Cantabant furdo, nudabant pectora cæco,

Lanuuij ad portas, heu mihi, solus eram.

Significat poeta se inter subblandientes meretriculas iacuisse ita, ut Veneria obire nus- quam eualuerit, quamuis scortilla cantillarent, quāuis ad prolectandam concubitus ap- petentiam, & libidinis pruritus papillas retegerent, quāuis & ipse inscenderet, ac iam mutonem & coleos genitalibus admoueret, quæ poeta festiue portas dixit: nihilo mi- nus potuisse nihil, & iacuisse perinde ac solum. Nam muliebria naturalia nunc portam, nunc hostium dici, indicant pleraq;: quando ueteribus traditum sapientibus est, Portam ingredi nefas, qua exieris. Et Terentianus ille adolescens, pessulum hostio obdidit, non fores occludēs, sed quod acutè solertia excogitatum est, genitalibus immissum mu- tonem præmonstrans: quoniam sunt medicis pelli, auctore Celso qui sceminarum natu- ralibus subiiciuntur, siue lana, siue aliud quiduis teres sit, digiti forma, quo medica- menta (ut Paulus inquit) contineantur. Allusum autem puto, ad Grecum uerbum μισγεία, quod misceri signat, id est coire: etiam apud Paulum Aeginetā libro primo. Vnde Vir- gilius, Mixta deo mulier. Id & apud Homerum uel frequentissimum. Hoc quia non ui- derunt interpretes, imagine quadam oculorum per interualla media paulò productio- ra caligantium, censuerunt eam elegiam præcedenti adnectendā, in qua de lanuuiio fit mentio, contra fidem ueterum codicum: in quibus, quod nec inficiatur interpretes, dis- parantur, se iunctimq; leguntur. Sed hæc quidem dictaueram adolescens: nunc forsan aliud sequar. Sicut fuit quando apud Senecam Diuisionum sexto, dupondios dici testi- culos, sim opinatus, ueluti bilibres: propter illud Satyrici poetæ,

Ergo expectatos, & iustos crescere primum

Testiculos, postquam coeperunt esse bilibres,

Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.

Nunc animaduerto, dupondios ibi capturam & quæsticulum diobolarium meretricum significare. Dupondius, inquit Priscianus, à duobus ponderibus: quod unum pondus, assipondium dicebatur, quod as erat libræ pondus. Verba Senecæ sunt ex Controuer- sia de lenone, qui decem iuuenes denuntiarat, ut in lupanar accederent, & foueam ig- ne repletam terra superiecta obruit, in qua adolescentibus consumptis, accusatur rei- publicæ læsæ. Ita ne peribunt, inquit, decem iuuenes propter dupondios tuos? Omnino dupondius minutum quid nobis indicat. Seneca ad Lucilium: Tunc, mihi crede, Lucilli

1 3 exultabis

exultabis, dupondio satur, & intelliges, ad saturitatem non opus esse fortuna. Hieronymus quoque eleganter: Quis te, inquit, dupondio supputabat? Et Cicero pro Quintio: Si dupondius tuus ageretur Sex. Neui, si in paruula re captionis aliquid uererere, non statim ad Aquilium, aut ad eorum aliquem qui consuluntur, concurrisses; Etiam si sunt, qui ista non uidentes, de prædijs tuis legere malint. Hinc arbitrator factum, ut olim studiosi scientiæ iuris, primo anno dicerentur dupondij, friuolo ac ridiculo cognomine: sicuti quarto anno dicebantur lytæ, quinto autem prolytæ: quod emensi iam scientiæ anfractus, tantum non ex difficultatibus se absoluisent, exinuassentque. Hanc uero scripturam præter Politiani sententiam ex priore nostra æditione mutuatus quidam, uti alia innumera, in suos regessit libellos, auctore dissimulato, quod plagiarium est. Dupondium apud Columellam duorum pedum est mensura, etiam si alicubi dupondij item legimus. Sed redeo, unde in hæc diuertit. Relatu dignum est, quod Arrianus Iureconsultus scribit Digestis de re militari: Syllam & Cottam uno tantum fuisse testiculo insignis: auctor item Vlpianus est Digestis de ædilitio edicto: Sanum uideri, qui unum testiculū habeat, quoniam possit generare. Testiculi simile quiddam medullis habent, nam sanguinem non emittunt, & omni sensu carent. Dolent autem, inquit Celsus, in ictibus & inflammationibus tunicæ, quibus hi continentur. Dependunt uero ab inguinibus per singulos nervos, qui cremasteres dicuntur Græco uerbo: at cremor Latinum est, Græce namque crim non dici uidetur, etiam si qui tradunt, haud asseuerate comprobent. Vtiq; Galeno interprete, Crimnodeas nuncupauit urinas Hippocrates crassamento densiores, quando accipitur pro succo crimnon, cremorue. Sunt qui eo nomine lac intelligant ex grano expressum, ubi amplius aqua immaduerit. Apud Iureconsultos Digestorum trigelimosocundo, aduertimus ligni appellatione cremia contineri, & superamenta materiarum, etiam si legitur gremia quoque. Cremia, inquit Columella, uocant rustici tenuia ligna. De testatione, nouator opifexque uerborum Apuleius uocat testium abscissionem. Sciendum uero in hoc genus pragmatia, chlunem dici ab Græcis χυλιον, id est exsectum, eunuchumque aprum. Id quod Aeschylī doctrina cōprobat, atque item Aeliani in libro De prouidentia. Sed meminit Aristoteles quoque. Fiunt uero eunuchi attritis arbori, aut saxo testiculis, infestante usque ad affectionem pruritu. Sunt qui chlunem dici suem putent libere in agris pascentem, uelut χλωμων, id est in herbis sceno ue dormientem. Alij magnitudine uisenda chlunem accipiunt. Aristophanes grammaticus in libro De ætatum nomenclatura: Sunt ex suis, inquit, qui dicuntur monij, quibus similis forsan fuerit, quem uocant chlunem, scuitia, & uiribus. Sunt ex eruditis, qui illud ex Truculento Plauti, Chlunum pecus, hinc putent chlunium legi oportere. Monium sunt, qui monolycon interpretentur. Alij suem ferum, qui cum alijs minime aggregetur. Cyrillus in Oseam prophetam, asinum eo nomine intelligit. Thomas Magister in Atticis elegantijs, chlunem ac monion & chauliodonta esse putat poeticas uoces. Alexandrū Macedona Demosthenes monolycon appellabat, uti scribit Plutarchus: Iupum modo interpret reddidit. Monolia scriptoribus haud ita ueteribus, ac perinde non Latinis admodum, pro monilibus uidentur accipi. Sed hæc Græci monia item uocant. Cynomorion appellarunt orobanchen herbam, de canini genitalis imagine. Apocopi, ab Iulio Materno uocantur exsecti. Cochone dicitur pars infra pudenda, quæ coxis interiacet. Viuntur municipes mei in coitus significatione uerbo eiusmodi. Græcorum communi lingua uocatur μεσοσκιλον, quia sit inter crura medius locus, quæ uocant σκιλον. Obiter uero, & tanquam superpondium adijciatur illud: Operimentum pudendorum dici quandoque melinam, quandoque uero etiam uidulum: unde & uetus Plauti fabula Vidulariæ titulo circumlata olim est: sed & nummariam thecam signat uidulus. Verum ab hoc genus prætextata pragmatia resiliendum protinus, ne in nobile argumentum obrepserit Milefia credi possint. Nisi quod illa præterisse nequeo: Principem Helioabalum, ingenij hominem portetiosissimi, medicos ingenti allectasse pretio, uti in muliebrem ipsum naturam conformarent, sectione pudendo sexus illius expresso. Phimosin, id est φimosιν Græci uocant, ubi præputio sic obtegatur glans, ut renudari non queat. Quod si deducatur præputium, ita ut reduci denuo minime possit, periphimosin dicunt. Est uero Græcis phimos priuatim peræ, aut sacculi obligatio, quum funiculo necitur os. Lumbos, & umbilicum

licum accipit Hieronymus pro uiri mulierisque genitalibus: ubi de diabolo sic pronuntiat Iob, Virtus eius in lumbis, & potestas eius in umbilico. In Ezechiele item legimus de Hierusalem: Non est præcisus umbilicus tuus. Babylonem Assyriamque reliquam tributū nomine Perfarum regibus exsectos pueros, id est εκθιμας, numero quingentos per soluisse, prodit Herodotus.

Nates, apogloti, glutos, ephedrana, pyga. Hypolispa quid: item lispa, lispi. Cur Athenienses Depyges. Thesei petra. Virgilij locus. Cur cadantur nates potissimum. Callipygos, catapygo, pygostolus, anorrhopygia, urrhopygium. Syracusanarum puellarum historia. Venus callipygos cur. Pygargi notiones aliquot. Melampygos, leucopygos. Cap. VIII

**N** postrema thoracis parte retrorsum nates sunt, a quibus nec abest admiratio, quando non sine prouidentia homini tantum sunt hæc, & quidem cōglobata decentissime, ac sedendi munis peraccommoda, solidiore tamē quam in cæteris membris, carne, ne premere corporis mole, ossibus cederet. Quadrupes stare diu infatigatis uiribus possunt, quoniam quasi iacere uidentur, quum quaternis innitantur sulturis: at homines non facile surrecto corpore stantes perseverant, sed requiem subinde requirunt. Porro quia caruit rationale animal cauda: quæ partem eam, qua reddi ciborum onera saluberrimum est, obtegit obducaturque: ideo artifex creatoris sapientia carnosas etiam esse uoluit nates, ut extumescens idem implerent munus. Quibusdam tamen tum natura tum laboris genere attenuantur adeo partes hæc, ut inde apud Græcos cognomina inuenerint: nam εκγλωτοι dicuntur, quia glutos signet ischia, id est coxarum uertebrae apud Homerum Iliados quinto. Sed & prominentia in istis locis eodem censentur nomine, quæ & ephedrana dicantur ab sedendi usu. Sunt qui sic statuunt, ischia dici, quæ utraq; ex parte ilibus subiacent ossa, quibus incumbat quod sacrum uocatur. Ischijs porro inesse cauitates, quibus coxarum insinuentur capita: nuncupari autem caua id genus gluta, & cotylas. Scribit Eustathius gluton signare sphaeroma cotyles in coxa. Pygas & gluton pro eodem a quibusdam accipi, prodidit Rufus, inde ab mollicie impositum nomen, hoc est ab γλωτος. Vocantur & hypolispa, quia eo nomine dicta sunt attrita & usu depolita deminutaque. Vnde lispa etiam lingua: & astragalus in medio pertusi, lispi. Athenienses præcipue comicis salibus ex hoc asperguntur, quod nautici magna pars quum essent, ob sedendi assiduitatem depyges reddebantur. Additur & fabella: Theseum cum Perithoo inferos petentem, in petra quadam Proserpinæ imperio coactum sedere: a qua quum ab Hercule auelleretur, affixas petrae natiuum partes reliquisset: quam obrem honoris eius ergo, cæteris item Atheniensibus hæc cognomentum. Ad eam uero petram alluisse credi Virgilius potest: ubi Aeneidos sexto ait: Sedet, æternumque sedebit Infelix Theseus.

Cædi pueros parte hac, ideo receptum aiunt, quod sint nates sensus obtusi ob cutis crassitudinem, cui insit callosum quiddam, & solidius duriusque, quam reliquo corpore, præsertim superno. Tradunt peritissimi artis medicæ, tantam esse natibus cum toto affinitatem, ut in illis scarificatio facta dicatur phlebotomia uicaria. Nates quidem Græci pyge uocabulo significant, ut dictum est, magno errore grammatici cuiusdam, scrotum, siue (ut ipse ait) byrsam testiculorum eo nomine accipientis. Probat id uoces inde productæ: nam & callipygos ab natium uocatur pulchritudine, & catapygon scortillum signat, sicut & pygostolus, & Athenienses digitum in manibus medium catapygona dicunt. Anorrhopygia uocatur, quæ inter uolandum nullo reguntur caudæ gubernaculo. Vrrhopygium, seu orrhopygium, inquit in libro De communi animalium gressu Aristoteles, perinde uolucris ad dirigendos uolatus affigitur, ut nauigijs gubernacula. Hinc apud Syracusanos, puellas quasdam ex partis eius insigni specie callipygos nuncupatas, scribit etiam Cercidas iambicus poeta, *ὡς καλλιπύγων ἰδίῳ ἢ συραπούσαις.*

Fuere autem sorores duæ in agris educatae, pulchritudinis uisendæ. Has sapius inter se disceptantes de natium præstantia, demum iudicio adolescentis urbani rem permisisse, tenet fama: qui utraq; inspecta, gradiori natu calculum adiecit, moxque eandem sibi uxorem allegit, fratre etiamnum alteram gratè excipiente, quo ex factis Veneri templum substructum, quam dixere Callipygon. Pygargum esse aquilæ speciem, sciunt omnes: inde

Græcis rapacem quoq; indicat uox ea. Sed & in Venerea procliuor sic item dicitur, ueluti cui minime sit pyga ociosa: nam *αργυ* uocant Græci cessantem. Quin & timidum recte pygargum dixeris, quod albicans ei sit pyga: cui diuersum est proverbium, Melampygo necdū occurristi. Hic enim uti Hercules, robore intelligitur insignis: proinde leucopygi imbellia infames cōcipi ferē ualent. Melampygos lapis in Thermopylarū monte legitur apud Herodotum historia septima, ubi desinit Anopæa uia, qua grassantes Persæ pylas occuparunt, Epialte duce.

Ani ratio & uocabula. Sphincter, phicteris, stephanus, dactylus, archus, archoliparos, anischia, lispī, hedra, sedes, coryphe, chiliarchus, archontes, cimeliarchus, cimelia, arceuthus. Anarchias annus. Sedis procidentia. Exomphali. Hedrica uitia. Peritonæum, polemarchus.

Cap. IX

**R**orus uero excrementis addictus, quem Latini tum podicem tum anum uocare cōsueuerunt, ab Arabibus phicteris nominatur, forte quia Græci *σφινκτηρ* nuncupant, ab arcendo constringendoq; ut docuit Galenus. Id uero Græcum indicat uerbum *σφινξ*. Appellant item stephanum & dactylum, id est anulum, atq; item hedram: unde & Plinius, sedem. In eam decumbens os, uocatur coryphe, id est apex. Porus hic cutis ratione frigidus est ac siccus, quo nomine illi maxime infestum frigus est, sicuti etiam pudendis & uesicæ ac uulua, ut auctor Hippocrates est: siquidem neruosus plurimum est, & ideo resistere obnititq; minus potest. In imo positus est ingeniose, quoniam nutu suo excrementitia, grauisq; materia illuc feratur. Proinde Auicenna finit, esse anum semitam quandam & callem feculentia crassioris, & humorum malorum, qui illam cōsestantur. Inuenio etiam archum dici, unde lepidus propositio in quendam, qui appellabatur chiliarchus: nam & princeps nominatur archus ex quo archoliparos, qui cōsequendæ dignitatis causa prehensat omnes. Nam archontes summierāt, ut inquit Pollio Treuelli, Atheniensium magistratus, dicitur Latine principes ualent. Sed & pro magistratu simpliciter interpretatur Priscianus. Archōta fuisse Athenis Adrianum, scribit Spartianus: & Galienum Pollio. Cimeliarchum uero Iustini principis peculiare uerbum est: eo signari animaduertitur rerum pretiosarum augustinus conditorium: quando *κεμάλια* Græcis thesauri sunt, & sepositæ opes. Sunt qui cimeliarcham interpretentur sacrorum uasorum, quæ diuino destinantur cultui, custodem. Cimelia ecclesiarum nominantur Paulo Diacono libro ultimo. Arceuthus autem cedri fructus est, uerum & arbor ipsa sic dicitur quandoq;. Sunt qui eo nomine plantam accipiunt spinosam, cuius odorem auersentur reptilia legimus in Græca historia dici annum Athenis: quo impositi sunt tyranni triginta. Nam etiam si tunc princeps foret Pythodorus, quia tamen oligarchia tempestate fuerat electus, nominare non sustinent. Polemarchi, inquit Polybius, claudendarum portarum urbis curam habebant, ac noctu clauas seruabant, interdū ad portarum custodiam commorabantur. Sed ad institutum. Porro procidit anus, sicut & uulua, sedis procidentiam dicimus, uel sedem conuersam, quam stypticis repercutere officina solent. Anischia, siue lispā, ut significauimus, dici inuenio, quæ clunium tumore uacant, cuiusmodi aues sunt. Meatus porro hic quibusdam coaluit bestijs, quas Græci *ἀνθρώπους* uocant. Nam & uaccam fuisse Perinthi accepimus, cui cibi excrementum extenuatum per uesicam trāsmittebatur, dissectusq; anus denuo coalescebat prope, nec resacando euinci poterit uitium. Puerum eiusmodi natum in patria mea Ioāni Lodouico Stello uidimus, qui dissecta parte obducta, etiamnum superstes est. Illud nec omiserim parte ista, in Galeni obseruatum libris, piscatori cuidam inter piscandum usu uenisse, ut sedi ac uesicæ incumbētia tāto corripentur frigore, ut eo quamuis obnitente, simul alui, simul uesicæ effluerent retrimentitq; fordes: sed mox calidis remedijs mature musculis refectis, qui fuerāt oblati, in integrum est restitutus. Sunt qui monumentis prodāt, ab excellenti excretionis nisu, præcurrente insigni dolore, lapides callosos à quibusdā deiectos, ijs qui in uesica succrescunt, haud ita absimiles. Id ego, inquit Galenus, nec uidi, nec alium qui uiderit, audire cōtigit. Postremo *ἐδελκὰ ἐλαγ* dicuntur Aeginetæ Paulo, quæ sedi adnascuntur: *ἀδυσία*, quæ pudendis. Sedis procidentiam, de qua dictum est, in Plinij Medicina legimus quandoque; sicuti & locorum muliebriū procidentia dicitur quoq;, quum ad naturalia & eorum ho-

stium

stium delapsa uexant mirifice. Apud Græcos, *ὀσφίλιος* *πρόσθιος* dicunt; legimus & exomphalos uocari procidentes umbilicos. Quod pluribus de causis malum obtingit, una est, ubi membrana perrumpitur interior, quæ interaneis obtenta peritonæum appellatur.

Testiculi muliebres quam habeant rationem. An cōferat mulier semē ad generationem. Semen quid. De menstruis. Cur fœmina minor uiro. Cap. X



Aeterum prius quam abeamus longius, & crurū ingrediamur explicationem, id minime dissimulandum, Galeni medicorum principis post Hippocratem, celeberrimam esse sententiā, Inesse mulieri quoq; testiculos, sed inter nos, unde nobilis exorta ambiguitas inter medicos ac philosophos, An ex muliere secernat semē generationi cōgruēs: nā esse testiculos generandi causa, consentaneū est. Verumtamen Auerois secundo Colliget, capite De iuramentis testiculorum; hos dicit nullum in generationis ratione effectum habere. Placetq; item plerisq;, non aliam esse testium in fœmina rationem, quam uberum in uiro. Quoniam argumentis peruincatur, fœminam semen ad generandum non excernere, siquidem semen sit superfluitas digesta, crassior, uiscosa, tenaxq;, & albicans, ac calida. Mulierem uero esse frigidam, & proinde digestionis non bonæ, unde & redundantis scateat aquosis, inconcoctisq;, propterea colligit Auerois, semen muliebri esse excrementū aquosum, indigestum, ex quo membra progigni sit omnino impossibile. Additur etiam, plerisq; concepisse absq; ulla seminis secretionē. Porro uulua ita naturaliter affici, ut suum euiomat semen, attrahat autem quod uirile est. Addit Auerois, nouisse fœminam in uicinia cohabitante, probis moribus & fidei integræ, quæ iureiurando confirmaret, concepisse infantē semine ex balneo attracto, quod profudisset lasciuens masturbator. Infert Aristoteles, Menstrua esse in fœminis, quod sit in maribus genitura: nec fieri posse, ut duæ simul secretiones seminales agantur. Ideo semen à fœmina non conferri ad generationem: nam si semen esset, menstrua non essent. Sunt uero hæc planè excrementa, sicuti semen. Nam est semen excrementum concoctum alimenti sanguinei, quod ultimū in membra digeritur, & propterea ab sanguine sit diuersum. Proinde concoctū, aut per uim emissū, quum quis præter modum in Veneria fertur præceps, cruentū iam aliquibus prodit. Sed quum infirmioris plus excrementi, minusq; concoctum fieri, idq; copiam cruenti humoris esse, necesse sit: infirmius autem secundum naturam sit, quod minus caloris adipiscitur, talisq; fœmina sit, hinc secretionem illam sanguineam fœminæ excrementum esse, necesse est. Talis autem est eorum eiectio, quæ menstrua uocantur. Argumento est, ætate eadem maribus genitura fieri, & erumpere fœminis menstrua: uocem item mutari, in tumescere mammas, nec non desinente ætate, aboleri maribus gignendi facultatem, fœminis profluvia menstruorum. Ad hæc indicium illa faciunt, esse excrementum huiusmodi secretionem fœminarum, quod non maris, non confluuium ē naribus sanguinis, non uarices, non eiusmodi alia fœminis ferē obueniunt, quamdiu profluunt menstrua, & si quid tale accidit, deteriores fiunt purgationes, tanquam materia menstruorum in ea abierit. Minus etiam uenosæ sunt mulieres, quam mares, lautiores porro, lautioresq; corporibus item minores, pallidæ quoq;, ac uenis obscurioribus. Aegyptiæ gentis sanctio fuit, solum patrem cenferi generis auctorem, nam matrem nutrimentum modo, & locum infantī, uelut substratum exhibere. Galenus uero secundo De spermate libro, & decimoquarto De utilitate particularum, secerni à muliere semen ad generandi rationem, nititur probare. Idem sentit Auicenna doctrina quinta fen primæ primi. Quo in loco eiusdem interpres multa ad refellendum profert Auerois. Qui nos se concupierit, locum habet quem enotauius.

Crurum ratio. Item uocabula plurima ad imum usq;. Plixis, plix, pligmata, acetabula, cotyla, cotyledon, ischion, bubon. Lycophronis taxatio. Coxen dix, callimerus, patella, coxa, mola, sphyros, rhebi, uari, uarica. Tarsus ciuitas cur dicatur. Cotyla item chimera. Marcellion, ganglion, sarapus, choera pus, eumarides, asceræ, artaria, perisphyria. Pes magnus. Pedem posuisse. Podia, pedicinus, petiolus. Tenax quid. Periscelides quæ sint. De Pitaco.

Caput

xi

Crura



**R**ura sequebantur quæ cum femoribus & furis, ut edocuit Aristoteles, homini carnulenta sunt, quum animantes cæteræ non uiuiparæ modo, uerum quæcunq; cruribus constant, uacua carne hæc habeant: neruosa enim sunt, ossilenta, spinosa, rigida. Causa uerò omnium propè una est, quòd homo solus animalium erectus est: ob idq; ut facile sustinere superiora posset, natura parti superiori corpulentiam dempsit, inferiori addidit. Ob id item cauda caret, nam alimentum, quod caudam adit, in hæc ipsa absumitur. Os in meditullio coxarum uocant plixin, sed & uocabulo eodem interuallum intelligunt inter pollicem ac indicem. At Doriciplicas, idest *πες πλικας*, cuius uocabuli rectus est plix, uocant gradus. Sed & proculcationes stigmata nuncupant. Circa ista sinuosa ossa uocantur acetabula, quæ coxarum capiti accommodantur, cotylas Græci uocant. Caput autem coxæ dicitur cotyledon. Vbi fit commissura hæc, plectrum coxæ uocatur. Neruus, quo eiusmodi colligatio fit, nuncupatur ischion, nomine eodem quo & uertebra. Adnotatu digna parte hac, quæ ab Lycophronis produntur interprete: nam ubi bubonis tormas nuncupat poeta, ipse peripherias exponit: & addit, bubon est, *ιχίς τόνος*, idest uertebra locus. Quid autem sapientissimus Lycophron, inquit, bubona intelligat, non percipio, uel quia barbare multa profert, ac nugatur, uel quia ipse inscitia labor: nam hic quidem Angæi bubonē percussum scribit, mox autem paulò adnectit, *πλίκας ἀφύκτως σφυρόν*: ego sphyrum scio astragalo circumiectas partes, at bubonosphyron non noui. Cæterum in historia mentiri plura, insitum illi est. Nec ab alijs solum diuersa tradere, sed & pugnantia loqui. Coxendices interpretatur aliqui, quæ Galeno sunt ischia. Quo nomine ossa duo is intelligit in posteriore hominis parte ossi sacro, in anteriore mutuo *ἰπὶ σὺμφυσι*, idest per conseruionem coherentia. Carnes ab ischio ad inferiora defluæ, hypoglutides, quasi sub glutio, idest uertebra. Coxa tota ad genu pertendit, à Græcis dicta merus, unde ex coxarum pulchritudine callimerus: & lacæna phænomerides nuncupata, quod incessu partem hanc retergerent. Intra coxas femora sunt, parameria dicta: nam quod coxas interiacet, mesomerium est. A pectinis ossè femina oriuntur, inferiora coxarum capita mediâ sinuantur, quo facilius excipi à cruribus possint. Quæ commissura ossè paruò, molli, chartilaginosa tegitur, patellam uocant. Suffragines sinus curuaturarum dicitur. Vbi crus coxarum committitur extremitati, dicitur cruris caput. Ibi est genu, cuius ossa Pausanias uocat molas. Posterior incuruatio, poples: unde & uigesimo octauo Plinius, Poplites (inquit) alternis genibus imponi. Apud Herodotum eleganter dici obseruauimus, *ἐς γόνυ ἔβαλε*, id est in genu deiecit, pro eo quod est profligauit, depressit. Ipsum autem crus ossibus constat duobus: alterum ab exteriori parte supra positum est, & uocatur paracnemium, parastata uerò in iumentis, Vegetio tradente. Ab priore alterum, cui tibiæ nomē est, Græcè autem *περικνημίου* dicitur. Sub crure pars uocatur *σφυρόν*, unde nomē calcaribus lingua uidetur dedisse uernacula, encentridas nuncupant Græci, sicuti meminit Pherecrates, & auctor est Iulius Pollux. Vtrinq; prominent astragali, quanquam nō sunt in homine tali, in quos peronæ definunt. Sunt uerò officula, quæ item paracercides nuncupantur, quia propè est cercis, idest radius. Sic enim item dicitur os maius, quod totum fert crus. Peronas etiam steringas appellant nonnulli: hinc datum peronibus nomen. Nerui lati à poplite orsi, ac in calcem producti uocantur tenonēs. Sphyron alio uocabulo pezam dicunt, unde Argyropeza Thetis apud Homerum, ueluti argento similes habens pedes. Quibus introrsum obtorta sunt crura, auctore Polluce, nuncupantur rhæbi: uaros dicunt quandoq; Latini. Ouidius tamen Metamorphoseos nono:

Tenuiq; à pectore uaras In statione manus.

Apud quem uarica item legitur foemina in Amoribus:

Ambulat, ingentes uarica fertq; gradus.

Quibus uerò extrorsum, blaelli. Cruris uniuersi pars anterior anticnemion, posterior gastrocnemion, idest cruris uenter, nos suram nominamus. Totum uerò ex coxa conflurgens, & crure, sphyro, pede, scelos nuncupatur. Coxa cum crure tantum, dicitur colon & colyma. Calcaneum autem scelis, & pterna, quasi patera, quoniam *πτερὰ ἔβαν*, idest proculcat terram, ut probat Eustathius, unde & pterna ciuitatis apud Lycophronē probasi. Obiter notandum, hinc periscelidas dici, quæ uulgò gremialia uel trauerfias dicitur

tant: nam & Menander puellas gestare periscelidas scribit. Quod propter illud Horatii ex Epistolis insertum uolumus:

Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam,

Sæpe periscelidem raptam sibi flentis.

Hieronymus in epistola ad Fabiolam: Quæ Græci, inquit, *πεδισκελί* uocant, nostri feminalia dicunt, uel bracas usq; ad genua pertingentes. Sunt & codices in quibus periscelidas, scriptum comperias. Perisphyria in Herodoti libro quarto, simbrias intelligit Valia. Pes autem, totum id uocatur quod astragalis subest. Talum in homine agnoscit in Epistolis Seneca, quin & Herodotus libro tertio: negat cum Aristotele Plinius. Est autem eo nomine rectum in articulo pedis os, uentre eminens concauo, in uertebra ligatū. Eius intima uocant Græci colla, quod Venerem interpretantur: extima, dicunt ischia; hoc est canem: capita uerò ceræas, Theodorus antemnas quoq; Mons pedis ante digitos ossibus constat & neruis. Montis anterior pars ab digitis, tarsus dicitur etiam apud Homerum. Vnde & ciuitatem Tarsum dici, opinatur Dionysius Thrax in ijs, quæ de Rhodo scribit, ab Bellerophonis casu, & claudicatione. Aut quia inibi plantam fregerit Pegasus, & errarit Bellerophon. Quod in Periegesi probabile fit Dionysio Aphro. Sunt qui ab diluio ea primum loca exaruisse prodant, unde ab *τῶν ἀνθρώπων* ciuitatem nuncupari, quæ & Tersos sit dicta, ut Stephanus. hinc apud Lucanum posse legi augurantur, Tersæq; Tersos. Inferna pedis portio uniuersim quidem tyloma: quod digitis prominat, pedis pectus, uel prosthethis dicitur: mox est concuum pedis. Pelmata Rhazes interpretatur dorsa pedum, alij plantam. Cavitates autem cotylas uocant nonnulli. Sub digitis quæ fit scissura, chimetlon nominatur, quo uocabulo etiam locum ipsum putant aliqui intelligendum. Chimetla, idest *χιμετλα*, inquit Medicinæ tertio Paulus, *ἐλκώδεις εἰς τὴν ἀρθρώσει*, idest ulcerosæ affectiones in manuum digitis ac pedum, hyemali tempore. Marcellion medicamen ad hoc genus celebre Græcis est. Cōtingit malum in plerisque partium corporis, sed in ijs quæ motui subseruiūt præcipue. Neruorum reuolutionem ex percussu uel labore, ganglion uocant, idest *γαγγλίον*. Pes uerò etiam basis uocatur. Scribit Græci, Pittacum ab Alcæo appellatum sarapoda, quod latos pedes traheret: necnon choerapoda, quod ulcera in pedibus sentiret, quæ uocant choeradas. Hanc quoq; partem unguentis linere, luxuria Athenis excogitauit. Addamus & superpondij aliqui d. Eumaridas calciameta uocant ab inducendâ facilitate. Asceras uerò proprie pilia in pedibus, idest uelut pileolos, quæ & artaria dicunt: quia uerò standi fundamentū pes est, dicitur in ædificijs area pes magnus, & qui negocium instituit, pedem posuisse. At Columella libro ultimo: Vuis proculcatis, mustum quod defluerit, ante quam prelo pes eximatur, fatis de lacu in uasa defrutaria deferamus: id esse uidetur pes, quantum semel prelo subiicitur: unde uinaceorum pes circuncisus legitur. Pedem à pedo dici, idest solo, putat Aristoteles in libro De communi animalium gressu. Podia, Græci uocant pedum inuolucra. scribit Athenæus ex bulbis lanigeris podia intexi, & indumenta alia: Sed & craticijs podijs granaria distingui debere, lectum alicubi est. Dicitur & podium suggestus lapideus per totum apiarium extensus, apum aluearia sustinens. Sunt & sua in calcatorijs podia. Pedicinus mensuræ nomen Catoni: Silicem, inquit, longum pedicinis duobus, crassum pede uno statuio. Petiolus pomorum, uelut paruus pes: tenax etiam dicitur Palladio.

Inferiorum proportio cum superioribus. Quosdā pedibus mira efficere. Pedum ratio. Cur inferna mulierum crassiora. Apodes, cypseli, trogletes. Elephantos genua nō flectere. Adolecens sine humeris ex India Romam missus. Colon. Iphiclus unde: item Colias Venus. Scarthmus. Chiræ quid, & Chiro-podes, Chirodota. Cap. xii

**A**eterum singulari dignus admiratione tanti operis artifex infinitus, qui ut superna mundi minoris affabre, ac summa cōpegit perfectione, ita ne in imo quidem eius desyderari est passus quippiam. nam hæc utiq; ad progressionis motum contributa potissimum agnoscimus: sed tamen ita, ut cum superioribus pleraq; magnam habere cognationem intelligantur. Quippe manui cum pedibus insignis proportio inest, quanquam ad sunt pedibus digiti ad figendum fortius, manui uerò

uero ad apprehendendum: tanta prominet tamen similitudinis uis, ut quosdam natura manibus mutilos plerumque pedibus exsequi, quæ manibus solent alij, maxima omnium qui inspicere admiratione, uisus à se, sint qui prodant. Etenim pedibus scripsisse, ligna conscidisse, atque etiam nescire, ac id genus impleuisse multa. Cuius rei ita demum solida continget admiratio, si fuerimus exactius contemplati, crura, brachia, manus, pedes, membra esse laxarum compagum, musculis suffulta ad motus tres, arrectionis, contractionis, circumductionis. Non est ab Dione prætermisum inter munera Augusto missa ab Indis, fuisse tigres Romæ tunc uisas primo: & adolescentulum sine humeris, qui tamen pedibus manuum functione obiret: namque arcum intendebat, sagittas etiam excutens. Quin & tubas, inquit, inflabat, *ὅτε οὐδὲ ὄπῳ, γυροφωγῶν τε λεγόμενα*. Hominis uero pes singulari præfert naturæ in eo quoque providentiâ: nam hic corporis reliqui ratione analogæ uidentur amplius excreuisse, sed id, ut possent duo incumbenti oneri sufficere, proinde longiores aliquanto cæteris, latioresque facti. Inter polypoda nullum est, quod uicenum excedat numerum. Vno tantum pede nullum item moueri continue potest, unde Monocælorum historia conuincitur uana, sicut & Sciopodum: qui si comperiretur, inutili profum onere præpedirentur, quum robur in pedibus requiratur, & leuitas. Digitorum quoque ratio seruata est summa: nam nec oblongi æque sunt ac in manibus, quarum in eo præcipuum munus, ut apprehendant. Sed breues non tam ad speciem, quam ad usum aliquem, ut nisi concitatos in cursum iuuarent: etenim pressis in humum digitis, mirum est, quanto tutius totum propellatur corpus. Adde, quod pedis in partem non dissecti portione affecta, totus consentiret: id quod minus modo fieri potest. breuitas etiam adminiculo est non paruo, ut oblædi possint minus. Sciendum & illud quod antea quoque attigimus, Inferna mulierum magna parte crassiora esse, in uiris autem superna. Ratio uero in frigiditate est & calore: nam frigidior muliebri natura, alimenti, unde augetur corpus, portio minima surrigitur, quod efficere calor potest. Residens uero in imo, id corpulentius efficit & auctius. In maribus autem contrarium euenit: siquidem caloris copia delata sursum nutrimenti pars magna, ibi effectum ostendit ampliorem. Bisulcum Græci nunc *διχόδον* uocant, nunc *διχιδόν*. Quæ usu pedum carent, apodemum uocabulo significantur, & inde auiculis inditum nomen, quas alij cypselos uocant, hirundinum specie. Psellus in libro De uictus ratione trogletas nuncupat, quia in foraminibus & cauis ferè latent. Genua elephantum non flectunt, uti Ambrosius prodit: quia rigidior crurum usu opus fuit, quo uelut columnis tanta posset membrorum moles fulciri. Calcaneum modo leuiter inflectunt, rigent cætera pedum à summo ad imum. Pedem Græci *πόδιον* uocant à quietendi ratione, *ἄρ' ἢ πόδιον*: uel ab *πόρος*, quod meatum signat, elisa litera *ρ*, & contractione duplicis uocalis in *ρ*, qui mos Græcis frequens. Aristotelis opinionem recensuimus. Vocatur & pars ea *καλόν* proprie: unde etiam Iphiclus dicitur, quasi iphiculus, ex pedum celeritate. Sed & Colias Venus non aliunde corruatur, cui templum & cognomentum constituit adolescens Atticus, puellæ Tyrhenæ beneficio compedibus exsolutus, quibus tenebatur captiuus. Pes item dicitur quandoque *σκαρομύς*, ut inquit Eustathius, quanquam uox ea & cursum signat, ac basin. Est ab parte hac proverbium elegans, ab citharædo usurpatum Stratonico. Minnaco siquidem super musica cum eo disserteret ingresso: Non intendo, inquit, quoniam *ἀνὸς πόρον ποδὸν σκαρομύς λέγεται*, id est supra talium dicitur. Denique in pedibus quæ sunt rupturæ, uocantur chiræ, unde ita affecti chiropodes nuncupati, uelut rhagopodes. Chirida uero manicam Græci uocant: quo uerbo utitur Galenus quoque: unde chiridota indumenta dicuntur manicata.

Hypoglottides, antiades, paristhmia. *μάλα*, id est mala. Columella. Staphyle, id est uua. Carotica pharmaca, uel anodyna: item trigona. Nocar. Larynx, pharynx, laryngus, aspharagus, spharaga, corruda, epiglottis. Toni nerui, Stomachici qui sint. Asa stomachi quid. Carotæ nerui. Carotica uenæ, & sphragitides. Celsi locus restituitur. Sphragytides nymphæ. Hyoides os, siue parastates. Fistula colli duplex. Stomachi ratio. Cardia, cardiogmos. Plados stomachi. Stomachi præcordia.

Cap. XIII

Cæterum



Aeterum opinor, diu iam multumque in extimis humani corporis elaborauimus, proinde peraccommodum uidetur, eiusdem intima, qua poterimus breuitate, recensere: ut quum subiecta oculis omnia fuerint, agnoscamus denique quæ sit diuinæ maiestatis ratio in struenda qualibet particula. Igitur summa repentes, ab collo ordiemur, quoniam de capite satis multa compegimus. Sub lingua ergo sunt, quæ uocantur hypoglottides, quibus coharet. Ab his à lateribus quæ prominent carnes, antiades nuncupantur, & paristhmia. Subiacent rubedine quidem consimiles, uerum auctiores orbiculatioresque, quæ dicuntur *μάλα*, id est mala. In oris parte intima, inquit Aristoteles, portio uisitur staphylophoros nuncupata, id est uuigera, Columella dicunt. Hæc humoris ubertate si contumuerit, staphyle uocatur, id est uua. Apud Celsum Corneliū uam appellari & locum & uitium obseruauimus. Traditum ab Alexandro est in Quaestionum natura, Columellam, id est cionida dici ex figura, ubi humoris affluxu productior euaserit: quod si in orbem globetur, staphylen. Sunt & in collo nerui utrinque ualentes, sine quibus sustinere caput non possent ceruicis uertebrae, tenon tes uocantur ab rigore. Celsus libro octauo, cerotas nuncupat. Quia in parte Hermolaus Barbarus, uir singularis ingenij, & doctrinæ multifariæ deluxatam, subdititiamque dictionem arbitratus, ea expuncta substituit ipse tenontas pro cerotis. Ego & si primæ notæ uiris semper assurgo, publico tamen bonarum literarum emolumento, non tenontas sufficiens puto, sed carotas, aut caroticos: & id magnis fultus auctoribus. Siquidem in libro De iuuamento anhelitus, auctor Galenus est, Caroticas appellari uenas quæ in collo sunt, quas si quis comprimat, corruat homo dormienti assimilis, sequaturque corporis totius immobilitas, unde & inditum nomen. nam *καρῶν* Græcè soporem signat, ac ebrietatem. Sed & apud Apollonium in argonauticis uertiginem, ut alibi probabimus. Chalcidius in Platonis Timeum, inde dici caroticas opinatur, quod uulnere impacto mortem afferunt soporiferam, perque eas spiritum ad caput ferri, unde sint sentiendi initia. Caroticas item uenas non ignorauit tertio De animalium historijs Aristoteles, & qua scinduntur primū sphragitidas appellari scribit, id est iugulares, ut Theodorus uertit. Adde, quod libro quarto idem Celsus ita scribit: In dextera sinistraque circa guttur uenæ grandes, quæ sphragitides nominantur: itemque arteriæ, quas parotidas uocant, sursum procedentes ultra aures feruntur. Ut quis interpretari possit, corruere hominem non tam uenarum compressione, quam etiam nervorum istorum oblesione, quando ea dem habentur parte ac situ. Aut si non ab affectu, ab conuicinia factam sciat nomenclaturam. Erat & in Citheronis uertice uno Sphragitidum nympharum antrum cum oraculo. Spiritu afflabantur diuino incolarum multi, quos nympholeptos uocabant. Carotica pharmaca legimus item, quæ anodyna uocant, & sensibus stuporem iniiciunt, cuiusmodi esse Philonis dicitur, & quæ trigona nuncupantur, id est *τριγωνία*. Nicandri interpretis nocat, inquit, id est *νάρκαρ*, est caros, siue sopor, quasi *νὸς καρῶν*. Sed redeo unde sum digressus. Antiadibus subest os, quod *ὀσφῆς* uocant, ab literæ imagine. Herophilus, quia assistat antiadibus, parastatem nominauit. Eodem nomine testiculos dici, probat Athenæus. Sunt porro itinera duo, alterum asperam uocant arteriā, alterum stomachū, ut putat Celsus. Arteria exterior ad pulmonem pertinet, stomachus interior ad uentriculum, qui dicitur *ἡ κάρω κοιλία*, illa spiritum, hic cibum recipit. Lactantius spiritalem, & cibalem uocat fistulam, sed gurgulionem etiam canaliculam alij, qua com meat spiritus. Quem Celsus uocat stomachū, alij gulam, sicut arteriam guttur. Hæc corpore constat cartilaginosa: neque enim spirandi tantum causa est, sed etiam uocis. Quod autem sonet, leue ac solidum esse oportet. Gula uero ex neruo constat, & carne: ex neruo quidem, ut extendi possit, ingestio cibo: ex carne, ut mollis sit & cedat, nec lædatur defluentis cibi asperitate. Arteriæ item caput larynga uocant Græci, hoc est guttur, quod approbat Theodorus quoque, & antea docuerat Galenus, partem uero ante larynga & œsophagum pharynga nuncupant Græci eisdem: in quo significato, Galeno tradente, dicitur Homero quoque, ubi per pharynga uinum & humanas carnes eructatas cecinit. Pharynx, inquit Thomas magister, est qua com meat uox. Larynx, qua cibi, ut ex Aristophane liquet in Batrachis. Laryngizo tamen non ad cibos refertur, sed ad sonantio rem uocem, Quin stultus loquitor, Laryngus uocatur. Sunt qui guttur item aspharagum uocent: sed

m

sphara-

spharagum scribere maluit Apion grammaticus. Nam Theophrasto asparaga esse videtur asparagorū locus, quem corrudam dixerit Cato. Spongiās holiores uocant asparagi radículas illigatas & connexas. Epiglottida uocant minorem linguam, nunc conuientem, nunc resurgentem, quæ duabus sit interposita fissulis duplici opere: nam inter epulandum operit arteriam, ne spiritus ac uoce illac meante, si cibus potus ue in alium deerrauerit tramitem torqueat. Vbi uerò spiritus tantum, aut uox cōmeat, gulam integit, ne restagnatio intempesiua alui obstrepat. Stomachi nomine Plinius postremam gulæ partem accipit, cui mox adnectatur uenter. Nervi in stomachi lateribus uocantur toni. Vbi cohæret stomachus uentri, dicitur os uentris magnum. Oesophagus etiam stomachi appellatio est, de quo dictum est. Sed iuniores barbære isophagum uocant, quo nomine gulam intelligunt, qua defluat in stomachum cibus, ubi etiam conficiatur. Lactantius hanc partem aluum appellat. Plinius alui nomine accipit eam portionem, in quam medio adnexam umbilico delabatur cibi iam in uentre percocti. Qui sit terrestrium quibusdam denticulatæ asperitatis, alijs cancellatim mordacis. At Galenus, Os uentriculi, inquit, ut ueteres *καρδίαν* appellabant, ita nostra tempestate stomachus uocatur, id est gula. De eo, libro De animalibus decimo, sic prodit Auicenna: Stomachi ima esse carnulenta, ut inde ad concoctionem uberius suppetat calor uis. Os uerò neruosum haberi, ut exactior sit ibidem sensus: illuc uerò ab medulla commeare neruos magnos, ut sentiat fames, & inanitio, qua obueniēte, expergeficiat animam. Perficit uerò cibus stomachus, tum insiti calor potestate, tum aduentitij, adiacentibus splene ac iecore. Vbi uerò incisos ferro uictimarum stomachos, Homerus canit, non utique pars quam præstruximus intelligēda, sed eius tempestatis more, infima gutturis, bronchiq; stomachi *θεμελια* quæ audis, gulæ intima intellige, aut uentris os. Auctor Paulus Aegineta, stomachicos dici non continentes cibum. Afam stomachi, & stomachum *ασθμα* uocant rei medicæ periti, quum cibi nimietate inoritur alimonix fastidium, ab uerbo *ασμα*, quod satiare indicat. Quia uerò stomachi hostium cardiā uocant Græci, in stomacho erosiones factas cardiogmos nuncuparunt: etiam si non desunt, qui eo nomine cordis tremores malint intelligere. Stomachi pladon accipimus lentores ea parte putres, aut simplicius humores aquosos: sic & in ulcerum ratione Therapeutices quarto pladon intelligit Galenus, quo præpeditur curatio, si *πεπθός*, id est excrementum producat. Idem Galenus libro quarto De accidente & morbo scribit, os stomachi præcordia nuncupari. Plinius multa stomachi præcordijs prodesse tradit. Stomachum pituitæ lacu nam eleganter uocat Mesire, de copia humoris eius, inibi affatim succrescentis.

Intestinarum ordo, & uocabula. De lactibus choladibus & mesenterio. Mesarchus, mesochorus, Omentum quid: item enterione, & enterionis: ephyades, paraphyades. Allium cur rusticorū theriace. Haliamenta. Peritonæum. Syntexis intestinarum. Ileos morbus, seu uoluolus, aut chordapfos. Splanchna. Chordæ. Orya.

Caput XIII

**A**B uentriculo excipiunt intestina, ex quibus pleraq; multis implicantur orbibus, ne semper ad sit cibi appetentia, ne ue alimenti inopia perpetuo famescamus. ideo cavit artificis prouidentia, ut inibi moram duceret nutrimentum, donec secur necessaria seuocasset, sicuti docuit Auicēna. Alioqui edendiderijs semper infestaremur. Ergo ima uentriculi pars paululum in dexterem conuersa partem, in summū intestinum coarctatur. Id pylorum Celsus uocat, quoniam portæ modo in inferiores partes, quæ excreturi sumus emittit. Græcè apud Pollucem scribitur *πυλωρός*. Galenus pylorum esse ita nominatū scribit, siue pro ima uentriculi parte, siue pro intestino huic adnexo accipiatur, ut ueluti sanior iustus nihil permittat exire, quod non fuerit prius in chylum conuersum atq; concoctum. Talem autē chyli bene concocti substantiā certum est per pylorum ad inferiora deduci, non ut excernatur, sed potius ut intra corpus retineatur, ut hepatis in sanguinem transmutanda, ex quo omnia membra debēt nutriri. Quo nomine libro De utilitate partium quinto, aperte pronuntiat, intestina non esse superfluitatum excretionis, sed alimentorum potius instrumenta. Illud sciendum: ab Galeno & Auicenna, pylorum, seu portonariū, ut recentiores uocant, inter gracilia non numerari intestina. Sed ex illis primum uocat Galenus, *επιφυσίον*, id est

id est exortum, quia ex pyloro primum exoriatur, aut dodecatylum, seu (ut nunc dicimus) duodenum ab digitorum mensu duodecim. Omnino pylorum in imo stomacho foramen accipiunt, cui primum adnectatur intestinum. Ieiunum quod uocant intestinum, dictum Græcè *νεστις*, id est *νῆστις*: quoniam minus implicitum nūquam quod accipit continet, sed ad inferiora protinus transmittit. Inde tenuius sequitur intestinum in sinus uehementer implicitum, qua ex causa uocatur à Græcis *ελιγμα*, quia *ελισσεν* signet circumuolueri. Helicem Aristoteles dicit, id est clauiculam. *ελικα* uero dicitur Græci reuolutum pampinum, hederæ speciem Dioscorides. Nam *ελιχουβη* hederæ uocant florem, *αυβη* *ελιχουβη* *φαιλιγκιον*. Hæc tria Plinius lactes uocauit, in homine & oue: quam Suetonius in Vitellio, murenarum lactes etiam uocat: sicut Spartianus, in lupis quoq; quibus rusticos pauerit Helioabalus. Quidem lactium nomine, pinguiā intelligunt intestina, ut inquit Probus: unde apud Persium, Lactes uncti. Quidam etiam membranas, quibus mutuo nexu implicentur intestina, quæ *χολαδεις* item dicuntur Græcis, quoniam in ea coarctetur *χολη*, id est bilis, quam uocant xantham, id est flauam, quæ ex calfaciens acrimoniaq; iritans, uelut pruritu ad superfluitatū excitet egestionem, ut ipsi interpretantur. Porro ieiunum intestinum Varro hīlam siue hīram uocauit, ab hīlo, hoc est minimo: sic enim uocatur, quod grano fabæ adhæret. Mesenterij dicitur, quo lactes inuoluuntur, ne contactu spinæ duro lædantur. Pollux autem sic: Mesenterion pellicula est ex uenarum, neruorumq; complexu, rhenibus ac uentri proxima, alimentū in hepar emittens. Macrobius mesenteron pro intestino accipit, ita distribuens, Intestina principalia tria: unum dissipium uocatur, quod uentrem & cætera intestina secernit: alterum medium, quod Græci *μειζόν* dicunt: tertium, quod ueteres hīram uocant. Cuius auctoritatis fulcro communitus miror minus, Theodorum lactes pro mesenterio accepisse, etiam si ab Hermolao plurimum uellitetur. Dicit uero mesenterion in Anatomis libris Galenus scribit, quod in medio sit intestinarum collocatum. Sicuti & mesarchon uocant item Græci, quoniam omnes quæ ad ipsum ex hepate uenas feruntur, una cum adiacentibus arterijs circumquaq; ambit & complectitur. Mesenterion Latine medianum recte dixeris. At mesochorum intelligimus, qui in turbæ medio stans reliquis signum proponit uel laudandi, uel quidlibet agendi aliud. Apophyades apud Aristotelem sunt intestinarum appendices. Sed & ephyades dicuntur quandoq; sunt & in pedibus plerumq; paraphyades, quas uelut surculos dixeris, & propagines. Sunt qui affectionem quandam ad mesareū pertinere autument, uocentq; ita laborantes mesaricos, quod cibum animaduertat per uenas mesareo & mesenterio intextas transmitti de more haud posse. Iecur quippe mesareæ uenis perinde utitur ac manibus: quæ ex uentriculo suggerant ei cibum. At si falli uidentur, si medicis credendum eminentissimis est, ueluti si manus eorum, quos syncope prostrauit, cordis aut gulæ uitio, affectas arbitrere, quod consueta cesset functio. Sed ad tenue intestinum redeo, id in duos definit fines: alterum uocat colon, & uentrem inferiorem, quem Homerus nieram nominat, hoc est *νεαίριον*: iacet autem dextra potissimum parte ad hypocondrium, & quia ibi sit maxima dolorū causa putant grammatici inde *κολαζεδαι* uerbum deflecti, quo supplicij significatur interrogatio. Quod uerò tenui cohæret intestino, cæcum uocatur intestinum: ideo sic nuncupatum, quod à dextra parte incipiens, in sinistro peruium & longum est, in dexteriorem non est. At id quod peruium est, late fufum atq; sinuatum post multos anfractus deniq; dextra recuruat in imo dirigitur qua excernit: & proinde ibi rectum uocatur intestinum. Plinius parte infima colon constituit, quod Latine uocetur ile. Longanorem dicunt aliqui intestinum, quod *επιπλοον* uocant Græci, nos etiam rectū, ut diximus. id crassiori intestino subesse, Pollux scribit, quod colon uocant, ac in sedē desinere. Omnia uerò hæc cōtegit omentum, id est *επιπλοον*, ex interiore parte leue ac strictū, ex superiore mollius: cui adeps quoq; innascitur, qui sensu item sicut cerebrū & medulla caret. Omenti nomine membranā quoq; cerebro circūiectam intelligit Macrobius, quam & uestitū uocat. Tunica, inquit Pollux, ab renibus ad omnia quæ digeritur intestina, nuncupatur peritonæū. Deniq; intestina Græcè dicuntur *φάρμα*: unde enterione, lignorum quorundā medulla, quæ tibijs faciendis, aut id genus alijs eximi plerūq; solet. *φτερονίς* apud Aristotelem *φκοίλια* signat, id est nauium interna: aut ligna, quæ ab carina confur

gunt: *ὑπερβολῶν* pronuntiant alij. Entera *ἔλγης* dicuntur terrestres uermiculi quidam. Dysenteriam Galeno interprete dicimus, non modo ubi exulcerantur intestina, sed & eam quæ cruenta ob excretorum speciem nominatur. Splanchna uocant Græci interanea, extorum nomine Latinis celebrata, cuius est modi cor, pulmo, iecur, & si qua potest fuere uaticinijs destinata: hinc splanchnica leguntur medicamenta. Dignum relatur: Quadrupedum interanea chordas dici quandoq; Græcis, sed & ouium crassius intestinum: unde est apud Alexim chordarium, Athenæo referente, forma deminuta. Hasce chordas etiã oryas dixit Epicharmus, cuius fuit drama item Oryæ titulo. Syntexis intestinorum est morbus, ubi sese promunt excrementa, cibo minus percocto: ut ex Aegineta Paulo dilucet. Nec ab instituto dissentaneum ita fuerit, subnotasse illud quoque in sublimioribus intestinorum partibus euenire quandoq; dolores eminentissimos, grauitate uomitu infestantes, nonnullis deniq; stercois etiamnum reiectantibus, ut uix unquam euaserit quispiam: *ιλεόν*, hoc est uoluolum, uocant; nonnulli etiam *χορδαίον*, quum se tumor ostentat aliquis in tenuium intestinorum portione, ut uideatur spiræ imaginem præferre intestinum. Ab inflammatione autem uel aridi stercois obstructione usu uenire id, deprehensum ueteribus est. Meminit post alios etiam Paulus Aegineta, mortem huiusmodi uocans *οικτισίω*, Medicinæ tertio. Et quia de colo actum paucis, non insuper habenda quæ ad id ex Græcorum prompta thesauris nuper sunt: Rustico intentum operi, ubi colica grauius affectio infestare adorta eum est, remedio usum hoc genus: nam extra morē se primū præcinxit, mox & cum pane allium elitando uentri satisfacit, ac malo intulit leuamentū: sic, uti ex ijs quæ adfuerat, nil omnino interpellatū omittet. Interdiu uero bibebat nihil, in uespera autem meracius, ac somno fulim nocte tota perfruebatur, ita ut mane consurgeret *ἀνώδω*, id est citra doloris sensum. Ex quo, inquit duodecimo Therapeutices Galenus, *ἐγὼ γὰρ τῆν ἀχορκοῦν θηριακὴν ὀνομάζω τὸ βεβαίον*, id est, ego agrestium theriacem nuncupare soleo cibum hunc. Et si Thracas quis, aut Celtas, uel omnino frigidibus obsessa incolentes esu eiusmodi auertat, insigne prorsum intulerit nocumentum. At, inquit Ambrosius, mirum est, allio delectari homines, quod fugit leopardus: nam sicubi parietes litu infeceris, exilit protinus, nec resistit. Cuius tamen uenenata fera odorem non patitur, in mensam admittunt pleriq; ac internis infundere uisceribus non desinunt. Sed doloribus, dicat aliquis, medetur quandoq; sit ergo medicamentū, non cibus. Condimentorum haliamenta legimus apud Hieronymum. Scribunt Græci, lege cautum, uti qui allio uesceretur, sacrarium Matris deum ne ingrederetur. Eo neglecto quum intrasset Stilpon, per quietem oblata est ei deæ species coarguentis quod legem exulceret, & philosophum professus. At is infuturare est uisus, Da quo uescar, & alijs abstinebo.

Pulmo qua naturæ prouidentia factus. Cur Latini & Græci pulmones quandoq; dicere malint, quam pulmonem. Sitis ratio naturalis. De branchijs piscium. Qui pneumonici, seu pulmonarij. Brachæa, id est breuia. Pulmonea. Pulmones cur dicantur rudes, & insulsi. Aer pestilens cur cibus inficiat prauus. Brucorum festum.

Caput xv

**D**icebamus in præcedentibus, meatuum quos in collo recognoscimus, unum ad uentrem produci, ad pulmonem alterum. Et iam prioris rationē cum intestinalis omnibus, ut nostra tulit imbecillitas, executi sumus. Nunc consentaneum uidetur reliqua persequi, ordientes ab pulmone, quod est aeris conceptaculum, & spirandi artifex officina, unde alitur anima, sicuti cibus corpus. Est igitur destinatus muneris ita temperatus pulmo, ut esset natura spongiosus, & fistulis inanibus cauus: ideoq; spiritus capax. A tergo spinæ ipsi iungitur, atq; in duas fibras unguis bubulæ modo diuisus: propterea Cordubensis Moyses Aphorismorum particula prima. Esse pulmonem ex ijs scribit, quæ duplicia sunt, quamuis unitatis speciem præferant. Et primo De animalium historijs Aristoteles, esse (inquit) bipartitus pulmo omnium expetit, uerum in ijs quæ animal generant, distinctio non æquē apparet. minimeq; in homine. est enim hic simplicior, nec ita multifidus, ut nonnullorum procreantium animal est. Cæterum ad pulmonis mediā delabens panniculus, quem iuniores mediastinum uocant, manifesto distributionē eius in duas quasi alas indicat, ut auctor Albertus uidetur comprobare

probare. Ratio autem est, corporis in dextrum sinistrumq; partitio: utrunq; enim sibi simile exposcit. Addit Auicenna, datum eum ab naturæ ingenio sagaci, ut si in parte una sese ostentari affectio, nihilo minus citra noxam altera corpus anhelitu recreet ac confoeat. Quæ causa, inquit, etiam duplicauit aures, oculos, nases. Proinde alterutram partem pulmonis bifariam etiamnum, si attendas, distribuui, ac duos præferre lobos, ut affecto uno, superlit alter incolumis. Ex ijs quæ astruximus, manifestum fieri arbitror: cur Plato in Timæo, & Aristoteles quandoq; pulmones multitudinis numero dicere malint, quod & Plautus in Curgulione facit, & De natura deorum libro secundo M. Tullius. Sed grammatici intra pelliculam se continentes, ista minus pensitarunt. Sicuti uel Sophoclis interpres in Trachinijs, qui *πνεύματος* à poeta pro *πνεύμονα* dictum pronuntiat, obseruationis huius incuriosus. Qui pulmonem sanguinis expertem dicunt, ex medicorum sententia falli uidentur, quia in dissectionibus nusquam apparet: sed perire illum, certissimum est. Contineri uerò sanguinem, quum uenis magnis, quæ in eo deprehendantur, tum substantia ipsius, eo tamen interstitio, quod quia a uenis pulmonis profluit sanguis, fluitantem modo spumam habeat: qui autem ex substantia demanet, ubiq; sit spumofus, summo, medio, imo: quoniã propior est alendo pulmone, qui omnino spumofus est, atq; inde bene digestus, quiq; mox in pulmonis transeat substantiam aptior. Spumofus uerò pulmo est, simul aeris copia, simul quia bilioso sanguine connutritur plurimum. Quæ pulmonem, inquit Aristoteles, sanguineum habent, caloris excessu, qui in eo ipso membro continetur, sitibunda præcipue omnium animalium sunt. Quæ uerò non sic, parum bibunt, quoniã fungosum pulmonem habeant. Porro philosophi pulmonem cordis uocant flabellum ac uentilabrum, quo calorem cordis refrigerari, necesse sit. Omnia quæ spirant, tradente Aristotele, pulmonē habent: ideoq; piscium nulli pulmone inest, sed pro eo branchiæ. Quamquam non me fallit, ab Aristotele Plinium dissentire, dum posse piscibus inesse scribit uiscera alia quæ sint pulmonis analogæ. Sed in libro De morte & uita, philosophus idem probat amplius, nullū esse animal, quod pulmone simul habeat & branchias: quoniã sit pulmo respirandi organum ad cordis euentationem, aere attracto. Branchiæ uero instrumentum ad uocandæ destinatum aquæ ad idem opus: cui unum per se membrum sufficiat. Et enim quia ab natura nil frustra produci consueuit: quum una sit satis omnibus euentatio, aut ex aere proueniens, aut ex aqua: unum tantum ad hoc constitui debet membrum, non duo simul. *βραχίαι*, id est breuia, ad branchias pertinent nihil. meminit uocabuli, ut cæteros faciam missos, historia secunda Thucydides, *ἐν δὲ ἐς βραχίαι χαλεπῶν ἀπειθεία ὠκεῖαν*. id est, nauium alia per impenitentiam locorum in breuia sunt impactæ. Breuia legimus apud Melam Pomponium. Addamus etiam illud ex Agricolationis libro Græco: Brucorum festum ueteribus celebratum octauo calendis Decembris, id est *τῆν βραχίων ἑορτήν*. Ab hoc uero spirandi usu apud Græcos pulmo nomen habet, dictus *πνεύμων*: unde & pneumonia, siue peripneumonia nuncupatur pulmonis inflammatio. Qui ita affecti sunt, pneumonici uocantur à Plinio & Celso. Pulmonarios non incite interpretari possumus, Columella docente. Ex spirandi autem ratione id internoscimus quoq; infectum aerem corruptumq; maius longe nocumentum inferre ac conficere celerius, quam ingestâ alimētâ itidem non sincera. Hæc enim uitalibus non insinuantur protinus, ni concoctione mutata, unde miscere prauitas potest. Aer autem ad cordis & pulmonis euentationem pertractus recens assidue, ac inde per latentes meatus uniuerso obrepens corpori uim afferre letiferam confestim ualet. Quoniã uero pulmonem esse cordis culcitram, scribit Auicenna, iure caput sequens illi dicabitur, si illud commonuero prius. Esse inter mala, quæ pulmonea dicantur stolidæ tumentia, ut inquit Plinius, quo argumento factum opinor, ut rudes insulsiq; homines, pulmones item dicantur.

Cordis ratio. Item de uentriculis cordis disceptatio non inelegans. De ignea ui promēte se ex corde, unde effingatur sensus: Thalami. Distributoria. Plinij loca expenduntur nonnulla de ratione cordis. Accipiter ab Aegyptijs cur dicatur *Βασιλ*. Cor paruū cur audaciæ signum.

Cap. xvi

m 3

Cor

**C**or in utero nascentibus formari primum, traditum ab naturæ prudentibus est: semen quippe maris in uulua conceptum resoluitur in spiritum: hic uero menstruo sese insinuat humori, atq; ibi domicilium quodammodo struit, quod est cor. Sed & ibidem mox reliquorum confurgit generatio. Eandem porro & exanguium esse rationem uolunt, in quibus non cor quidem, quod illis abest, sed cor dis analogon producitur primo. Auctor nobis Aurelius Augustinus est: Humanum corpus ex quatuor compingi elementis: in carne uero & ossibus terram præcipue fieri perspicuam ob terræ soliditatem: in humoribus aquam: aerem in pulmone, proinde in motu esse perpetuo, quoniam cordis sit uentilabrum calori contemperando, ne inde illud amburatur ignis in corde siquidem domicilium est. Quo argumento infra latum est, superioribus sese fastigantibus, quæ sua est ignis figura: ex corde uero ignea uis aere temperata cerebrum scandit, ceu nostri corporis cælum, inibiq; expurgata et percolata quodammodo per sensuum sese organa promit, ac extimorum cõtactû formata quinq; corporis sensus effingit. Cæterum uis eadem sic in sensorijs conformata, naturæ potentia introrsum reuocata, cellam petens phantasticam imaginatio efficit, quæ ab capitis priore parte in mediana transiliens rationalis animæ substantiam contingit, ac discretionem excitat attenuata eatenus, ut spiritui mox coniungatur, uere nihilo secius corporis naturam seruans, & proprietatem. Est uero cor, ut Galeno tradente condiscimus, omnium uiscerum & membrorum corporis radix prima, uitæ, caloris innati ac uitalis fons. Id, ut Peripateticis placet, ita se in humano corpore habet, sicuti in orbe intelligentia prima, & est ueluti quidam microcosmi rex nobilior, proinde est illius substantia solidior duriorq; quum ut affectionibus nocumētisq; minus foret obnoxium, tum ne spiritus calorq; uitalis omnino euanescerent nullo cohibiti solidamento, sed raritate mollitiq; efflati. Quod tamen non contigisse, fatendum est, ex terrestri firmitatis redundantiâ, tunc enim nimio plus arefceret: neq; sanguinis concretionem sola, ut in alijs, nimis nanq; sic remolli-retur, quod in hepate perspicuum fit ac splene: sed caloris præpotentis ut globantis densantisq; mutuo partes eius. Locus uero ac situs eius sedem obtinet principalem, in medio nanq; positum est, ad superna tamen amplius, quam ad inferna, itemq; in antica uergens, magis quam in postica: quippe nobilibus nobilem quoq; sedem elargitur natura, ni grauius quid offecerit præpedierit ue. Venarum esse principium cor, liquet simul ratione exuberantis ibi caloris, simul quia cum per cætera uiscera uenæ transigant, nulla per cor tendit. Porro mediana cordis spissa cauaq; sunt, plena etiam sanguinis, ueluti du cant inde initia & uenæ: ob idq; excauatum intus, ut sanguinẽ contineat, utq; caloris feruare principium queat. In hoc absq; uenarum cõceptaculis subsistit sanguis: in reliquis ferẽ sinu uenoso continetur. Sed recte utiq; nam ex corde corruuatur in uenas: at in cor necunde profluere, perspicuum est, quæ quidem ex anatome, qua quod in generatione cor consistit primum, statimq; sanguis scaterere animaduertitur. Motus etiam tristitiæ ac lætitiæ, deniq; omnium sensuum hinc oriri, eodemq; deriuari, Peripatetica consentit schola: Præstò est & ratio, quoniam principium esse unum oporteat, quatenus fieri ualeat. Aptissimus uero inter omnia locus est medianus, mediũ quippe unũ est. Extrema cordis in mucronem turbinatur firmissimum. Homini tantum paulò uergit ad lauam, ut eius partis frigus cõtemperet. Huic siquidem inter cuncta maximè frigent sinistra. Cópia item neruorum in corde est: hinc enim motus oriuntur, qui intensiõne remissioneq; constant. Cor sine osse est in omnibus, equis modo & bobus exceptis. Magnitudinis id exprimit ratio, ut sit adminiculi loco, cui innitantur. Ventrículus inest triplex animalium cordi prægrandiorum, duplex minorum, unus postremo. Dexter sanguinem habet plurimum & calidissimum, quamobrẽ pars item dextra calidior. Sinister modicum, eumq; frigidissimum. Medius tum copia, tum calore medio crem, sed puriorem. Cæterum com monendi parte hac studiosi omnes, Iulium Pollucem secundo Onomastici, uentres tantum in corde duos agnoscere, quos ipse *σπλῆν* uocat, id est sinus: item *σπλῆν*, id est uentres, quibus sanguis insit & spiritus: sed ille exeat per uenas, per arterias hic. Verum qui in sinistra, inquit, crassior est, ut qui spiritus sit conceptaculum: dexter uero tenuior quidem, sed spacijs latior, unde sanguinis profunduntur riuui. Quid ergo, dicitur ne hic ut grammaticus, toto (quod aiunt) cælo aberrasse: eumq; cum Philostrato in Ceritum tabulas

bulas reijciemus? Minime uero: nam Celsus idem quoq; ait, & primo Colliget Auerrois, cordis statuit cauitates tantum duas, & utiq; amplas: in dextra unam, in sinistra alteram, inter utranq; uero meatus solum. Quin & Ralis ad Almansorem duos modo finit uentriculos. Sed nec Galenus in meditullio cordis uentriculum recipit, sed meatum, uel foueam. Immo uero & in libro De anhelitus emolumento, apertam aduersus Aristotelem dirigit aciem, qui tres statuerit uentriculos, quum sensu sit deprehensum, duos modo esse: a quorũ altero uena propagetur magna, ab reliquo arteria. In paruis autem animalibus unum tantum esse. Propterea miror Plinium scribere, In maiorum animalium corde triplex uisitari specur: in nullo autẽ non geminum. Hosce uentriculos in libro De sensu & sensili Aristoteles etiam thalamos uocat. Nos decenti metaphora, & diribitoria possumus nuncupare. Illa uero digna prorsus quæ non prætereantur: Quæ hebeti sensu sint, cor habere durum & spissum: quæ autem sensu ualent, mollius. Et quia cor, *σπλῆν* Græci ueteres dicunt, *σπλῆν* legimus apud Sophoclem pro timido & abiecte frigidò: sicuti contra, *σπλῆν* pro uirili ponitur, ac strenuo. Audacia, inquit Plinius, creduntur, quibus paruum: pauida, quibus prægrande. Sed cur nam sic Nempe, quod affectus quem producit metus, iam inest, quoniam calorem proportionem cordis non habeant. Verum caloris parum in magno exolefcit cõceptaculo: proinde sanguis frigidior item comperitur. Idem in uenis & uentriculis cordis obuenire fereliquet. Sunt enim frigidiores uenæ ampliores, & eodem modo uentriculi. Porro alieni motus calidum refrigerant. Plus autẽ spiritus in amplioribus est, magisq; ualet: quam obrem nullum uenis grandioribus, aut uentriculis obesum, opimũq; euadit. Approbatur hæc ferẽ ab Auicenna, tum in Canone, tum De animalibus tertio & decimo uolumine. Opinantur Aegyptij, animæ conceptum esse cor: qua ratione quum accipitris nomine indicari animam putent, illum uocabulo gentilitio *βαίον* nuncupant, quod animam signat & cor: siquidem *βαί* anima est, *ον* uero cor. Hieroglyphico argumento adijciunt, accipitrem aquam non bibere, sed sanguinem, quo & cõnutriatur anima. Idem porro cor signare uolentes, ibim exprimunt, quæ Mercurij creditur propria, cordis domini, ac *λογισμὸν*. Sed & per se ibis, cordis imaginem præfert. Cor inter uiscera omnia nullam prorsus affectionem sentit: & iure id quidem. nam quod principium est, ipsum citra noxam seruari debet, ne illo uitiatò, corruant reliqua. Scribunt Græci, Hermogenem, cuius De rhetorica libri extant, multum præferentes ingenij lumen, cor habuisse hirtutis ac magnitudinis extra mortalium reliquorum rationem insigne. Id ipsum ferẽ de Leonida in Parallelijs Plutarchus prodidit. Idem de Aristomene Messenio Plinius. Repetitur quoq; scio ab Maximo Valerio memorabiliũ primo. At periti naturalium risu id excipiunt, fabulosum opinati. Propterea in carmine Homericò *λασιον κῆρ*, non densum pilis cor accipi putat Eustathius, sed prudens, *ὅτι τὸ κῆρ τὸ βλασάνει βολδύματῶν*, uti est apud Aeschylum. Quanquam, inquit, ex historia in quibusdam reperit sit pilosum cor, ut in Lyfandro necnon in Alexandri cane. Illud uero Platonis, *ἔχωρ τῶν ἀνδραποδῶν ἔστι τὸ ψυχῆς τὸ κῆρ*: id est habens in anima seruales pilos: in fatuitatem rudem scomma est, quod de seruorum ducitur tonfũ, qui appellatur Thrix seruilis. Sicuti ridet item, quod duplicatum in quibusdam animatibus dicitur reperiri cor, quod Plinius recẽsuit: principium etenim unũ modo esse debet, ut ante docuimus. Aut quod quibusdam defuerit uicinis: hæc enim citra possibilitatem dici. Quando, ut Peripateticis traditum scimus, corde carens nullum unquam animal ortum est. Sicuti neque item iecore: quanquam quod non totum haberet, iam innotuerit. At, ni mendum exemplarium est, hoc carens uiscere cõpertum quandoq; pronunciat Auicenna. Aequè dictari inepte putant, augeri id per singulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis accedere ad quinquagesimum annum, ab eo detrahi tantundem, & ideo non uiuere homines ultra centesimum annum defectu cordis. Quam rem Aegyptiorũ doctrina cõtineri, Plinius idem auctor est.

De iecore, pancreo, holcymo, olco, holco, ac felle. Plinij locus explicat. Item ratio longioris breuiorisq; uitæ. Augustini Barbadici historia. Fissum iecoris quod sit. Cicero explicatur: Hepatici qui, & unde fiant. Fellenus deus. Hepatus piscis, Hepation, Lucilij locus perpenditur.

Cap. xvii

m 4. Omni-

**M**nibus igitur quæ sanguinis expertia non sunt, duo comperimus necessaria in primis, cor, & iecur, & cor quidem caloris ratione: locum enim adesse aliquem, quasi lares focumque oportet, quo naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineantur seruenturque: eundemque tutum esse, ueluti arcem corporis totius, necesse est. Iecur autem membrum (ut Plato inquit) nobilissimum, concoctionis cibariæ gratia contributum esse, dilucet. Illud uero ex Galeni doctrina est, Ex spiritu resoluto ab hepate in toto effici corpore appetentiam oblectantium seruantiumque. Hinc parti huic præfici Veneris stellam, ueteribus est traditum: dici quoque iecur, quod iuxta cordis uires potestatem exerceat suam, uelut illi assidens in excitanda uel appetitionis, quæ ad uitæ pertinet fomenta. Nec citra appetitionem animal esse sentiens queat. At animato spiritu exhalante ab felle, indignationem ubique coarctari. Vnde prodit Plinianum illud ex libro undecimo: Ex felle, inquit, & in mores crimen bilis nomine, adeo magnus est in hac parte uirus, quum se fundit in animum. Sed quid bilis uocabulo proprie intelligendum, in capitis sine insinuabimus. Auenzoar eo libro, quem supra aduocauimus, prodit, Hepar esse per se membrum maxime præcipuum, cuius maxime pernoscantur effectus, non aliunde deducta uirtute, sed ex seipso propagata. Quod si uita nobis cõtingat optabilis, et optima, iecoris id uirtute fieri, auctore Hippocrate, Galenus & medicorum ferè uniuersa schola, iecur esse præcipuum sanguinis organum statuunt, & uenarum principium: si quidem meatibus stomachi & iecur interiacentibus ascendens chylus ad sanguinis formam disponitur, mox ubi hepar paratum exceperit chylum, ac uelut subfigurationem quandam obrusam, sanguinis modo speciem à subseruientibus ei miseratim adeptum, superinfert ornatum, uimque ad perfecti sanguinis concoctionem cum superfluitatum excretionem. Habet item iecur principatum uirtutum circa nutrimentum operantium, quoniam sit naturalis uirtutis fons. Admirabile est, quod hac parte referendum censuimus: Quum Venetijs Augustini ducis ex Barbadiça gente dissecaretur defuncti cadauer, ut eximeretur interanea, in hepate inuentus est lapis propè cystin fellis, magnitudine grandioris oliuæ, coloris serpentini in nigredinem tendentis. Iecur porro intrinsecus cauum, extrinsecus gibberum, quod prominens leuiter uentriculo insidet: & in quatuor distribuitur fibras. Quanquam uero quandoque reperiuntur sit animal liene carens, uel duplicem habens, item altero uacans rhene, quod tamen toto careat iecore, necdum est compertum, etiam si partem deesse, sit adnotatum: cuius rei auctor Aristoteles est libro De animalium generatione quarto, uti paulo ante commemorauimus. Hinc ueterum superstitio pestifera nuncupabat auspicia, ubi caput in iecinore non fuisset, eo nomine summam eius intelligentes, quæ uocant Græci *κυστήρ*, id est gibba: sicut inferiora dicunt *σινύς*. Fissum tamè iecoris appellat in Diuinationibus Cicero, quia sint ut tradunt aliqui duæ fibræ, Fissum, inquit, familiare tractant, & uitale: caput iecoris ex omni parte diligentissime considerant. Idem alibi apertius, fissum iecoris dicitur. Lucanus primo Pharsaliæ: Ecce uidet capiti fibrarum increfcere molem

Alterius capitis: pars ægra & marcida pendet,

Pars micat,

Quod autem familiare fissum ait, illuc spectat, quoniam pars una inimici dicebatur, familiaris altera. Lucanus:

Venasque minaces

Hostili de parte uidet.

Maximum, inquit Pollux, iecinoris munus est, alimentum in sanguinem digerere ac fel, quam *χολή* appellant: & hanc quidem cõceptaculo affundere, quod maximo eius inhæret lobo, idque humoris nomine cholen item dicunt, unde & acholon felle carens dicitur. Sunt & in iecinore quæ uocantur pylæ, id est portæ, à Græcis, quibus sanguinem excipit, quem unius uenæ opera reliquis infundat omnibus. Non omittendum, quod curiosa ueterum sedulitas nobis prodendum censuit. Si quidem locorum captantes salubritatem, pecoribus immolatis quæ in ijs pascerentur, ubi oppida constituere, aut statua habere concepissent, ex iecinoris habitu aeris modum coniectabant: nam si liuescens, uitiosumque in pluribus compertum foret, insalubritatis uideri argumentum arbitrabantur, pabuli & aquarum ratione. Sciendum uero, si causatio se in iecinore ostentat, qua imbecillius factum suas minus obeat functiones, effici inde hepaticos, seu iecinorosos. Tamen non me fallit Galenum ita sanxisse, Hepaticos censerit, qui longiore infe

infestentur iecinoris dolore, cum tumiditate solida, & corporis uitiatore colore, unde æstus faferè succendatur febris lingua inarescente amplius. Iecoris pinnulas nominat ad Fabiolam Hieronymus: Pinnula, inquit, iecoris offertur super altari. Durat etiamnum appellatio hæc apud Rhodiginos meos. Sunt uero in eo uiscere prominentes pinnulæ, quas & fibras dici opinantur. In Athenæi tertio, hepatis legimus: unde illud Lucillij apud Nonium ita emendari potest: Gigeria sunt, siue adeo hepatis, ut hepatis legamus, etiam si ab alijs aliter legitur locus is. uidentur autem hepatis non aliud quam iocinora, quando Attici probaton dicunt & probaton pro oue, ut apud Aristophanem, Plato. Pancreon inter carnes & adenes, id est glandulas, medium lieni adiungitur, & stomacho ac iecori. Ab carne nomen est sortitum. Dignum scitu: Hepatis dolorem ab Archigene dici holcymon, id est tractorium & inhærentem & torpidum, atque atrocius molestum. At uerbum id, inquit Galenus, inusitatum Græcis. Sunt tamen qui admittant, sed pro uiscido accipiunt, cuiusmodi uiscum est, ut cuius una parte tracta, inseguatur illi cohærens altera. Sub hac uero notione hepatis dolor dici holcymos nequit. Sunt qui holcymon hepatis interpretantur dolorem, quum hepar uel induratum uel inflammatum detrahere iugulum uidetur. Alij quum diuturno laborat morbo. Alij cum mediocri afficitur dolore. Sunt qui tardum intelligant, ut qui acuto aduersetur. Nonnulli urgètem, alij uehementem. Holcos nauium apud Thucydidem historia tertia, phalngas interpretantur. Est eo item nomine apud Sudam aquæ ductus, id est *αγωγὸς ῥήματος*. & cauda quoque, uerum sic dicitur proprie draconum tractus, abusiue autem carina per totam procurrens nauem: sic enim est *Ἰσκαλον πηδάλος*. Holcos quoque dicimus tum lora, tum homines de potestate trahendi. Olcia uero aurea apud Athenæum libro quinto, crateras accipio magnos, aut pelues. Denique dura hepatis dispositio nuncupatur scirus, quod scribit Paulus Aegineta Medicinæ tertio. Ex inferiore autem parte affidet fel, cuius folliculus ab Græcis dicitur choledochus, qui flauum contineat humorem, pallefcem quandoque ab Galeno uisum, uel coloris cyanei, aut isatis herbæ. Est uero aliud nil, quam purgamentum pessimi sanguinis. Iecur tamen magna ex parte, maximoque animalium numero felle caret, quod inspectis uictimis innotuit. In parte quadam agri Chalcidici Eubœæ fel nullum pecori est, at in Naxo quadrupedibus ferè omnibus adeo grande, ut qui sacris incumbant, satis aduenæ nequeant mirari. Qui fellis naturam sensus alicuius rationem habere, sunt opinati, tota errant uia: idcirco enim esse contributum ratiocinatur fel, ut morsu animæ partem excitet in iecore sitam, rursumque exhalaret laxando. Anaxagoras item per errorem acutorum morborum causas inde profluere, nobis persuadere uoluit, quoniam eo redundante inspergatur pulmo & uenæ, atque item costæ. Nam ferè accidunt ea uitia felle carentibus. Sed enim ut bilis, quæ qualibet corporis parte gignitur, excrementitium quiddam est: sic adiunctum iecori fel nulli delegatur muneri, sed recrementum tantum est. Quibuscumque iecur adest salubre, & sanguis id subiens dulcescit, ea uel fellis sunt expertia, aut id habent quàm minimum. Sanguinis impuritas fellis tum præsentiam, tum magnitudinem facit. Quia uero sedimen fel est, & exuperans inutilisque materia, inde ueterum nonnulli, uitæ longioris, ac (ut Græcis dici assuevit) polychroniæ, rationem scrutati, ex fellis uacuitate demanare id sunt suspicati, argumento ex ceruorum uita deducto. Sed & delphinus, qui fellis expers item est, longæuus est. Iecoris enim natura pro qualitate sua parum multumque uiuendi rationem habere innexam potest. Medicorum scholæ ita sanciuunt, adiuuentum ex felle haberi non postremum, ut ex calfaciat, proindeque concoctionem foueat secundam, hepatis innatum calorem sulciendo. esse namque iecori subiectum fel ratione feruescentis humoris, perinde ac ignem sub cortina succensum. Porro ab eodem profluere non negligendam in eo utilitatem, dum uim ad intestina transmittit, qua extimulante, celerius feculentæ materiæ fiat secretio. Bius uero præfarto præclusoque meatu, morbum obrepere regium deprehendere periti, quem ictericum quoque dicunt aut arquatū, toto corpore felle suffuso. Submonendi tamen amplius parte hac legentes sunt, quod & paulo ante indicauimus, apud Latine loquentes, uti obseruatum eruditus est, bilis nomine intelligi corpore toto humorem sparsum, distinctumque: fel autè esse, quod folliculo conclusum in iecoris uisatur materia, etiam si *χολή* Græcis utrunque indicet, parum distincte. Quidam nihilominus ex medicorum præcipue decuria

decuria, biliosos humores *χολώδεις* nuncupant, *χολών* haud quaquam, ubi uerò cholendicis simpliciter, inquit libro decimo Simplicis medicinae Galenus, flauam intelligit: alias enim cum adiectione pronuntiamus. Fellenus cum felle comercij habet nihil, fuit eo nomine Aquileiense deus. Dignum scitu: Haberi piscem nomine hepatum, uti commemorat Athenæus post Aristotelem, cui abesse fel creditur. Propterea Eubulus ex parcomia forma, Rebaris felle carere me, nec mecum aliter quam cum hepato pisce loquebaris. Lesbiam hunc dicit Archestratus cœnarum *λοχεύος*, & gulonum Helioidus, Theognis' ue.

De liene, & risus immoderatione. Plinius, Cicero, Quintilianus declarantur.

De Caunijs lienosis. Asplenon medicamentum quid. Cur Traianus fiscum appellari lienem. Splenici, tussici. Canum furor unde sit. Splenia emplastra.

Interim quomodo mortuus Zeuxis.

Cap. XVIII

**Q**uidem dum magis magisque mecum repeto diuinæ maiestatis in hominis fabrica exuberantem prouidentiam, nequeo tantæ bonitatis amplitudinem mirari satis: quæ omnino intactum nil liquerit, quod uel necessitas requiret, uel etiam usque ad delicias foret optabile, nedum ad ornamenta profecisse nobis, satis habuerit. Sed nimia hæc indulgentia sæpe per inscitiam, ne quid grauius dicam, alliditur, quandoque etiam, ueluti puerulos mollius in sinu parentum educatos prouehit ad querelas, quod non hoc uel illud contulerit nostri corporis artifex, ceu parua sint quæ modo accepimus. Nam quale est, quod nunc subtendū est, lienis emolumentum: Quod parte læua situm aduersus iecur, ideo laxum molliusque est, spongiæ quadam imagine, sicuti à Cordubensi Moyse proditum scimus, ut facilius sanguinis crassiores fecernendo alliciendoque repurgaret feculentiam. Sunt ex auctoribus, qui ioci intemperantiam huius uisceris amplitudine arbitrentur consistere, quod in naturali historia relatum non me fallit. At M. Tullius quauis sub aliena persona, miratur: quod mutuarus ab hoc & Quintilianus facit: unde affluentissimus quandoque proueniat risus, qui sæpe ita erumpat, ut etiam si maxime adnitaris, nequeas tamen comprimere, quin & latera, os, uenas, oculos, uultum occupet. Zeuxin pictorem risu emortuū prodidit Verrius, dum animum à se pictam ridet affluentius. Auctor Auicenna est, lienis uirtute ex iecore prolici melancholici humoris uim quum naturalis, tum accidentalis, id est adustis: nec ratione canonica prouenientis, quemque non intendat natura. Euenit id uel duplici, hepatis exigentis à se redundantia, lienis uero excipientis perlicentisque. Vnde prouenit sanguis benignus, clarus, copiosus, lucidus: quem esse risus causam, naturæ rerum periti tradunt: ex sanguine quippe ita affecto consurgit spirituum multitudo & claritas animam exhilarantū. Proinde traditum quoque, meracius uinum moderatè haustum frõtem exporrigere, ac lætos reddere, quia inde sanguinis profluit bonitas. Siquidem humor is egregie dicitur humanæ naturæ accommodatus. Scribunt item medicorum scientissimi, Cordis ardores temperari plurimum atræ bilis frigore ad lienis conceptacula subductæ. Id uero fieri, ut læua sint dextris frigidiora, quod locali cõferre motui plurimum, rationibus colligunt. Ex his uero omnibus mirari succurrit Erasistrati prudentiam, à quo promptum in literas est, Lienem frustra uideri productum, quando nulla prorsum in eo se promat uel operis uel utilitatis ratio. Aristoteles quoque ab sententia eadem uidetur non abrisse longius, quum tertio De partibus, lienem per accidens esse necessarium scribit, sicuti retrimentum alui, tum uesicæ, unde fit ut in nonnullis magnitudine deficiat. Lien uapores, inquit, uacantes diuertit, & attrahit ex uentriculo, & cõcoquere eos potest, ut qui sanguineus sit: quod si plus excrementi adfuerit, parumque insit lienis calor, corpus immodico languescit alimento, & humoris cõfluuiò fit, ut lienosus quis euadat, & obdurescat uenter. Splenici quoque nuncupantur sic affecti. Firmicus Matheseos quinto: Si uero, inquit, luna fuerit minuta luminibus, animo pariter & corpore languidos faciet, alios tussicos, alios splenicos efficiet. Dignum relatu, quod prodit Horus: Splenicos *τελέως* nec odorari, nec ridere, nec sternuere item posse ullo modo: quia canis seu in mortè incidit, seu in furorem, ex splene promi causationem. Nec reticendū, hoc uiscere uolatilia non prænuntari, quoniam pennarum uis recrementū absumat melancholicum. Quare homini, & quadrupedibus præcipue, splen necessarius fuisse uidetur. Cæterum id non in postre-

mis

mis dignum occurrit admiratione: Esse quædam terrarum parte hac discernicula, siquidem in terra Caria prope Rhodum Caunijs pestilente celo sunt, & lienosi, uulgate apud Strabonem aliosque Stratonici citharcedi sale: qui illos intutus colore admodum uiridi, dixit hoc illud esse quod poeta Homerus cecinisset:

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

Quumque illum incusarent, quod urbem ut morbidam carperet: Ego, inquit, eam morbidam dicere ausim, ubi mortui ambulant? Prope Cortynam in Creta apparentem splenem pecora non habent: quod amplius medicorum scrutantes scholæ, in illis enasci herbam locis, denique compertum prodidere, qua uescencia pecora lienes imminuerent: unde & lienosis curandis medicamen excogitatum, quod ex re asplenon Cretenfes dicunt. Elegantissimum est & illud quod in Iuliano Sextus Aurelius prodidit: Traianum exactiones improbantem detestantemque solitum dicere, Fiscum esse ueluti lienem, quod eo excrecente, artus reliqui contabescerent. Prius uero que hinc digrediar, Platonis quoque sententiam collubuit apponere: Proximus, inquit, iecori locatus est lien, ut purum hoc semper, clarumque reddat, & modo speculi nitens atque perspicuum, ad imagines exprimeret accommodatum. Crassissima uero in liene portio dicitur uisceris caput, nominatur & splenium. *σπλιων* apud Græcos, est splenis uitio, seu lienis laborare. Sunt & in genere emplastrorum splenia, de lienis forma nomenclaturam indepta, uidelicet in longitudinem producta, fronti plerumque arcendis doloribus solita impingi. Græci sic finiunt *ισθμικὴ ὀθονία*. Galeno hæc quandoque *σπλιων* uocantur, id est splenes. Dicitur & lebe *τι* subiectus capreolus, id est helix splen.

De rhenibus. Perinephra. Grammaticorum defensio in rhenum etymo aduersus philosophos. Rhenum uitia, & uocabula. Nephritis, nephritica. Matulæ intercus. Diabetes. Dipfacos. Stegna uitia. Astriictæ febres. Osphys.

Exys.

Caput XIX

**R**henes uero quo nam & ipsi ingenio producti: aut quam mirabili usur: hi luminibus, ut credit Celsus, sub imis coxis adnectuntur, parte quadam resimi, parte globati. Venosi porro sunt, & uentriculos habent, ac conuelantur tunicis. Rhenes nulla haberi necessitate Aristoteles putat, sed ut melius & locupletius sit. Humoris enim excrementi gratia, qui confluit in uesicam, adiectos esse ex sua natura, in quibus plus eiusmodi sedimenti fieri solet, ut uesica melius suo munere fungere retur. Dexter in omnibus, sicuti repetit Auicenna in Animalium historia, superiorem obtinet locum, minusque pingui obducitur, & sicciore est. Habent sinum exiguum, à quo meatus duo insignes ad uesicam defluunt. Alii etiam ex ahorta frequentes perueniunt. Rhenum igitur munus (inquit Galenus) est, quod in sanguine serosum est, ab hepate attrahere, ut exuperantia humoris aquosi sequestrata, corruptionis absit discrimen: quanquam sunt etiamnum, qui ab tota substantia eiusmodi fieri attractum putent, suffragante iecoris uel expellente. Diuersum uero in corpore sunt sortiti locum, non absque prouidentia ratione, uerum ne aliter constituti sibi inuicem officerent, minusque ob id destinatum implerent munus: Fuit & in sinistro ratio peculiaris, ne si altius assurgeret, ab liene comprimeretur, qui sinistris maxime accumbit. Ita in structura huius ratione nil se ingerit fortuitum, nil quod sapientia summæ maiestatem non præferat amplissime. Sicuti quod uisceris huius caro densior, compactior solidiorque est, ne quid exsugeret, præter serosam sanguinis tenuitatem. neque enim bilem atram aduocat, non pituitam: quibus crassescens oblati posset præfartis oclusisque meatibus. Porro soliditas alterum quoque parit propugnaculum, ne potius retrimenta acuta mordaciaque quid ualeant labefactare. Sic denique ualidius suo defungi munere potest: nam rarescere uiscere, aut aliquo modo ex affectione facto imbecilliore, impuriore profluit urina, carniū recetium loturæ consimilis. Id ipsum & affecto hepate prouenire exploratissimum est, quum sanguinis uis maior in rhenes defertur. Duo porro sunt, tum ratione quam in alijs antea protulimus, tum quia defluentis humoris copia par non fuisset unus. Quod si forma ampliore natura produxisset, non paruo statura fuit magnitudo ea corpori, non ita late patienti fusoque. *πρὸς τὴν νεφρὴν* dicunt Græcorum scientissimi, quæ rhenum obesitate opplentur. Grammaticos incessant ex philosophis nonnulli, qui rhenum etymon scrutati, *ἔπειτα τὸ ρῆμα*, id est ab defluxu

fluxu

fluxu obsceni humoris nomen deflecti opinantur. Non rectè inquirunt, quippe riuus humoris eiusmodi spinæ coherent, & sunt ab intestinis separati. Cæterum uiri doctissimi, aliud est de natura diferrare, aliud discendi perpendere rationes. Vos humoris obsceni appellatione geniturâ accipitis, nos urinæ sedimenta. Docere uos id Laetantius potuit, sic scribens: & uelut de scripto antecedens aberrare, aut præpostere quippiam enuntiarum haud patitur. Vena, inquit, in maribus, quæ seminum rationem continet, duplex est, paulò interior quàm illud humoris obsceni receptaculum. Et ne addubites, paulo antè mentionem de uelica fecerat. Ex caloris postremo redundantia urinæ cõsequi incontinentiam, stillicidiaq; traditur. Rhenum morbus dicitur utiq; nephritis, sæpe lapide magnitudinis uisendæ, uel in rhenum altero, uel in ureteris inorto impaetioq;. A quo prouenit colico haud absimilis dolor. *νεφριανά* inde dicuntur *φωρμικα*. Extat apud Paulum ad rhenum uitia compositio, quæ uocatur *σπαιτησση*. Est & rhenum affectio, quam matellæ intercutem nonnulli uocant: urinæ profluuiū aliq;, aut diabetem, & *διαικίον* quoq;. Verum rara est hoc genus ægritudo. Sitim parit extra modum, unde dicitur dipsacos, uti auctor est Medicinæ tertio Paulus Aegineta, ut rescribamus statim, quod mutuo sumimus. Diffinitur ab eo, *παχία τῆν πινομένων διέσθον*: unde & *σπαιτησση* nuncupatur, uelut transitus, *ἀπὸ τῶν σπαιτώνων*. Est tamen apud Aetium dipsacos, quam uoce alia sonchon dicitur lacuæ similem. Auctores sunt existimationis haud dilutæ, à quibus rhenum uitia quædam uocantur *σεννῶν*, id est astricta, quæ præpedita uel non fluit urinæ, uel difficulter fluit: nam & astrictas febres dixit Celsus, sicut & in diffinitionibus Galenus, ubi retrimentitorum omnium impetus inhibetur, sudoris, urinæ, pituitæ, alui. Quippe uasa Græci *σεννῶν* uocant, humoris per rimas nil remittentia. In rhenum meditullio quacungimur, partē eam Galenus *ὀσφῶν* dicit, & *ἰφῶν*: nostri, lumbos uocant, sed apte parum.

Vreteres uenæ, siue uranæ. De uelica, & uelicæ affectionibus. Opisthuretica, emprosthuretica, uretici, Galeni historia. Ischuria, dysuria, stranguria, immeiere: urinā facere: incōtinentes urinæ. Orionis historia fabulosa. Thrombus, grumus, paresis, ptyriasis, lithiasis, uretica, chalastica, catoterica, anoterica, emetica.

## Caput xxxi

**A**Rhenibus autem singulas uenas colore albicantes delabi, compertum est; ad uelicam. Eas ab ureteris, siue *ὑρανῶν* Græci uocant, quod per eas in uelicam, quam cystin dicunt, destillare urinam, conceperint. nam opisthuretica dicuntur retro urinam mittentia: sicut quæ ante, emprosthuretica. Qui uerò frequentius mingunt, uretici appellantur. Scribit Galenus, sibi ipsi accidisse dolorē uehementissimum, ut uideretur in uentre intimo terebra perforari, in eo potissimū spacio, per quod à rhenibus ad uelicam ureteras scimus extendi. Quod eo libentius apposui, ut eorum coargueretur uanitas, qui uixisse Galenū prodere sunt ausi, sine corporis incommodo prorsum ullo. Quæ uerò attulimus, ex libro sunt De locis affectis secundo, ubi infert, mox excretum à se grauissimo cum dolore humorem, uitreum à Praxagora nuncupatum, quod sit uitro fuso similis, aut ob frigiditatem. In uiris autem uelica recto alsidet intestino, ad sinistra uergens. In foeminis, in genitale procūbit, subiectamq; uuluum habet. Urinæ iter in uiris spaciosius & cōpressius, ab uelicæ ceruice colem petit: in foemina breuius pleniūq; super uuluum se ceruicem ostēdit. Hæc prouida, sagaxq; natura neruofam compegit, duram, tenuem quoq;, ut urinæ mordacitati sufficeret ex bilis permixtione: item, ne præter uoluntatem proflueret urinæ. Sunt qui ex tunica duplici concinnatam tradant, tametsi Galenus, & alicubi Auicenna, secus literis mandarunt. Sed circūiectū uelicæ indumentum speciem præbet tunicæ duplicis: uerum id uelicam ipsam non componit. Ischuriam, id est, *ισχυρίαν*, urinæ integram uocant retentionem. *σπαιτησση* uerò urine stillicidia: id est (ut inquit Cato) ubi lotium substillum est, id est stillatim fluit. Id & *διουρησιαν* dicunt, sed proprie, ubi lotium ægrè it. Aristophanes: *σπαιτησση*, *χέλιε γὰρ ἰφαγῶν καρδίαμα*. Siquidem urinam supprimit cardamum: uel, ut Græce dicam, *ὑρῶν δὲ ὑδιχέλιον*. Sed & *πύμασση*. Sunt & qui urinæ nuncupantur incontinentes Plinio. Luxatio musculi ceruicis uelicæ, id est *χέλασις τῶν βραχίων* *ῥιζύσις* *μυός*: ut Aegineta inquit Paulus, uitium progignit: hi à Græcis *ὑνρεῖν* dicuntur ferè, id est immeiere, etiam si Persio aliud signet uerbum id. Vlpianus hosce urinā facere dicit. De urinæ uocabulo conciliatum

conciliatum item Orioni nomen, quem Candaona dicunt Bœotij, sciunt omnes. Nam quum Orio ex Clonia non nascerentur liberi, Iupiter, Neptunus, Apollo suscepti hospitio in bouis corium urina emissa, Oriona producerunt, quo argumento Tripatrum appellauit in Alexandra Lycophron. Insunt uelicæ item, quos medici *θρόμβος*, id est grumos dicunt: sed hi tamen & intestinis, uentriculo atq; thorace nonnunquam continentur. Eos animi defectio & color insequi foedus solet. Esse autem non aliud uidetur, quàm globatus sanguis ex uasis suis effusus, qui uelicæ meatum obstruit offarcitq; quandoq;. Est enim grammaticis grumus, terræ prominentia tumulo minor. Uelicæ item affectiones Galeno sunt hæc, *πύρεσις*, siue resolutio. Nam & *πύρεσις* resolutos dicimus. Fortè uero hæc fuerit urinæ incōtinentia. *πύρεσις*, quippe *πύρεσ* furfur est. *λιθίασις*, quia *λίθος* est lapis. *έλκωσις*, id est ulceratio, præcipue in collo, hoc est, *πῶδι ἢ βραχίονος*. Dysuria à stranguria dispefuit Galenus idem, quoniam illa modo sit, ut præmonuimus, *δυσχέλια τῶν ὑριῶν*: hæc uero *ἰσθ* *σπαιτησση* *ὑριῶν*. Vretica pharmaca tertio decimo Therapeuticis legimus dici sæpicule, pro ijs quæ urinam prouocent. Qua in parte Chalastica item dici quædam animaduertas, modice excafacientia, & præfarcta corporum attenuantia, & inflandi compotem spiritum minuentia: insuper & factam digerentia inflammationem. Catoterica in libro eodem uidentur dici, quæ purgant per internū uentrem: sicuti anoterica, quæ per uomitum, unde & emetica uocantur.

Præcordiorum, siue diaphragmatis ratio, & nomina plura. Phrenes. Præpides. Plinij obscuritas illustratur. Hypochondria. Chartilago quid. Cap. xxxi



**Q**Vum diuina prouidentia in hominis structura scienter omnia confingeret, thoracis capacitatem ad summum sapientiæ æquilibrium conformare sic adorta est, ut quum in pectore, sicuti Plato uult, mortale genus anime foret collocatum, quumq; inibi quod melius, quodq; natura deterius est, uiseretur, locum ita disparatū, ut discerniculo clariore sedes altera secerneretur, ut uirilis à reliqua, quæ ueluti foeminarum foret. Chartilaginem quippe mediam interlocauit, quæ animæ portionem fortitudinis & iracundiæ participem cōtentiosamq; parte contineret superna, ut rationi obtemperans hæc concupiscibilem pariter coerceret, tanquam uisitata, si quando rationis imperia detrectaret. Est uero membrana hæc tenuissima medio sub pulmone transfusa, uelut pectoris septum, costis & subchartilagineis, & spinæ adnexum, parte media tenue, membraneaq; exilitate contextum, atq; item uenas habens. Musculum tamen, non membranam nuncupat Galenus. Est autem musculus non aliud ferè, quàm neruis intexta caro. Septum hoc Plato, Hippocrates & Galenus phrenas item nuncupant, quod uerbum nobis mentem indicat, tanquam in prudentiæ participatum ueniant: uerum id haudquaquam fit. Sed ita dicuntur, quia adiacent ijs quæ facultatis eius expertia non sunt, ut placet Peripateticis. cordi nanq; prætenduntur, ex quo à nobis præcordia uocantur: & à Græcis quandoq; *πυρικάρδια*, sed & *πυρίζωμα*, quod cinctum Theodorus transfert. Appellatur & *διωφραγμα*, quanquam & in naribus interseptum eodem censetur nomine. *πυρίδια* etiam poetæ uocant, ut scribit Eustathius, deflexo uerbo ab *πυρί* *ἰδῆν*, ut sit *πυρίλεπτικὴ ἢ πυρίγαστρικὴ τῶν μέλων* *φρῶν*. id est præuidens, ac futura præcipiens mens. In præcordijs, inquit Plinius, fuit peculiaris causa, uicinitas alui, ne cibis supprimeretur animus. Intellige, ut animæ sentientis origo inoffensa seruetur, nec facile cibi exhalationibus distringatur, & caloris aduentitij copia. Nam & sic quoq;, ubi ex conuicinia attraxerint præcordia humorē calidum atq; excrementitium, continuo mentem sensumq; perturbant. Quamobrem parte sui media tenuia sunt, ut minus uaporis excipiant: nam si carne pleniore constarent, copiam uaporis & haberent & traherent. Porro & partem hanc, inquit Aristoteles, calefactam celeriter, sensum mouere, indicat id quod titillatu euenit: diffuunt enim risu, quos titillaris, quia motus celeriter ad eum locum perueniat, qui quanquā leuiter calefacit, tamen mouet etiam præter uoluntatem diffuso spiritu ac resolutio. Facit autem cutis tenuitas, ut homo unus omnium titilletur, simul etiam quia ridet unus. Ictu in prælijs traiecta præcordia risum attulisse, proditum est, ob calorem quem moueat uulnus. Meminit doctrinæ huius Auicenna quoq; in Animalium historijs libro decimo tertio, sed obscurius. Ex ijs uero lux Plinio infertur nonnulla libro undecimo, Et hæc quidem sunt de diaphragmate obseruata ueteribus



ueteribus, qui balbutisse quodammodo uidentur, si species ea, quæ mox ingeniorum acumina excogitarunt, quando exploratum est obseruatione acerrima & scientissima, inspirationis & uocis, & omnium uirium corporis initia referri accepta oportere diaphragmati. Etenim corporeas potestates expansu imbecilliores effici, experientis comonemur; sicuti contractu constipatibus iuuari in primis. Hinc sese promit singulare præcordiorum emolumentum: quod Galeni principis artis medicæ prudentia compertum creditur. Quippe horum facultate præcipua aeris in spiritali reciprocatone comparatur ingressus, atque item egressus: quod Cordubensi non displicuit Moyli ex Galeni doctrina in libro De lacertorum motibus. Nam lacerti facultate proprii contrahente, ubi retrahitur diaphragma, influit spiritalis aer. Rursum ubi eiusdem uirtute diuersa expanditur, egreditur spiritus. Huic inuento suo in tantum Galenus applausit, ut in lucubratione De motibus liquidis prodendum putarit: Eam in medendi scientia indaginem uideri cæteris præstantiorem, qua peruestigetur, quo instrumento clibanus moueatur, id est pectoris concavitatis, per quam spiritus ultro citroque comeat. Quin Galenus idem περὶ ἀερίων αἰθέρος τῶν περιθώριων τῶν πνεύματων quinto, terminum quo thoracis pars finitur inferior, antiquiores (inquit) phrenas appellauerunt, siue simpliciter, siue quia eo inflammatione affecto, mens ipsam oblectatur. Verum qui Platonis tempora sunt infecti septum ipsum nominare instituerunt, etiam si Plato ueterum more phrenas uocitat. Hypochondria Græcis dicta, uelut subchartilagia, Latini præcordia item uocant, id est uno nomine extra in homine, sicuti interpretatur Plinius. Chartilaginem uero anatomici in anteriore hominis parte locum dicunt.

Spermatis uasa esse quinque numero. Varices. Quæ dicantur preparatoria. Maris, & foeminae ratio. Seminis à cerebro defluxus, Gona, id est genitura quid.

Cap. xxxii

**Q**uoniam uero seminis rationem paucis attingimus, illud commonitos uelut rerum naturæ contemplationis studiosos: Conceptacula spermatica, quæ geniturae gratia sunt comparata, ex anatomicorum obseruationibus accuratis uideri quinque numero. Et principem quidem locum habere uenas arteriasque multifariam implicitas obuolutasque ad testiculos tendentes, ex quo imagine quadam uarices quandoque uocantur. Postea habentur testes ipsi, quos σπέρματις, hoc est cauernos cognominat Galenus. Tertium habet locum epididymon incumbens testiculo sub uase, quod seminarium dicunt. Et quartam obtinet sedem, quod in uiris capax est oblongumque ac uelut sinuosum, ubi mutonem adit, in imo tamen angustius breuiusque. Postremo est parastata seminarium interiacens & uirgam. Comprobantur hæc primo De genitura apud Galenum. Conceptacula primo à nobis loco constituta uocant παραστάτην, tanquam tu dicas preparatoria, quoniam seminarium humorem ad testes deferentia præfungere, & (ut sic dicam) delineare uidentur. Duo uero sunt hæc pro testium numero. Origo autem ista: Seminarium uas dextrum à parte superna ducit initia ex aduerso rhenis dextri, ab uena concaua & arteria. Quarum altera ab hepate, à corde altera exordium sumit. Sinistrum uero non adeo ex alto profluit, sed ab uena sinistra emulgente, & ab arteria. Cæterum hac in parte illud singulari admiratione dignum, uim illam seminariam, quæ lumbari dextro, sic nanque iuniores hosce item nuncupant meatus, inserta dextrum adit testem, hinc effici calidiorē, magisque spiritosam, quoniam uenæ eiusmodi atque arteriæ directe ab magna propagantur uena magnaque arteria, quo fit ut sanguinem protinus concipiant depuratum, egregieque percoctum. In sinistris uero aliter obuenit, siquidem non protinus defluit uena uel arteria ab magna itidem, ut dextra: sed ab ea quæ ad rhenes delabitur. proinde sanguine oppletur non expurgato, sed aquoso plurimum. Quæ ratio creditur potenter efficere, ut pro decurrentis modo seminis, nunc mas producat, nunc foemina: cui calculus adhaeret Galenus, à quo longius abire, in his præsertim, summe delirantis uideatur. Cæterum plura de hoc genus quaestione libro De animalium generatione quarto Aristoteles. Non nihil & Lactantius. Astruunt porro medicorum sagacissimi, seminariam uim in huiuscemodi uasis in album demutari colorem ex sanguineo. Fieri uero ista, non in uenarum principijs, sed in portionibus iamiam testiculis se insinuantibus, quando morula certa indigeat coeactio hæc. Geniturae autem modum præ-

signem

signem ab cerebro secerni, à Galeno traditum scio, quando cuiusdam salacissimo ab obitu capite dissecto, eius partis deminutio comparuit manifesta. Adnotandum uero quod in principe philosopho est obseruatum, γενίω, id est genituram, spermatis indicare corpulentiam. At sperma generatuum spiritum formatiuumque, qui geniturae potentia inest, & in quem geniturae corpus resoluitur.

De utero muliebri. Item an matrix barbare dicatur parte ista. Hysterica mulieres. Geminorum ratio. Didymi, & didymaones quo differant. Didymæus Apollo cur. Item obiter de Branchidarum oraculo, & Philelio Apolline. Gona quid. Vnde sit sexus disparilitas. Foetus multiplicis exempla prodigiosa. Uteri uocabula, & partes. Item de mulierum testiculis. De Eugio, & Hymene. Psyllis, & psylleis. Metrenchytæ quid. Catheteres, clysteres, otenchytæ, chorion. Ecboia medicamina, & phthoriatocia, ecrysis, ectrosomos, utriculi. Rhoica mulieres. Locarium quid. Loculatae piscinae, ac Laciniatae. Locularis resina.

Cap. xxxiii

**E**oemnis uero intus eadem ferè omnia, præterque uelice iunctus utriculus, unde dictus uterus, quod alio nomine locos appellant, quoniam inibi nascendi consistunt initia. Hoc inquit Plinius, in reliquis animalibus uulua. Aristoteles uero ex interpretatione Theodori, pars, inquit, uuluae interior loci, & uterus appellatur, unde uterinos dici fratres, scimus. Ostium autem, & ceruix, matrix. Extrema plurimarum uuluarum, quæ cornua appellant, inuolui perspectum est. Græce uero Aristoteles sic, καλέουσι δὲ τῶν τῶν πρὸς τὴν ὑστέρα καὶ δεξιά, ὅθεν ἡ ἀδεληφὸς πρὸς ἀγορὴν σ. μήτρα δὲ ὁ κευλὸς καὶ τὸ σπέρμα τὴν ὑστέρα καὶ δεξιά. Hysterica mulieres intelligunt eruditi, ab utero suffocatas. Sunt & symptomata, quæ nuncupantur ὑστερικά. Obiter, ne scioli ac nasutuli, uel me, uel Theodorum conuellere audacius pergant, non barbaram matricem hac usurpari parte, quod plerique rentur, commonemus, quando & Iulius Solinus matricis nominat penetralia, capite tertio. Alias Matrix ciuitas nuncupatur, quæ metropolis Græce. Apud Tranquillum matricem arborem intelligimus, ex qua stolonum repullulat soboles multa. Sic boues dicuntur matricem Varroni: quas & fructuarias recte appellaris. Apud Palladium, matrix idem est planè quod mater. Uterus ergo hic in duos funditur sinus, qui in diuersum diffusi ac reflexi circumplicantur modo arietinorum cornuum. Quæ pars in dextram retorquetur, masculina est, inquit Lactantius: quæ in sinistram, foemina. Horum sinuum ita distributorum auctor item Auicenna est. Qui & uicesimo primo, tertij. Causa, inquit, geminorum seminaria prouenit copia, quando uteri sinus uterque fuerit oppletus, & dextra quidem parte, ut plurimum, concipi mares uolunt, sinistra uero foeminas. Cui sententiæ suffragari Hippocrates uidetur, sententiarum libro quinto. Hinc porro contingere arbitrantur sexus disparilitatem. nam si in laeuam uteri portionem masculinæ stirpis genitura profundatur, marem quidem gigni, sed uolles euiratisque corpore ac moribus. E diuerso quoque comparem sortiri euentum, quod foeminini sexus seminium dextrorsum se proclinarit. Enasci quippe foeminam, quæ uiri speciem præferat in multis, ὑστέρα δὲ κερύρα uulua uocant bifidam. In cæteris animantibus tot esse in uulua sinus, Auicenna probat, quot proferantur uberum papillæ. In homine autem, sicuti totum corpus didymum est, ex dextris sinistrisque, sic & uterus. Sunt tamen quibus septem in utero cellulæ placeant, ternis dextra, sinistrisque constitutis, una modo in meditullio composita. Totidemque posse foetus concipi, tradunt. Serapiam Alexandrinam scribit Caius Digestorum libro tricesimo quarto, quinque liberos uno enixam partu. Prodigiosa sunt, nec sine cunctatione proferenda, quæ magnus Albertus censuit prodenda, ut præteream quæ scribit Iulianus iureconsultus, atque item Paulus Digestis si pars hæreditatis petatur, ubi & superfœtatione admittere uidetur. Scribit inquam Albertus, mulierem quandam in Germania, configuratis conformatisque iam in utero duorum & uiginti infantium corpusculis, abortum fecisse: aliam uero etiam septuaginta: immo, ut amplius increseat admiratio, aliam etiamnum eiecisse in peluim embryuncolorum auricularis digiti magnitudine corpuscula centum & quinquaginta. Cuius rei facta fides est, tuni- culis quibus obuoluebantur, conscissis. Addit quoque pluribus eorum affuisse dilatationis & constrictionis motum, & signa alia uitæ complura, oculis tamen imperfectioribus.

n 2 Manuum

Manuum uero, & pedum digitos fuisse ueluti capillares. Geminos Græci nunc didymos dicunt, nunc didymaonas, eo tamen interstitio, sicuti in rhetorico adnotatum lexico est, ut sint didymaones diuicatis seiunctisq; corporibus, didymi autem coniunctis connextisq;. Cuiusmodi fuisse Actorionas, traditum fabulis, scimus. At Didyma locum dicunt, & manteum Mileti, sacrum Ioui & Apollini, qui inde cognominatur Didymæus; uti planius iam & Plinium intelligas, & Melam Pomponium; sed & Papinio feramus opem, Thebaidos octauo:

Nec Clarias hac luce fores, Didymæaq; quisquam  
Limina, nec Lycia supplex consultor adibit.

Quod autem oraculum id Branchidarum quandoq; nuncupatum, scribunt iidem: lego quidem Didymorū incolas dictos olim Branchidas fuisse, qui Barbaris templum prodiderint, quo nomine poenam ueriti demigrantes in Asiam longius Branchidas, ciuitatis id est nomen, condidere, quam ueteris odio flagitij rerum potitus Alexander solo exæquarit. Branchum esse Apollinis filium, prodidere grammatici, qui fuerit ipse quoque futuri scientissimus: unde & Papinius Thebaidos tertio,

Patrioq; æqualis honori Branchus. Sunt qui eo prægnantem matrem uidisse per quietem memorent, per fauces solem insinuasse se, qui per uentrem mox eruperit. Unde sit conciliatū infanti nomen. Est qui putet, ab Apolline adamatum, ac ex pueri osculis Apollinem esse Philesum appellatum, unde & Philesta templa, siue à puerorum certamine. Sed ut ab diuerticulo fabulam repetamus, illud ne utiq; prætereundum: In uteri lateribus introrsum haberi muliebres testiculos, paruos quidem, nec orbe pleno, sed instar sphaerulæ à polis compressæ. Iacent autem initio colli uterini, panniculis seorsum colligati, non ut in uiris, scroto uno contenti. Horum ratione uidetur Auicenna pronuntiasse, uterum esse generationis principium effectiuum, quoniam Galeno astipulante, ac certatim medicis omnibus, gutta mulieris actiue ad generationem concurrat, qua ratione fortassis Auerrois quoque uterum ita laudibus extulit, ut membrum diceret principale quodam principatus modo. Verum, ut ab grammaticis aliquid item mutuemur, uterum dicunt etiam delphyn, unde ἀδελφοὶ uocant fratres, qui utero prodierint eodem. Hippocrates etiam γυνή appellauit, quod uerbum illis gentibus partim quidem foetum signat, partim uero genitale profluuiū: ut antè paulo prætexuimus. Uteri supernas quasdam portunculæ obliquatas, nuncupant ceræas, id est antemnas, & plectanas, hoc est retia. Vtrinque uero habentur ὄμοι, siue humeri: postea est collum, uel trachelus, cuius os uocatur porus primus. Celsus canalem interpretatur. Quæ mox sequitur inanitas, ἡλὼσις, id est sinus dicitur muliebris. Vuluam deniq; Græci nunc μήτραν dicunt, nunc ὕσῆρα. Vnde sunt μητρειχύτου organa, cuiusmodi & catheteres, id est κρηπίδες, atque item clysteres, quibus in uulua caulatione sese ostentante, intro medicamina infunduntur. Ex forma eadem nuncupantur otenchytæ, id est ὀπυχύτου. Catheteras proprie fistulas in directum foratas intelligunt, quibus in uelicam medicamenta infundimus. Describitur à Galeno uulua, ἀγγεῖον λυγρὸν. id est uas foetū conseruans. Insignis eius affectio est, ubi σκλήρωσις, id est obdurefcit. Scirrhī simile est, quod in uulua collo nuncupatur scleroma, id est σκλήρωμα. Habetur apud Paulum hysterica pnix, siue πνίξ, quam uertere suffocationem possumus. ἐμπνιδματῶτου quandoq; id est tumescit spiritu, ex frigiditate interdū, aut ἐκ δυσκίας, hoc est partionis difficultate: ore præfarto oblitatoq; uel etiam θρόμβοι παρασφλωσθέντες ἐν αὐτῷ, hoc est, thrombo siue malis grumum dicere, in eo amplius concreto. Inuenies item ὕσῆρας πρόησις, quam recte procidentiam uulua dixeris. Fit in ore interdum & ὄμις. Sunt eadem quoque parte ἑαγώδιες ex partione uiolenta: nam & ἑαγώδιος impetuofus dicitur. Ipsam uero pariendi moleftam diffcultatem δυσκίαν, ut significauimus uocant, uel parientis ratione, uel infantis, aut πῶ χωεῖς, crassi nimis aut prætenuis. Obladit aer extimus quoque, caloris uel, aut frigoris. Appellatur uero χῶρον, quia sit χῶρμα, id est infantis alueus: aut quia χωρηγῆ, id est suppeditat ei cibum. Embryon porrò duplex ambit tunica: interior, quæ & tenuior est, ac mollior: Amnion ab Empedocle appellatur, ut auctor est Pollux: exterior uero chorion. Intra muliebrem pudendum eugion est, siue hymen integritatis argumentum. Ea uero neruosa intelligitur exilitas, quam primus conuellat congressus, Ecbolia dicitur medicamina

dicamina, efficiendo foetui comparata, phthoria item uocant: nam atocia cōceptum præpediunt. Apud Aristotelē comperias, ecrysin nuncupari partus effluxum intra diem septimum. At ad quadragesimum ectrosmos dicitur. Illud sanè admiremur licet, quod prædit Dion, Pnyllos esse omnes uiros, neq; enim compertam esse Pnyllam foeminam. φυντα δέ, inquit, ἔξ ἀλλήλων. Natos experiundi gratia serpentibus obiectant. Hinc doctè admodum, & scitè Pnyllos nuncupamus, qui pnyllos agunt quodammodo, obtrectatorum occurrentes ueneno. Rhoicas mulieres uocant Græci, quibus è locis distillationes contingunt, toto se illac expurgante corpore, mensum omnino ratione diuersa. Locarium ad locos muliebres attinet nihil, sed ea uoce intelligimus, inquit Varro, quod datur in stabulo & taberna ubi consistant: unde Martialis illud liquidò explicatur, Hermes diuitiæ locariorum. In quo fluctuat Domitij sententia. Loculata areolæ pictorum. Et loculata piscinæ, ubi disciuli habentur pisces dispares, sunt apud Varronem. Dicitur & laciniata possunt, ex Columellæ octauo libro, qui laciniatas uocat partes diuisim seiunctas. Locularem resinam legimus in Palladij libro tertio, Vtriculos dixit Plinius frugum tuniculas, quæ si exterantur, gluma iam nuncupatur, uel acus.

Septenarij ratione, intima corporis cōstare: item extima. De septenario paula.  
Cap. xxxiiii

**A** Dīciamus porrò Macrobij ex Naturalium priore libro sententiam præclarā, qua comprobatis, humani corporis tam intima, quam extima numeri septenarij ratione consergere. Septem, inquit, sunt intra hominem, quæ à Græcis nigra membra uocantur, lingua, cor, pulmo, iecur, lien, rhenes duo: septem item alia cum uenis & meatibus quæ singulis adiacent, ad cibum, & spiritus reciprocationem destinata, guttur, stomachus, aluus, uesica, & intestina principalia tria, diaphragma, mesenterion, hira. Septem sunt quoque gradus in corpore, qui dimensionem altitudinis ab imo in superficiem complent, medulla, os, neruus, uena, arteria, caro, cutis. In aperto item septem sunt corporis partes, caput, pectus, manus, pedesq;, & pudendum. Item quæ diuiduntur, nō nisi septem compagibus iuncta sunt, ut in manibus est humerus, brachium, cubitus, uola, & digitorum nodi terni. In pedibus uerò, femur, genu, tibia, pes ipse sub quo uola est, & digitorum similiter nodi terni. Et quia sensus eorumq; ministeria, in capite natura, uelut in arce constituit, septem foraminibus sensuum celebratur officia, oris, deinde oculorum, narium, aurium binis. Quare numerus hic totius fabricæ dispensator est, ac dominus. Sed occurrat forte nunc aliquis, ecquid ista corporis humani structuram faciāt augustiorem? Respōdendum uerò, facere utiq;, quoniam numerus hic perfectionis plenitudinem cōtinet. Nam & Cicero septenarium esse rerum omnium nodum pronuntiat: quippe geminam uim obtinet uinciēdi, quia ambæ partes eius uinculā prima fortitæ sunt, ternarius cum una medietate, quaternarius cum duabus. Porrò is est perfectus numerus, qui ex pari cōsurgit atq; impari: nam impar numerus mas, par uerò foemina creditur. Sed & numeralis scientiæ studiosi patris appellatione imparem censent, parem uerò matris. At dicat quis, inest uirtus hæc alijs item minoribus numeris. Inest quidem, sed ut septenarij partibus. Possē hoc loco argumentis peruincere, totam in utero infantis fabricam isto dispensari numero, nec non totam hominis uitam: sed superest de hac re pragmatia, ubi pleraq; attingemus. Quæ modo allata sunt, præmonstrant, dum ne cæcutiamus, diuinæ maiestatis sapientiam, à qua tot tantisq; insigniti bonis sumus, ut in delicijs esse nos, fateamur necesse sit, modo succinat unusquisq; sibi, Nosce teipsum. Nec Origenis delyramenta recipiat, Adam peccante, imaginem dei perijcisse, quam sententiam, ut alia præteream, quæ non omisit Epiphanius, illud facile subruit apostoli Pauli, qui euangelicam doctrinam sua prædicatione compleffe creditur, Vir comam nutrire non debet, quum gloria & imago dei sit.

Summum hominis bonum esse in deo, non in uoluptate aut potētia uel uirtute. Impietatis humanæ taxatio.  
Cap. xxxv

**N**ec habui de hominis præcelsa natura, quæ in literas commetatione iusta promerem. Ea labore nō paruo ex diuersis cōgesta, si exactius quis paulò humanior uocarit ad librā, fatebitur (opinor) quod initio astruximus, Hominem esse miraculum magnum atq; diuinum: sed tum equidem maius  
n 3 etiam

etiamnum miraculum, si tanta diuinitatis cura & prouidētia inenarrabili & creatus & ornatus, & singulis momentis connutritus, defensus, ad uitam uere uitalem tota uī prouocatus, ut plerunq; sit, sensibus mancipatus obbrutescat diro peccatu prorsum, nobilitatis, & finis oblitus. Ac sacrum illud numisma non concidat modo exculcetq; sed agere adobruat altiore, ut scelerum labe pressus altissima uix dici arbor queat, iuxta illam veterum sapientium animarum tropologicam transmigratiōē. Est profecto, ut ab nostra religionis patribus astruitur, & nos supra attigimus, summum hominis bonum, etiam si in zonula super sit nihil, aeterna, & ultramundana uita, Summum malum autē thei consortium impijssimi, & mors prorogata in infinitū. Præclare siquidem ut omnia, decimo Ethicorum philosophus: Oportet, inquit, non quod moment nonnulli, humana nos sapere, quod sumus homines, nec mortalia, quia mortales, sed quoad effici potest, immortalitati ipsos nos asserere, cunctaq; efficere, ut ea degamus uita, quæ ab eo profuat, quod in nobis est præstabillimum. Qua ratione Homericō more nuncupantur homines θεοειδής, idest deo similes, sicut mali nunc ceruis assimulantur ab eodem, nunc tygribus aut leonibus. Verum diuersi abeuntes in terrenam deuergentiā quadam reflectimur naturam, hanc tractamus unam fallaciosis illecti oblaqueatiq; ambagibus, hanc cogitamus, huic inhæremus affixi, efferamurq; adeo ut persæpe quod M. Cato dicebat, Succidias humanas faciamus. Sed imperitiores miremur minus, quoniam (ut dicitur) nec Falernum canes. Inter eos qui sibi sapiētes uidentur, mira est de felicitate disceptatio. Nec illud perspicunt saltem, ut cūq; bellicum canant, inferat signa, diuersam aciem impressione ualidius facta, fundant fugentq; commori omnes perinde ac bruta. Bonumq; ni perniciosior superesset animæ interitus cum æternis pœnarum cruciatibus; quādo (uti fertur) dei summatis tessera nunquam. Ad recte cadunt, ac illius iudicio præcipue excusso fieri impostura nequit, quoquo nos torserimus, uel Proteo multiformes magis. Nil suspici animaduertas, rapi omnes calle quidem diuerso, errore tamē uno, quo ab parēte reuellimur, ueluti hac una ratione nascamur, ut uel uoluptatibus irretiti, in earum titillationes scyllum renidentes caput animamq; demergamus. Aut uī crassemur in proximum, omnia nobis corrogantes uendicantesq; aut scientiæ inanis gloriolam captemus. Erumpere agminatim maxime uideas, qui uoluptate cuncta metiantur, nilq; habeāt ratum, nil pensum, nisi quod ex illius fuerit decretis. Si quidem eō passim ab mortalibus cōcurritur, ut Seneca inquit, ubi uoluptatis laus insonuerit. Sed pullatos nil moreretur. Eudoxus philosophus, nec astrorum inscius, esse summum bonum uoluptatem, ut illi uidebatur, inde colligebat, quod eam affectarent omnia. In quam sententiam toto pede Philoxenus iuit, & ut Aristotelis monumēta testantur, γὰρ ἀνὴρ λαρόν γα εὐχρηστὸν, gruis collum ut haberet, exoptauit, quo diutius bibēdi edendiq; titillatione posset perfrui. Iam passim commonentem audias, Ite (ait) o pueri, pariter sudate medullis Omnibus inter uos, non murmura uestra columbæ, Brachia non hederæ, non uincant oscula conchæ, Et Persarum rex Xerxes nouæ uoluptatis repertori præmiū cōstituit. Hinc est & Ephesiorum nobile decretum, qui (Strabone tradente) cum singularis modestiæ ac frugalitatis uirum Hermodorum eiecissent: Nemo, dixerunt, apud nos frugi sit, nemo unus excellat, uel si excelluerit, abeat. Quo nomine dignos fuisse qui stragularentur omnes, pronuntiavit Heraclitus cognomento σιγελός, ut planè impudicos, expatriatores, fures, perperos, appetonēs, tenebriones, ut mihi sic interim loqui permittam, nec tamen sine exemplo. Pleriq; etiamnum ex philosophis ita uoluptatis imaginem concipiunt, ut illā in folio statuāt regio, ueluti humanarum planè reginam rerum. Quod uerò ferendum minus sit, uirtutes ei subijciunt ut famulas, nutum quoq; ne quid indignationi desit, obseruantes, ut euestigio, quicquid uisum illi fuerit, exsequantur, tanquam illuc demum productio hominis spectet, ut cibum potumq; delectamentis implicitus percollet: ut in Quæstionibus Seneca dixit seuerissime: ac libidine omnisfaria diffuat conturbetq;. Quum tamen sciant, ab Antisthene pronuntiatum, insanire se malle, quàm uoluptate deliniri. Et recte ille quidem: nam quintodecimo Punicorum apud Siliū ita legimus, Quippe nec ira deū tantum, nec tela, nechostes,

Quantum

Quantum sola nocēs animis illapsa uoluptas,

Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus &amp; atris

Circum te semper uoluitans infamia pennis.

Alij uero Liuianū illud assidue mente repetunt, & uerbis identidem ingerunt. Regnum res est inter deos hominesq; pulcherrima. Reges putant deos esse terrenos, qui ab exili tenuiq; initio coorti ad præcellē maiestatis instar excreuerunt emicuerunt. Quod & Anaticum dixisse quandoq; proditum memoriæ est. Hinc & illud Cæsaris tyrannico spiritu tumentis in Alpium transitu: Mallem hic esse primus, quàm Romæ secundus. Equidem præfici gentibus, longe lateq; summotis omnibus, imperitare, honestissimum cenferi posset, ni ita nos instrueret Seneca, Simul ista posuit cōditor mundi deus, odium & regnum. Proinde & rex ille, ubi amplius diadema expendisset: O nobilem, inquit, potius quàm felicem pannum: quid enim, ut inquit Catullus, solutis est beatius curis? Partim sunt qui relictis abdicatisq; omnibus, uirtutē modo amplectentur cōfoeantq; ueluti sapiens sit planè omnia, & ut Horatius inquit,

Vno minor Ioue, diues,

Liber, honoratus, pulcher, rex deniq; regum.

Profecto non abnuerim esse uirtutem altum quiddam & eximium, multa undiq; splendoris luce circumfusum, si modo recta insistas uia, nec quod multis usu uenit, ἀνὸ τοῦ πρῶτου philosophis, ac μέγιστον τὸ λεγόμενον: etenim adnexum uideo superbiæ stuporem, & quod grauissimum est, incitiam aut negligentiam eius, qui omnium est uirtutum pater & largitor. Quanti demum scientia est impietate constipata? Immo quid inauspicatius, uel ut καυλιῶ τῶν οὐρανῶν dicam, quæ esse scētutina spurcior potest ac fœdior? Expende conspectus, Tument colla sapientium, riger ceruix, os obliq;atur: dum intra se nescio quid cornicantur, uel stupentibus in terram oculis, ut inquit Hieronymus, tumentia uerba trutinantur. Vt si præconem addideris, incedere præfecturam putes. De deo nulla, aut rara prorsus sit mentio. Quid cum Platone mihi, quid cū Aristotele? si laudibus perstrepuunt scholæ, resonat forum, animam suppliciorum diritate distrahi audituri, ac uisuri sunt inferi? O felicitatis infelicissimum genus. Quid porro cum felicibus æui tam breuis, immo uero nullius? Quid quod præcisa combinationum ratio in corporeis rebus; & notū coaptatio ad ignotum scita, congruaq; humanum supergreditur captum? Quo sanè argumento expressum Socrati est, uti se unum modò prædicaret scire quod ignoraret. Quādo & astruit Solomon, cunctas res difficiles, ac sermone inexplicabiles. Et alius diuini uir spiritus absconditam esse profatur sapientiam, & intelligentiæ locum ab cunctorum oculis uiuentium. Quin & scientiæ profundioris Aristoteles in prima philosophia, eiusmodi nobis difficultates oboriri scribit, in natura manifestissimis, quæ nycticoraci offundantur solem inspicere tentanti. Hinc eruditorum nobilis est illa coniectatio: quum scire experant omnes, nec frustra omnino esse appetitus queat, desiderare quæq; ut se ignorare sciat. Quod si plene, affatimq; assequamur, doctā prorsus nos affecturos ignoratiā: quo nil magnopere perfectius posse homini obtingere, quàm ut in eo quod est illi genuinum, comperiatur doctissimus. Qua in re tanto item quis censetur doctior, quanto se recognorit indoctiorem. Quæ quum ita planè sint, expergiscere infelix anima, respicere: quid ueneris, amplius ad examē reuoca: quid sis, metire. Miraculum esse, te docui, & quidem diuinum, addidimus uenerandum & adorandum: docuerat, addideratq; prius Aegyptiorum regalis sacerdos Mercurius. Tu uero diuini adiectionem exhorrescis, sarcinale brutum sponte & consulta opera amplexaris, & perficis: uelutq; graui libramento plumbi recellis ad solum. Maximū dici miraculum maui. Quid enim maui quàm diuinam imaginem, immortalem, tot, tantisq; luminibus illustratam, tam lato, tamq; numerofo bonorum agmine obuallatam, cœnosa semet ac rediuita fœditate circumlinere, glomerariamq; ac sanguinariam, & uirgilianum Vcalegonta subinde referentem, ingruentis securam mali, brutum induere: dictum enim ueteribus est, hominum effigies habere animos ferarum: illum uero omnia supereminētē, luminum, ac bonitatis patrem, qui nos ab angelis paulo minus deminuerat, qui uultus sui lumen signauerat super nos, aut ruditer nescire, aut per summam impietatem cōfertis (ut dicitur) manibus negligere? Hac ratione esse cœpit bulla hominis uita, humana omnia pul-

n 4 uis

uis atq; umbra, Magistratum instar, quos dicunt codicillares, qui dignitatis contenti nomine, à re absunt procul. Nec tot fuerint notariorū puncta, quot nostrorum sunt detrimenta temporum. Nos tamen nil omnino Neuiānum illud attendentes, Pati necesse est, multa mortalem mala:

eum qui solus est, fuit, erit, liquimus, ad imaginosa reclinamus, Vitalis lux nobis erat contributa, ut per illius essentiam ueram, unicam, fecundissimam, & nos aliquid esse inciperemus uere, unice, fecundissime. At nos terrena respectamus, quum animas nostras esse uoluerit præpetes deus, non inferas, uel tanquam chrysomallas oues, ceu cum Epicuro succinentes, Quod supra nos, nihil ad nos: mentis instantia et uigore hebetato. Nec aduertimus, mortalem esse hanc, & per momenta euanescentis naturæ prouinciam. Sed utinam unicus ille, uerus bonusq; summi patris, summus filius, humanæ impietatis diuino & pretij incomparabilis sanguine, in terrarum conspicua altitudine ineffabiliter profuso, expiator infinitus, ita quandoq; mentes omnium suæ claritatis fomite incendat illustretq;, ut nouum hominē induamus omnes, & quod abstulit peccati labes, restituat pietatis candor, qua efficiamur una uelut argentum purum putum ac emaculatum & candefactum, nullaq; sit dies *μῆρ ἡμέρα, ἀλλὰ μητρὸς πᾶσαι*: ubi iuxta prophetici afflatus proloquium in domini montem conscenderimus, in semitis eius ambulantes. Quibus etiam si fuerint uti coccus peccata nostra, dealbabuntur tamen, perinde ac nix. Deus omnipotens mirabilia facit solus, dei instrumentū homo est, ad magnifica perpetranda accommodum. Sed tamdiu mirabilia exsequitur feliciter, quamdiu diuino morigerum se præstat artificio. Proinde bracteatum illud recinendum sæpius, Vivendum esse hodie, quando qui cras uiuit, nunquam uiuit. Quod si hodie expetis uiuere, deo utique uiuendum, quippe in uno eo heri & cras non prorsus aliud sunt, quam hodie. At hominū pleriq; male uiuunt hodie, cras solum bene. Cæterum iam hinc nos ad Musarum nostrarum gustum & saluam conferemur, eo tamen præscripto, uti respicere liceat, ne prorsus refugæ credamur, dum Cleanthis reclinemus spinas, & contorta etiam Chryssippi.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN LIBROS ANTIQVARVM  
lectionum Præfatio quinta, ad præcellentem philosophum  
& medicum Nicolaum Leonicensem.



Cis, opinor, uir eminētissime, in studiorum meorum (ut sic dicam) infantia, Ferrariæ prima moralis philosophiæ stipendia tuo me ductu & auspicijs fecisse. Quam uero ex eo tibi multiplex eruditio tua & lectio tantum non infinita, ingenium feracissimum, & omnium capax memoriæ thesaurus: addo etiam Græcæ Latinq; facundia scientiam præsignem, quam eruditus ita es, ut excellas: hæc inquam omnia, quam tibi me affecerint addixerintq;, sum ipse mihi testis uel locupletissimus. Sed animaduertere potuisti tu quoq;, nec enim tibi defuit unquam obseruantia meat: quæ auctior reddita in dies facturo nunc mihi publicam materiam, quicquid in literarum quasi palæstra peruigilatum ad hanc horam est, amplius expressit, aurem quodammodo peruellens, ut te ueluti clarissimum artium bonarum lumen in huiusce gloriæ, quantulacumq; ea sit, participatum clementer aduocarem. Ita enim futurum, ne officij tui & meritorum in me dilapsa uideatur memoria. Esse quidem repensionem hanc operæ leuioris, ac pedariam, nil me fallit: etiam si scruta ut uendat, scrutarius laudat: sed & quæ nec uerti uitio possit, aut debeat, quando salta tamen mola litare creduntur, quibus defuerint thura. Te quoq; in excellissimo doctrinarum fastigio surrectum stare, dilucet arbitror, & norunt omnes. Quo sanè nomine temeritatis agi posse mecum, animaduerto, ut qui nugalibus forsan inuentis altitudinem tuæ contemplationis ineptius obstrependo auocandoq; uidear interpellare. Etenim scitum illud est, Muscas ab aquila non cerni. Et quis agat in scæna gestum, spectante Roscio? Cæterum uir præcellens præsto mihi parte hac Platonis sententia diuini est, qua scribit is, responsum quandoq; ab Ammone, Pluris se Lacedæmoniorum aptam facere orationē, quam aliorum munera uel opulentissima. Quæstum tibi laudis ac gloriæ com-

pendium

pendium is magnum nō premonstramus, sed pectoris intima prospicienter referamus, ut gratum memoremq; me iam hinc notis agere discipulum, cordiq; ac memoriæ insigniter habere, qua me hilaritate, quam miti oratione aduentem, etiā si à sole occaso sæpius, hærentemq; exceperis assidue, Quod phaleras nil moreris, & nomina uana Catonū, patefactis ingenuè facundeq;, quibus uelut moramentis molestioribus tenerer implicatus. Quo fit, ut quum immensa sint quæ inde tibi debeantur, insita uerò imbecillitate pauca uel prorsum nulla queam præstare, in hoc reclinari diuerticulum, ut procliue saltem, nec (opinor) ingenerosum animi propositum ingererem tibi, inq; memoriā cæteris darem: & quod ille apud Senecā facit, Ipsum me oblatum uellem, etiā atq; etiā comprecatus, munus istiusmodi, quale id cumq; sit, boni consulas, putesq; cæteros, etiā si amplissima contribuant, plura tamen multo sibi relinquere. Qui ipsum se tradit, reliqui sibi facit nihil. Et fuerint hæc quidem *αὐτὸ ἑμὸν δῶρον ἀρετῆς*.

## LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI ET QVINTVS.

Historia iucunda bellī in Venetos gesti, qua tempestate nobis ista elucubrantur.

Cap. I



QVI DEM si alias unquā res hominum esse omnino nihil, & statu incerto, quam dicunt *ῥοδιγίνας*, rotari omnia, concipere licuit, id clarissimum diuina potentia, nobis ista pro dentibus effecit: ut si quando in dubium uenerit, Esset ne prouidentia ulla, nunc luce constiterit clarius, uigere præpotēs nomen, cuius nutu uel minima quæq; dirigantur dispensenturq;. Quo enim tempore commentabamur ista, exortum est atrox in Venetos bellum, conspitate in eos uniuerso occasu. In primis uerò Romanæ ecclesiæ pontifex longe clarissimus Iulius, eius nominis secundus, aduersum præpollens terra mariq; imperium spiritus erigere ausus est, reuocaturus ciuitates ecclesiastico imperio superioribus annis ui ademptas. Sed ad tantam belli molem prætenues erant animi ingentis uires: peregrinis ergo auxilijs opus uidebatur, ne uana fieret sine robore indignatio. Adiunctus igitur Maximilianus primum imperator, mox & potētissimi reges duo, Gallus, Hispanusq;. Aderant in Italia parati ad partes reguli aliquot, Alphonsus Ferrariæ dux, cui pater Hercules fuerat, singulari prudentia uir, & in bellicis rebus cullibet ferè ueterum comparandus. Eum nos uiuentem uidimus sæpe, nec sine admiratione præsigni, quum pro uerbij uice passim tota Italia usurparetur Herculis ducis calliditas, cui plus inellet ingenij, quam cæteris omnibus, quotquot bellandi usu censerentur ab Alpium radicibus ad fretum. Eum Veneti annum uigesimum septimum ante quam nos hæc promeremus in literas, illato bello ex contētionē de finibus, bona principatus parte exuerant ademptum enim Rhodigium metropolis regionis eius, quam inter Padum Aresinque positam Policinum uulgo dictitant, Cheronesum Græci, sed & Latini nuncupant. Interluit Plinij testimonio nobilis Tartarus. Apparent multis locis Philistinæ fossæ uestigia, cuius est apud eundē mentio. durat etiamnum nomen, sed paulum modo luxatum, qui uetustatis mos est, Pistrinam dicunt. Adempta & oppida duo iuris Rhodigini Lendenaria, & Abbatia, ademptus & agrorum numerus magnus, qui fertilitate ac frugum bonitate certant cum optimis quibusque, ut non minus uere dici possint Italiæ sumen, q̄ olim Rosæ campos dixerat Vopiscus Cæsar. Iniuriæ tam insignis memoria perurgebat filium: qui paternæ uirtutis hæres quoq;, ac multis nominibus Veneto infensus, summa ui affectabat, reuulsas ab corpore uelut particulas pro uirili in integrum restituere. Affuit & Franciscus Mantuanus marchio, ut nunc loquimur, cuius maiores ijdem Veneti male multasse uidebantur. Affuerunt & alij, qui omnes tanquam ad commune inuendium restinguendum coorti conspiratu mirabili, Venetum undiq; infestare ceperunt

runt. Gallorum rex Lodouicus Italiam ingressus copijs egregie ad belli usum simul armis, simul ductoribus ac bellandi peritia instructis, ad quadraginta fuere hominum millia, citra Abduam fluum ferè millibus passuum duobus confedit. Pontificis exercitus Fauentiam Rauennamq; inuasit. Venetorum copia ad quinquaginta hominum millia Gallis sese obiecerant. Defecerat oppidum nomine Triuulium ad Gallum. Id situm est in Abduæ ripis. Aduam uocat Polybius. Eo nomine inflammatus ira Venetus, & indignatione præceps summa ut id oppugnare adortus cepit. Vbi nullum non crudelitatis genus in oppidanos æditum, quanquam ducibus inuitis. Ciues interfecti omnes cum puberibus. Patuerunt ad libidinem uilissimi cuiusq; infeliciter natæ uirgines mulieresq;. Viceni triceniq; miseræ etiam in propatulo constuprabant. Nec sacris corporibus ita pepercit uictoris. Oblatam audio CHRISTI suffixi tremendam imaginem, additis, quas tempus exigebat, lucuosos precibus. Sed cæca rabies, in suamq; surda perniciem exculcat omnia, æquatq; solo. Dictu nefas est, quod sequitur, & ipse narraturus contremisco, quod militaris impietas perficere non expauit. Conditorum sacrosancti corporis, in quo restituti omnes fumus, rapturus auarissimus miles, in effabilis mysterij panem dicam, an uerius dei præpotentis filium profudit, ut uilius nescioquid, ac gaudio gesties, quem supercælestis natura reformidat, laudant celi, ueneratur quicquid est, humi etiam, ut opinor, liquit iacentem. Sed audi quod insectum est, Haud ita multo interiecto tempore, discordi ab hisce bellis primitijs exercitu Veneto, pars una Gallum, Prandinū oppidum haud ita ab flumine distitum inuadere cogitatem, ducentis ferè ab fluuio passibus audacius adorta est inter Cassianum, Triuulium & Riualtam siccam, id loci nomen est. Ibi commisso prælio acris, uictor Gallus, tum consilio & uiribus, tum bellicis tormentis, quæ inter uepreta mirabili arte defixerat, ad decem millia hominum confecit ex hostibus. Machinas omnes, quæ innumerabiles erant & pretiosissimæ, cepit. Captiuorum numerus, & spoliolum immensus. Tantis uerò Venetum terror incessit, ut equitatus omnis turpiter seminudus fugæ se mādaret, tam præcipiti cursu, ut per multa millia passuum munimenta e quorum, hominumq; abiecta passim uiserentur. Nec tamen incruenta stetit uictoria tunc Gallo; quinq; ferè milia desiderata. Quod si, ut prædicant pleriq;, ambitione resecta, Bartholomeo Aluiano, qui in hostes impressionem fecerat, comes Petilianus opem ferre non recusasset, non mediocri clade constaturam fuisse Gallo putant eius diei pugnam. Cæterum utcumq;, ab eo prælio tam improspere, tamq; ominoso, ut mox euentus docuit, insigne spectaculum cunctis gentibus de se præbuit Venetum imperium. Siquidem ueluti accisæ forent omnino uires urbis paulo antè florentissimæ, exercitum militibus conscriptis reparare, ciuitates confirmare, ualido imposito præsidio, Venetus negligere est uisus. Scires altius, quàm pro specie infixum uulnus stare. Nec id ferè latuit. Nam quum accepta foret clades quartodecimo Maij, salutis anno millesimo quingentesimo nono: intra diem tertium & uicesimum amisit Venetus Italia principatum nō paruū, ad lacunas suas tatum non infeliciter reductus. Mira certe res fuit, tam breui spatio exui imperio, quod defudantes maiores uix annis centum, maximis artibus domi bellicæ administrata republica, ciuitati omnium nobilissimæ adiecerant. Admirationem augent urbes munitissimæ, quæ ueluti dato signo, ad hostem nulla prorsum uel expectata defecerunt. Arripuit ergo Gallus Cremonam, Bergomum, Brixiam, oppida multa, quæ in regionibus illis uisuntur. At imperator sedens etiamnum domi, & (quod aiunt) post principia constitutus, nec uisa omnino Italia, Vincentiam, Veronam, Patauium, ubi tunc nos ista euigilabamus, Goritiam, Tergeste, totum Iulij forum, Utino excepto. Alia ex parte Pontifex ad uexillum reuocauit ecclesiasticum Rayennam, Fauentiam, Ariminum, Ceruiam, Ferrariensis dux Rhodigium, & reliqua eius loci summa alacritate recepit. Cedit hoc in laudem Cheronesi nostræ plurimam. Ab ea intercepta prius non desuisse Italiam Herculis ducis ingenio agitari motibus, dum possessione Venetos deturbare studet. Quin & ipsum hoc tam funestum bellum illinc parte plurima pullulasse constans opinio est. Adiecit imperio Alphonsus Montem silicis & Atteste: unde principes Attestini creduntur cognominati, quos Estenses dicitat imperitum uulgus. Id postea quàm resciuere Veneti, negotio ad senatum relato, credo, alia super aliam nuntiata clade, principes alioqui prudentissimos, & Leonardum in pri-

mis

mis Lauretanum tunc Venetiarum ducem adeo concepta uicit indignatio, ut euestigio decerneretur, copijs omnibus quum terrestribus tum naualibus petendum esse Rhodigium, atq; ita æquādum solo, ut deinceps Rhodigium quæreretur Rhodigij. Cæterum ubi id amplius perpendētibus mox est uisum irati potius senatus consilium, quàm principum electissimorum sententia, antiquata statim res est. Porro utcumq; imperatore nimio plus cessante, quum sine præsidio esset omnino Patauium, Venetus, qui paulo antè de salute publica despondere erat uisus, oblata rei bene gerendæ opportunitate, ad sextumdecimum calendas Sextiles, ad solis emersum cum delecta manu equitum leuis armaturæ prius, mox & peditum, qui cladi superfuerant, Patauium irrupit. Adeoq; inopinata res fuit, ut in foro prius diui Marci uexilla sint uisa, quàm ullus omnino hostium præsenferit aduentum. In quo mirari licet Venetorum illustrem clementiam, capta erat ut quodammodo urbs Italia clarissima, superfuit illis tamen altitudo animi tanta, ut contra ullam omnino cadem transecta res sit, etiam si defectione fuerant uehementer commoti, quod Venetæ urbis esse ueluti cor, Patauium uideatur. Cessere in prædam Iudæi modo, nec non domus omnes eorum, qui nouis rebus studuisse uidebantur, in quorum aliquot Venetias missos scuitum amplius est, & certe Patauina nobilitas insequentibus temporibus, atrocissimo ex defectione conflato odio, tantum nō ad extrema dilapsa est. Vidimus ipsi per summum errore milites auide proposita diripientes bona, clamores dissonos hinc inde audiebamus inuicem se uulnerantium prædatorum & foeminarum sese afflictantium, imuberumq; miserabiliter fortunam deplorantium suam. Affuit & rusticorum uis magna, quibus connitentibus maxime confecta res erat. Proinde in prædæ partem iruebat efferata illa quoq; multitudo: unde, sicuti necesse erat, tumultus obstrepebat intolerabilis, insueto præsertim, quando & incognitum erat, quoniam progressura foret uictoris ira, expectante uno quoq; eadem, incendia, rapinas, suspensia nobilitatis Patauinæ. Sed clementius mox acta omnia. Ex Veneto exercitu uiolentius, & præter institutum grassantes pleroseq;, rapientesq; uidimus gula fracta passim tota urbem propendentes, seuerissimè pœnas exigente Andrea Grito, quem tum copijs Venetus præfecerat, quiq; annis aliquot post dux est Venetiarum creatus, & nos patriæ nomine gratulatorium illi Panegyricum diximus. Insequentis die capta arx quoq; deditionem faciente Leonardo Dresano Vincentino nobili, qui Imperatoris nomine Patauium fuerat ingressus. Capti ibi quoq; ciuium multi, omnes Venetias missi. Paulo post & Patauini alij, qui modo suspicionem aliquam de se facerent. Eodem impetu recipitur Mons silicis, Atteste, Montagnana. Contigit & mira res: plebs omnis, nō Patauij solum, sed alibi quoque pro Veneto imperio stare, rustica turba eodem tendente. Qua etiam latenter grassante, Mantuanus marchio Franciscus rei militaris peritissimus, & imperatoris artibus insigniter perillustis apud Insulam Scalæ, id in Veronensi agro loci nomen est, interceptus Veneto traditur, ductusq; Patauium diui Laurentij die, qui est Augusti decimus, confestim & ipse Venetias mittitur. Iussu deniq; Pontificis diu post liberatus, in patria se in posterum continuit. Eodem ferè tempore affuit Imperator exercitu numero sissimo Patauium expugnaturus. Erant in castris præualidarum gentium peritissimi ac fortissimi milites, Germanus in primis, deinde Gallus, & quum ab rege tum ab Pontifice missi Hispani. Nec Italica uirtutis flos deerat, Hippolytus Attestinus, & idem Alphonsi Ferrariæ ducis frater, uir animi excelli, uirtutis expertæ, ingenij semper in numerato, & rerum nouarum audissimij eos ductabat. Erat hic quidem honore Cardinalis ac Pontifici gratissimus, sed Herculi patri similior, quàm eius loci sacris uiris, Veneto infestus in primis ex antiquarum iniuriarum memoria. Quamobrem paternis odijs nimio plus imbutus uim magnā tormentorum ad belli usum in castra conuexerat, quibus moenia Patauina sic quatiebantur, ut stadiorum ferè trium spatio, ea urbis parte, quam Caiudam uocant longam, non procumberent solum muri, sed penitus extererentur. Cæterum miro ingenio & celeritate inenarrabili Venetus introrsum militarem excitauit aggerem per totum ferè urbis ambitum, qua modo uiderentur hostes impetum daturi, die noctuq; opere continuato. Adiacebat aggeri extrinsecus fossa pedum altitudine quatuor, in imo substratus erat puluis ad apprehendendum ignem, & omnia fumo incendioq; momento complenda mixtis naturæ: sarmenta puluerem conuelabat: si quādo insur-

geret

geret hostis moenia inuasurus, summa alacritate deuolabat delectissimi pedites lanceis instructi, ac introsum insidentes imo aggeri, qui ab ea parte accliuus erat, maximo contemptu irruptionem operiebantur. Tantam uero praese ferebant animi altitudinem, ut sibi pollicerentur identidem, nihil unquam ausurum hostem quamuis audacissimum ferocissimumque, & (quod maximum est) miro fortunae afflatu elatum. Quin & feles lancearum apicibus, orbe ligneo suffixo, alligabant, surrectisque in procestris (sunt haec munimenta castrensia) lanceis, iocis militaribus & inconditis hostem ad felium uenatione prolectabant. Vidimus nos uniuersa haec, quumque arderent bello omnia, & aenei globi tormentis excussi noctu magis, sed & interdiu saepe circumuolarent aures, & singulis horis pro aris, focus uitaque dimicaretur, tamen etiam si terrore tum praesentium, tum iam iam ingruentium malorum aestuaret mens, omniaque non simulacris, sicuti assolet plerumque, atque imitamentis, sed ululatus ueris ac spirantibus quaterentur, ista commentabamur. Durauit sequimense ferè obsidionis calamitas. Nam repente Octobribus callendis nulla euidenti causa, conclamari uasa iussit Imperator, ac re infecta raptim transmisit Alpes. Quo tanto successu Venetus, de quo pauloante conclamatum uidebatur, gloriari plurimum coepit, ut qui peditum quindecim millibus, equitum leuis armaturae millibus quatuor, grauis, seu cataphratorum non octingentis amplius, quas uires sub obsidionem ipsam mira celeritate contraxerat, hostiles copias, in quibus ferebantur peditum ad octoginta millia, equitum uiginti, summa uirtute praeter omnium spem reiecit. Fuit ea aetate siccitas adeo aestuosa, uix ut perennes suffecerint amnes. Ea res plurimum iuuisse hostes credebatur, ita ut passim militari iactaretur ioco, Deum esse Germanicarum partium. Commearus haud ita arcti habebantur. Quod si diutius oppugnata urbs foret, in tanta hominum multitudine haud dubie tandem uentum esset ad inopie ultimam. Sed hoste demigrante, confestim laxior redijt annona. Omnino toto eo tempore terrores urbi inferebantur atroces, tanta Barbarorum multitudine circumstrepente, ac sub inde assultante. Nusquam tamen armis moenia inuadere adortus est tam formidolosus hostis. Nec unquam ad certam uis aleam uentum: semel tantum Hispani quidam, trecentos fuisse constat, munimenta inuasere, quibus ferro ignique absumptis, plus deinceps minarum, quam uis aperta fuit. Caeterum Venetus iamiam sibi fidens animosus, ueluti interceptas urbes repetiturus per magnos imbres Vincenia signa intulit. A qua nullo negotio deditioe facta, belli pestis Veronam petere est uisa: sed ibi maior se rerum moles ostendit: quam obrem deflexit Venetus, Rhodigina Cheroneso recepta, uelut summa uel Ferrariam oppugnaturus, passim per edicta euocatis omnibus ad urbis opulentissimae praedam. Aderat classis item instructissima, triremes ad uiginti, aliarum nauium numerus non paruus. Iam progressus erat nauticus exercitus aduerso Pado ad locum, quem uulgo dicunt Guardiam: uicus is est flumini adiacens, distat Rhodigio septem millibus passuum. Ac in Padi ulteriore ripa, quae agri Ferrariensis est, militaria excitat munimenta, tormentis omnifariam instructa. Promptissimus quisque miles locum tuebatur. Galli uero, qui Brixiae, ac passim in citerioris Galliae urbibus hybernabant, Venetorum impetu excitati Veronam citatissimi petunt, protinusque Vinceniam inuasuros se, comminantur. Quo terrore Venetus ab instituto retractus, Leonicum petere cogitur, agri Vincentini id est oppidum. Classis interim quamuis terrestri exercitus praesidio destituta, nihilo minus suum obtinebat gradum. Praerat Angelus Triuisanus. Munimento tantum erant equites ferè mille armaturae leuioris, & pedites totidem. Nauticus miles nulla non die Ferrariensem agrum peruagatus, ferro & igni omnia deuastabat. Bellicis terroribus squaliebant uniuersa. Infederat ea res altius Alphoso duci, quam tum praese ferret. Sed rei bene gerendae opportunitatem opperiebatur. Quae ubi adesse est uisa, contractis Gallorum Hispanorumque millibus aliquot, suis nimio plus ad omne facinus animo paratis, miro stratagemate manipulos aliquot emisit, qui munimenta inuaderent quidem, sed mox simulata fuga, retrò cederent, linerentque leuioribus se tormentis spoliari. Factum id per biduum aut triduum. Veneto inde spes crescere, hostisque esse contemptui. At is mox infra munimenta, ex aduerso stantis in Pado classis machinas robustissimas capacissimasque ad fluminis aggerem impegit, ea arte, ut eo perforato, pilae ferreae ponderis maximi ad aequilibrium aquae excuti possent. Adiuuabat negotium fluminis

minis incrementum, quo altiores factae naues machinarum ictibus facile scopi cuiusdam modo exponebantur. Igitur ad arbitrium compositis omnibus, quicquam eorum Veneto ne suspicantem quidem, dato signo, hinc munimentis signa noctu inferuntur: hinc classis impetu inenarrabili tormentorum ictibus peti, confringi ac comminui coepit: tantus uero siue ex re inopinata, siue periculi magnitudine timor nauticos corripuit, ut passim desillirent in Padum, nec cogitatio ulla uersaret animum, praeter quam de fuga. Omnibus ergo attonitis, naues aliquot deprimuntur, inter eas insignis fuit etiam Praetoria triremis, auro splendida, & ornamentis alijs regiae instar exculpta. Eam tamen mox ducis Ferrariensis industria reuocauit in siccum, cocinnatamque cum quatuordecim alijs Ferrariam perduxit. Captae item naues aliae non paucae. Munimenta in fluminis ripa statim expugnata. Fuit ea res Alphonso magnifica omnino, ac nescio an cuiuslibet ueterum par, siue ingenium cogites ipsius ducis, siue rem ab eo perpetrata, quam ex Attestinis nemo unquam sperare esset ausus. Quippe Venetum paulo ante late terra marique pollentem, ne torue quidem spectare sustinuisset. Accedit ornamento, hostis confessio. Palam siquidem Venetus praedicare, tot bellis mari aduersus Turcarum gentem ualidissimam gestis, non ferè unquam atrociorum cladem uno praelio reipublice infligam. Etiam si in Crotoniate sinu bello in Mauros siue Sarracenos triremes sexaginta cum bellatoribus tantum non absumptas, proditu annalibus sit, quin Ligustico bello etiam multo plures. Gesta uero res est undecimo calendis Ianuarij, millesimo quingentesimo nono. Insequens annus mitescere demum ira Pontificis, Venetum ab diris liberat imprecationibus. Verum cum Gallis perseverante nihilo minus bello, Liniacum alioqui munitionissimum ab illis per prodicionem intercipitur. Situm id in Aetelis praeripis est. Venetis uero remittitur dux Mantuanus, pontifici prius Federico filio obsidis nomine tradito. Hoc eodem tempore copijs ecclesiasticis quati coepit Ferrariam dux, conspiratu in Venetos iam dilabente, ac ciuitatem nobilissimam Pontifice repente, quae iuris foret ecclesiastici. Insuper & in eundem exercitum anathema est. Sacrum ducebat exercitum Franciscus Maria Urbini princeps, a quo milite infesto Mutina occupatur, mox & Ferrariam oppugnari coepit, quarto ab urbe lapide castris locatis. Regium quoque Lepidi per deditioem captum. Obsidione premebatur & Mirandula. At quum segniter ageres uideretur, ingentis animi Pontifex Bononia digressus, contempta frigoris, ac niuium atrociori uis, castra petiit, confestimque facta deditio. Iam circumegerat se annus: quumque munimentu Pado adiacens ab copijs obsideretur ecclesiasticis, Baetiae nomen loco est, expugnatis iam Lugo, Cotignola, Bagnacavallo, ex inopinato irruente Alphonso, insignis ibi accepta clades. Eodem ferè tempore Gallis suffragantibus, quod ab Pontifice disidere coepissent, Bononiam ingrediuntur Bentiuoli, multaque in Pontificis dedecus excogitata. Praeterque rusticorum simul & Gallorum impetu afflictam Venetorum copiam cum ecclesiastico exercitu. Qua rerum prosperiore fortuna, Bentiuoli audacius Bononiae arcem miro ingenio, & Pontificis cura haud ita pridem substructam oppugnare adorti, captam denique solo aequarunt. Paulo post initum foedus est a Pontifice cum Aragonum rege Ferdinando & Venetis. Qui tota uis coorientes, ut amissa recuperarent, bennio ferè post Brixiam Gallo extorquent, atque item Bergomum. Sed nec dum aspirante Veneto fortuna, omnibusque in diuersum cedentibus, mox uis recipitur ab hoste Brixia, & diripitur crudelissime per maximam caedem, in sacra prophanaque ira belli grassante. Repetitum & Bergomum, grandis pecunia mulctatis ciuibus. Caeterum, quia historiam scribere, non est nostri instituti, iam sequestrati ab terroribus bellicis ad nostra regrediemur studia, benigne studiosis impertiendo, quae per tot annos, quibus in hoc desudamus puluere, sunt intentissime obseruata nobis. Proinde initum post tanta mala cum Gallo ab Venetis foedus praetereo: atque item praedium atrox prope Rauennam inter Gallos Hispanosque, quo tempore ita accisa res Gallicae sunt, ut paulo post accepta clade altera ab Heluetijs, Italia prorsum exigeretur, & hoc pontifice Iulio etiamnum superstite, cui fuerat id in uotis uel maxime. Verum prius quam hinc diuellar omnino, patriam meam cladem non reticebo, quam ab Hispano milite occupata inuadens Bartholomaeus Aluianus Veneti dux exercitus, leuis armaturae equitibus non multis, ac peditatu per exiguo constipatus, nocturno itinere hostibus elusis diripuit, moxque inde sese proripiens Hispanis

nis iterum devastandam reliquit. Quando nullum crudelitatis genus, quod edī in ciues possit, est omīssum, tectis parte plurima exultis, ut agrorum depopulationem transeam, & iniunctam omnibus cōmigrandi necessitatem, ne militarem diutius feritatem & hosticam rabiem pati cogentur, eō progressam impudentiā, ut à miseris faccarum rubens & austerum parari sibi exigeret. Ac sunt hæc quidem bellorum stipendia, quibus pro dignitate explicandis Thucydides mutus sit, ac eo magis Salustius. Hi discordiarum intestinarum euentus, quarum atrocitate Italiæ uires conuulsæ Barbararum gentium cruentæ immanitati conterenda omnia permisere. Verum hæc non Catonis animo ferenda, sed Ciceronis potius, ac temporibus inscriuendum, petendaq̄ ex studijs malorum lenimenta.

Digestionum species, & secretionum. Obseruata multa de sudore. Virgilij locus explicatur. Pilorum origo. Cutis fordida ratio. Stegnosis quid. Piammismus. Assa sudatio. Heliolis. Xeralcephia. Interibi adnotatur quid chylus, chymus, chilus, chloe, chelæ, hemitymbium, ardalīa, ardanium, hemitymbium. Hemiolæ fibulæ quæ dicantur.

Caput II

**Q**ui medendi scientia imbuti aliquid in ea facultate posteris elaborati, soli citiusq̄ procudendum censuerunt, non unum esse perficiendi alimentī modum animaduertent. Nam cōcoctionem primam in ore quidem incipere, uerum in stomacho fieri, peragi tradunt in intestinis. Secundam exordia in meseraicis ducere, fieri in hepate, perfici in crassioribus uenis. Tertiam in minutulis uenis initium habere, fieri in capillaribus, cōpleri in earundem extremitatibus. Quartam deniq̄ addunt alijs in membrorum poris, seu meatibus. Cæterum digestionē prima ex cibo fit chylus. In sequenti ex chylo, chymus. Ex Theophrasti Aristotelisq̄ sententia scribit Simplicis medicinæ libro primo Galenus, chymum intelligi, qui gustu deprehēditur: chylum uerò, quod ex elemento est humido & sicco, caliditate iam percoctum. In tertia porò ex chymorum globo humiditas quædam, nomine quidem proprio insignis nullo, uerum *αδονυμ* dicitur, id est innominatus humor. Percoctioni autē postremæ suus est locus, ubi quem diximus, humor membrorum sese meatibus insinuans maturatur, eiq̄ perfectius assimilatur. Quam rem sciēter anadosin uocat Galenus, quum intelligatur digestio solum, ubi in stomacho perficitur cibus. Apud Aristotelem quarto Meteororum lego digestionū uocabula tria, *πέπασιν*, *ἐπιπίσει*, *ὀπίσει*. Pepsanin efficit per se sumptus calor, epepsin calori combinata humectatio, optesin arefcens siccitas. Iis uerò opponuntur tria, homotes, molyntis, stateusis. Cæterum uocabula hæc non ad stomachi rationem spectant, uerum ad fructus & carnes uel elixas uel assas, super quare multa philosophus. Admonendū uerò amplius tyrunculi sunt, Chylum, si per u pilon scribatur, ab chilo differre plurimum. Est siquidem chilus per i, herba uel fœnum, quod scribit Aelius Dionysius, apud quem tamen per *ει* diphthongum comperi scriptum *χελος*: unde apud Pausaniam, *εκεχελος*, quo ferè neglectus significatur. Chilos porò dicitur item chloe, quanquam est & Cereris cognomētum, cuius in Attica uisebatur templum. Chelæ uerò, quod relatu dignum est, in primis lapides nuncupant marinis obiectos fluctibus, ne undarum impetu uiolentiore perpetim assultante conuellantur aggregum munimenta, uel id genus cæterorum. Dicuntur autem sic, quod bouum ungulis ferè sint assimiles. Platamonem Hippocrates saxum è mari prominens uocat, ac leuigatus, *περσικα χηλδονικ*, in Historia septima Herodoti cassides intelligunt forcipiculatas, nimirum ungarum imagine quadam, quod genus uerbo uno *χηλδονικα* uocant, ac intextu fiunt: nam *χηλδονικ* implicare est. Sed redeo ad institutum. Digna relatu sunt, quæ sententias Hippocratis explicans Galenus super ijs prodidit: Cibus, inquit, non fit in corpus, neq̄ alit, ni omni exuatur qualitate exuperanti extraneaq̄. Proinde necessaria digestionē sunt, quarum ratio triplex pro superfluitatum ratione: est enim redundantia quædam crassior & feculentior, quæ secretio est concoctionis primæ in stomacho: alia uerò aquosa est, quam sequestrat digestio secunda in urinam, estq̄ hepatis & uenarum, quod idem docuit De uirtutibus naturalibus secundo, & prima primi Auicenna: tertia porò exuperantia subtilior etiamnum, quam efficit digestio tertia, seu uocaturq̄ per sudores: qui propterea salii sunt, quod pars quidem dulcissima leuissimaq̄ tota ad corpus nutrien

nutriendum assumpta est, pars autem alienissima, maximeq̄ inconcocta tantum absoluitur, quæ partim deorsum collapsa, & subsidens in hypostasi uocatur urina, partim in corporis summa emergens sudor est, utraque tamen salsa ob eandem causam prodeunt; quoniam portiones aqueæ terrestribus admiscuntur, quod in falsis omnibus contingere, deprehensum ab eruditis est. Quod si terrestris portio redundarit, sapor resilit amarus, si uero aquosa, insipidus. Adnotanda obiter medicæ scientiæ ratio insuper non habenda: quorum sit constitutio excellenter calida, quorumq̄ stomachus bilis citrinæ affluxu redundantiore, hocce crassioribus alendos cibus, minime uero tenuibus, ac concoctioni obujs, quoniam bilis potestate facillime corrumpantur hi, quod in diuersis fieri nequit. Inde minus accidit admirandum, esse qui bubulas carnes nullo perficiant negotio, pullinas minime. Sed exorsa repeto. Hic uero non id absque perpenfione transeundum, sudorem non esse perpetuo eiusdem saporis. Sudor certe capitis aut nullum emit odorem tetrum, aut minus quam reliquū corporis. Est enim locus capitis spirationibus opportunus, quia laxior est, etiam capillorum indicio. Loca, & quæ locis continentur, grauius nares offendunt, si præfarctis meatibus euaporationi nulla præstetur libertas. Est tamen excrementum aliud fere innominatum, quippe quod multis haud sit per cognitum, quando & nimia sui tenuitate uisum effugiat. Ab scientissimis tamē, quibus referat arcana omnia ingenium maxime excussum, ac ut poeta inquit, capitale, *αδονυμ* *αδονυμ* *διαπνον* finitur, id est sensum latens exspiratio: cui tamē insit crassioris retrimētī non nihil: proinde amplioem caloris requirit uim, & fluoris impetum uiolentiorem, ne subliat. Inde pilorum origo creditur, & cutis fordida ratio. Illud insigni perpenfione dignum, uocari Græcis stegnosis, id est *στέγνωσις*, meatuum cutis uitium, quo transmittere superuacua prohibetur: coarctatur affectio id genus aut meatibus præfarctis aut cōstipatis ad densatisq̄. Denfationem mylin appellant Græci, uelut conuictiam. Obstructio ex lentis contingit, crassisq̄ retrimētis, si forte confertius ad cutem fuerint dilapsa. At prouenit densitas tum ab ijs quibus adest obstringendi potestas, tum ab ijs quibus refrigeradi. Ex ijs quæ de sudorū astruximus ratione, amplius (opinor) innotuit, quò maxime argumento eminentissimus poeta, non rerum modo, literarumq̄ ueterum doctus, sed secretioris item doctrinæ absq̄ ostentationis odio peritus, falsum alicubi sudorem defluxisse, canat. Illud uero Dioclis sane absurdum uideretur, tradentis, Sudores esse præter naturā: ni medico haud ignobili efficax maxime suffragetur ratio, quippe si suo defungatur munere innatus calor, recte q̄ ab natura ingestus peruincatur cibus: ita exsuperans diffilatur humor, ut neutiq̄ sensu percipi ualeat. Quæcunq̄ uero uel balneiratione uel exercitationis uel æstiuu etiamnū caloris secernimus, ex uiolentiore proueniunt causis. Certe in commentatione De uiribus naturalibus, ita Galenus sanxit: Quanto ualidius intensiusq̄ comperiat intimum calidum, eo amplius effugit sensum difflatio. Nec illud in hac sudorū disertatione contemnendum: quod usu quidem uenire comperitus est, quàm ut probatione indigeat: sed cur ita, ambigū sane potest uideri. Quanto curiosius intentiusq̄ sudorē abstergere perrexerimus, tanto is demanat profluētius. Ratio uero esse potest, quoniam refrigerari extrinsecus contingit, si non abstergatur: fit autem id contingentis nos aeris frigore, qui quantumcunq̄ sentiat calefcens, dici tamen frigidus ualet nostrorū comparatione spirituum. Suppetit ratio item altera, quod qui iam profluxit sudor cuti adhuc adiunctus, ita meatus præfarctis occupatq̄, uix ut nouo pateat secretio. Promitur uero amplius in tergo sudor, quàm ante, argumētō illo maxime, quod in parte quidem priore intus esse cōcauum locum animaduertimus, parum ab extimo secretum, in quem corruari sudor ualet: id in tergo fieri nequit, sed foras obtrudatur oportet. Addunt, postica diutius seruare sudorē posse, quia frigesiant minus; qua ratione in alijs maxime redūdat item sudor, quod frige factari nequeat. Quid, quod terga item corpulentiora habētur, proindeq̄ & hument amplius: neq̄ enim aliud caro est, quàm densatus sanguis: ut comprobat secundo De animalium generatione Aristoteles, ex frigiditate ac humiditate. Nam ossa ex siccitate ac caliditate uolunt generari. Præsto item est humentis in tergo carnis ratio ex medullæ admotione, quæ per spinam delabitur. Ea item humectandi uim habet præcipuam. Nec id contemnendum, quod in postica decūbimus magis, quàm innitamur pectori stantes, maior item ibi ex brachio-

rum iactatione motus. Porro si per se profluat sudor, spontaneus nuncupatur recte: si arte, tunc aut per harenam fit, paraturque: unde & Aeginetæ Paulo uocatur psammisimus, nam sabulum psammis dicitur: aut est clibani defudatio, seu concamerata, qua ignis inclusi æstu prolicitur sudor, cuiusmodi assa item dicebatur: aut est insolatio, quam heliosin dicunt. Aridum sudorē, id est ξηρόν ἰδρώτα dici putat Eustathius, qui non balnei proueniat ui, sed exercitatione aut labore: sicuti xeralcephiam intelligimus citra lauacrum obunctionem factam. Sanguineum sudorem efficit constitutionis prauitas, corpore laxiore, sanguine præterea humecto, aquoso ue, ex insiti caloris imbecillitate, cuius potestate decoqui debuit, ac densere. Hanc uerò cibi plerumque præstat exuperantia. Sudarium uerò est, quod Græcè hemitybium uocant: id Aegyptiū arbitrat Pollux, & in comœdia quam mediam appellat, capsidrotium inuenio nuncupatum. Hemitybii meminit Aristophanes in Pluto. Exponit interpres, dici ita ἡμίτιβες λινδόν, id est semitrium lineum pannum: uel δ' ἡμροσόν φαλιόλιον, id est utrinque fimbriatum phaciolum. Videtur esse mendum Pollucis exemplarium: scribitur enim modo hemitymbiū, quo uocabulo dicitur Græcis paruum sepulchrum. At hemiolias fibulas Historia quinta nuncupat Herodotus, dimidio alijs maiores. Congruit huic loco uel præcipue quod Phœcrates scribit, quendam inducens è febre extergi se iubentem, interimque insufurrantem, sudorem mihi, & ardaliam ἀργύρεον, id est sponsia persiccato. Ardanium uerò figlinum est, inquit Pausanias, unde potant bruta, quod ante ianuam proponebatur, ab ἀργύρεον, quod rigo signat: sed & uas, unde aspergimur aqua templum ingressi, dici Ardanium ualet.

Saltationis laus, & origo de Græco penu. Hymnorum genera. Profodion, hyporchema, stasimon, profodiacum, apostolicū, parthenion, spalinum. Aethiopum mos. Merionæ, Pyrrhi, Syracusanorum historia. Pyrrhichium. Elephantis saltationis periti. Virgilij locus enarrat. De Proteo pauca. Cap. 111

**S**altationis rationem non fuisse ueteribus uulgarem aut contemptibilem, argumento esse multa possunt, id uerò in primis, caerimonias nullas, aut teletas paulò antiquiores fuisse, quibus non adhiberetur saltatio, quam rem eo grauiorē animaduertimus quod à magnis profecta auctoribus uidetur, Orpheo uidelicet, ac Musæo, qui ut honestissimum quiddam sanxisse traduntur, cum rhythmo initiari, et saltatione. Quo factū est, ut qui mysteria prodidissent, eos dicitarent plerique ἑξορκιστὰς, id est desaltasse: ad quod aduersus Androtionem alludens Demosthenes, ἑξορκιστὰς ἀμύμον, pro eo, qui uertisset terga, posuisse uidetur. In Delo certe sacrum obibant nullum absque saltatione, ac musica: prodibant autem puerorum chori, tibijs, ac cithara præcinentibus, è quibus selecti peritissimus quisque saltabant. Eorum item cantilenæ ab saltationis usu dicebantur ὑπορχήματα. Erant autem hymnorum genera tria, profodion, hyporchema, stasimon. Profodion λιτανεία, siue supplicatio dicebatur cum hymno, ubi deos adirent, ac sacrificium ad altare proferrent. Sunt qui cantum putent modo, qui dei hymnum contineat: nam & Athenienses Demetrio aduentanti pæanas concinebant, & profodia. Genere autē foeminino profodia cantus est, si musicum accedat instrumentum. Hyporchemata uerò concinebant saltantes in altaris ambitu, ubi iam igni admota forent sacra. Celebrantur cretica hyporchemata, ex Cretensium saltandi studio, uti scribit Athenæus: illis enim saltatio erat patria, καὶ λυβιστῶν. Hyporchematicè saltant apud Pindarum Lacones. Communis uidetur uiris, mulieribusque. Modi eius censentur præstantissimi, profodiaci, apostolici, qui & parthenij dicuntur. Dicit hyporchemata putant, quod inter saltandum ferè generosum quiddam seruerent, ac uirile. Mox autem, quum quiescentes canerent, uocabantur stasima. Spalinum uerò ualli nomē est, ijs qui Tigrin accolunt, ut scribit Dion. Cæterum ubi aram saltantes obibant, ita more condito seruebant, ut ab sinistris dextrorsum pergerent prius, zodiaci quadam imagine, cuius motus cælo diuersus appareat, ab occasu ad exortum: inde à dextris lauorsum, pro ratione cælestis uertiginis. Hæc uerò eo apposui gratius, quod ijs Maroniana sensa proferuntur in lucem, quæ illotis pedibus adeunt plerique omnes, uersus sunt Aeneidos quarto, Delon maternam inuisit Apollo, Instauratque choros, mixti que altaria circum

Cretes

Cretes, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi. Proditur memoria, Theseū quoque in Delum insulam appulsum ex Creta, inibi saltationem inisse cum pueris, quæ Labyrinthi præferret errores, orbibus orbis impediens, apud aram ἀφ' ἄρδων, ex sinistris modo compactam cornibus. Cæterum de saltatione id genus mox item aliqua. Ne uero quispiam hæc Græcis tantum in more fuisse opinetur, inuenimus Indorum gentem, quod uel Arrianus significat, quibus orientem solem uenerari consuetū est, non arbitrari plenam perfectamque esse numinis cōsalutationem, nisi adhibita saltatio fuerit: quod & supremā tēpestate facere, instituti ueteris fuerat, sed cum taciturnitate dei, ut opinantur ipsi, effingere conabantur choreā. Græcis uero pluribus precēs tum demum perfectæ uidebantur, si inter eas manum exoscularētur. At Aethiopes, cum iam cecinerent bellicum, inferunturque signa, saltant uenerabundi, nec apud illos citra saltationem excuteret aliquis sagittam, quæ tela capiti, pro pharetra instar radiorum circumponere, gentium illarum mos est. Quin eo modo iniicere sese hosti formidinem opinantur. Sed & propinqua Aegyptus saltationis mirata excellentiam, sub fabelæ inuolucro sententiam & ipsa suam uidetur non occuluisse, quando Protea illum in uarias se demutantem rerum facies, non fere alium intelligunt, quàm saltatorem exitium, ad effingendum in primis docilem, ut nunc humectam liquidamque exprimeret aqua uim, nunc ignis celeritatem motus uehementia, nunc leonis feritatem, aut etiam pardalis impetū, furoremque: postremo etiam uirgulti flexum, & quicquid omnino collibisset ueluti Empusa quædam, cuius ipsius decantatæ poetis deformationes. Sed rogo te, audi, quid ex Homericis item lectione ad negotiū præfens uenati simus: hic namque poetarum longe clarissimus, & literarum etiam parens, quum iucundissima homini in digitos mitteret, somnum, amorem, cantum, postremā addidit saltationem, sed præclaro distinxit epitheto, dixitque ἀμύμονα, ut quæ reprehensionis morsum nesciret. Sed & alibi, huic quidem à deo contributam bellandi rationem, uimque scribit: illi autem saltationis artificem modum & optabilem cantum. Versus Homeri sunt hi,

ἀλλὰ μὲν γὰρ ἴδωκε θεὸς πολέμια δρῶσα,  
ἀλλὰ δὲ δρχησῶν τε, καὶ ἰμφοέουσαν ἀοιδίαν.

Ceu plane innuat, eam esse prædulcem musicam, quæ non sit à saltatione abiuncta, dicaturque deorum pulcherrimum donum. Vbi & illud attendendum amplius, quum bifariam res distribuerit, in bellum & pacem, duo hæc tantum, ut pulcherrima, bellicis appoluisse negotijs. Verum & Hesiodus speciosissimæ laudis loco protulit, quum de Musis ita cecinit Theogoniæ initio,

καὶ τε περὶ ληνῶν ἰοσιδέα ποδὲ ἀπαλοῖσιν  
ορχηῶν τε, καὶ βαμῶν ἐοιδόντων ἐκρονίαν.

Quod circa fontē nigrū molliculis saltant pedibus, in aræ paternæ tripudiantes ambitu. Quin Apollinē Pindarus orcheften dicit, id est saltatorē, quod & Homericis comprobant hymni. Quinimmo etiā alicubi saltantē comperias Iouem, deorum, ut ueteres intelligi uoluerit, principem. Propterea Socrates ille sapientissimus tantum absuit, ut saltationem duceret uituperandam, ut inter illius documenta legamus, hanc quoque esse perdiscendam, uelut multum insit uenustatis in apto, concinnoque motu, & corporis afformatione cōposita, nec erubuit iam magno natu uir inter disciplinas serias habere saltationem. Cæterū inquit secundo Legum Plato, reliquæ animantes sensu ordinis, in ordinationisque suorum motuum uacant, quibus bene compositis nomen inditum est numeri, & concentus. Nos autem deos nostrarum celebritatū comites habuimus, qui sensum numerosum, concinnum, suauem, periuicundū nobis dedere, modulos saltandi que genera docuere. Choros ἀπὸ Πλατῶν, id est à gaudio nominauerunt. Itaque primam eruditionem effici Musarum & Apollinis opera, perspicuum est. Ineruditumque hominē esse, qui choreæ Musarum expertus sit, eruditū uero, qui compos eius est. Totumque id genus in choream, saltationemque & cantum distribui declaratur. Quo fit, ut qui bene eruditus est, bene cantandi saltandi que peritiam habeat. Ex quibus utique omnibus amplius perpendenti liquere potest, saltationem haudquaquam faciliū, expositorumque artificem uideri. Immo sicuti grauisimis proditum auctoribus est, disciplinarū excellentium apicem attigisse, nec mulices modo, sed & rhythmicæ, nec non geometriæ, in primis ue



ro philosophiæ tum physices, tum ethices: sed nec rhetorices experts cognoscitur, quatenus mores indicat, & affectus quos rhetores permouet. Verum nec a graphica seiungitur, aut plastice, quoniam harum cōcinnitatem eurhythmiamq; sibi uendicat. Sed in primis memoria præcellens in saltatore exigitur. Immo uero iuxta Calchantem Homericum scire saltatorem oportet, *τοδ τε ἔντα, τὰ δ' ἐοσόμενα, πρῶτ' ἔόντα*: quæ sint, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur, ut nil prorsus eum lateat. Caput autem summamq; saltationis est, imitationis scientia, eorum quæ conceperit enuntiatix, obscurorum latentiumq; illustratix. Et quod de Pericle pronuntiauit Thucydides, præcellens est saltatoris laus, nosse quod deceat, & id ipsum posse explicare. Quoniam uero imitatrix est saltatio, prima in ea uirtus perspicuitas, quam *ἀφωσίαν* uocant, quæ in oratore desideratur in primis, ut eorum quæ exprimuntur gesticulacione ac motu, tanta sit claritas, ut nullis prorsus sit opus interpretibus. & quod Pythicum cecinit oraculum, saltantis spectatorem decet, non loquentem etiam, omninoq; mutum quodammodo audire ac intelligere. Proditum memoriæ est, quod ad præsens negotium mire facit, Cynicum Demetrium, cui uilior erat saltatio, dicere solitum, id genus artificij tibi uideri & fistularum parerga quædam, quando ipsum argumento cōferret nihil, motum modo adhiberet uanum, & ab intellectu seiunctum omnino. Id quum inaudisset Neronis tempestate celebris saltator, & (ut uidetur) non imprudens, nec rudis quispiam: sed multa historiarum memoria præcellens, & saltandi artifex mirus: Quæso (inquit) Demetri, ne sit onerosum, me saltantem tua præsentia honestare: idq; nullis incinentibus tibijs, aut cãtibz prorsum demulcētibus: mox si uideretur, id artificij exploderet allideretq;. Adnuuit Cynicus. Saltauit ille Veneris adulterium & Martis, Vulcanum à sole commonitū utriq; struentē infidias, illos claudī artificis fabri technis irretitos, assistentes spectaculo deos, suffusam rubore Venerem, timidius supplicantem belli deum, ac quæcunq; fabella continet. Omniaq; tam subtili, tanq; artifici gestu, tanta rerum (quod difficillimum est) perspicuitate, tanta deniq; uenustatis gratia, tanq; plausibili ingenio, ut exclamaret Demetrius, iam (ut uidetur) hilarior, plurimumq; negotio oblectatus, *ἄνοῦ ἀνδρωπεῖ, ἢ πινῆς, πῆ ὄρω μόνου, ἀλλ' ἂ μοι δ' οὐκ εἶς τῆς χερσὶν αὐτῆς λαλεῖν*: Audio, o homo, quæ facis, nec uideo solum, sed etiamnum ipsis manibus mihi uideris loqui. Confirmarunt hæc ab Cynico pronūtiata barbari regis apud Neronem non inscita uerba. Is ex Ponto ob necessitatem quædam petierat Romam. Forte ita accidit, ut saltator idem nescio quid saltaret tam perspicue, tanq; (qui mos illius erat) concinne, ut spectans modo, nec eorum quæ dicerentur quippiā audiens percipiēsit, nihilominus intelligeret omnia. Igitur quum mox discessurum Barbarum benignius amplexaretur Nero, ac petere iuberet, si quid futurum usui arbitraretur, elargiturum se munificer. Plurimum me, inquit, iuueris, si saltatoris illius mihi copiam feceris. Miratus Nero, quum amplius quæreret, quid ita petere institisset: aut cui inde rei futurum emolumento artificem duceret. Sunt, inquit is, accollæ mihi Barbari, lingua & moribus diuersi, interpretum haud fere suppetit facultas. Quod si præsto mihi fuerit hic, & re quapiam ab illis fuerit opus, nutu ac renutu, cæterisq; sui artificij modulis, saltator mihi omnia consiet, ut in reliquum ualere iubeam interpretes. Tantum docilis imitatio, & artifex peritia cōcinnusq; ac peragilis motus gestusq; auctoritatis adeptus erat, ut nec immerito Pantomimi nomē Italiae irrepserit. Lesbonax quidem Mitylenæus, honestus plane uir & bonus, saltatores *χαιρόφους*, hoc est manu sapientes solebat nuncupare, pergebatq; subinde ad spectacula, tanquam ex theatro melior reuerurus. Equidem inter studia reliqua hoc utiq; oblectationem spondet, illud uero emolumētum: at saltatio, si recte perpendas, utrunq; complectitur. Quin utilitas tanto inde uberior locupletiorq; est, quanto plausibiliorem adnexam habet uoluptatis titillationem. Propterea multa mihi uariāq; rimanti, illa uidetur ratio uerissima, una cum mundi generatione, & amore illo uetustissimo diuina quadam ut in lucem prodijisse saltationis primordia. Hanc quippe cœlestis illa præmonstrauit, & longe clarissima stellarum syderumq; chorea, errantiumq; cum inerrantibus complexio, ac concinna prorsus societas, harmonicusq; ac mirus ordo. Hæc si quis saltationis putet incunabula, ac exordia prima, ut reor, ab ueritate aberrarit non multum. Ea uero per ætates incrementis adaucta iustis apicem summū attigisse pridem uidetur, ut uaria quædam res cen-

seatur, & omnifariam coaptata, congruensq;, & bonum quoddam *πολύμυτον*, hoc est scientiæ multiplicis. Principem uero omnium Rheam aiunt, oblectatā artificio, in Phrygia quidem Corybantas, in Creta uero Curetas saltare iussisse. Affuitq; inde mox emolumentum, si fabulatores libeat audire, euident. Hæc enim illi ratio Iouem præstitit incolumem, proindeq; is arti præstantissimæ *σῶσεα* debet, id est salutis contributæ præmium: sic enim paternos euasit dentes. Ea saltatio armata fuit, quam à Curetibus excogitatum primo, Eusebij quoq; tempora testatissimum faciūt. Erat uero gladiatorum cum securis collisio, saltabantq; bellicum quiddam & entheon. Mox uero optimus quisq;, ut maxime in Creta nobilitate putabatur excellere, ita saltandi artificem haberi, pulcherrimum honestissimumq; censebat. Id ne quis ambigat, Merionem Homerum non utiq; suggillaturus, uerum honestare meditatatus, *ὄρχηστω*, id est saltatorem nūcupauit. Qua in re is adeo celebre iam indeptus erat nomen, ut non Græcis modo nota forent ea, sed & Troianis hostibus, forte quia inter bellandum non tacita quædam agilitas & concinnitas, quæ ex huius artis peritia inoleuerat, sese subinde ostentabat. Homericæ uero carmina, si quis exhiberi sibi protinus expetat, hæc sunt:

*μηδ' ἴσθ' ἄλλ' ἄγε λήσσε καὶ ὄρχηστω πρὸς ἔντα  
ἔγγ' ἰμὸν κατέπαυσε.*

Sunt qui Syraculis saltationem primo exortam prodant, à tyranni Hieronis immani sauitie: qui inter alia dictu immitia, Syracusanos etiā mutuis uti colloquijs ueterit. Quæ uero necessaria forent, pedum, manuum oculorum nutibus indicijsq; iusserit petere, unde mox saltationi exortū peperit necessitas. Pyrrhus uero ille tantus Achilles filius, quo bellante corruisse Ilium creditur, alioqui inexpugnabile, celebratus hoc artificio usq; adeo est, ut quum speciem illi pulcherrimam adiecisset, Phyrichium sit ab eo nuncupatum, de quo tamen plura mox. Sicuti etiam in metro pes, quanquam ab præceleri, & proinde ignea mobilitate inflecti malint alij. Nam & à pedum celeritate ipsi quoq; cōciliatum nomen Pyrrho astruunt nonnulli: quo argumento etiam Cinesias sit cognominatus. Apud Lacædemonios, qui inter Græcos diu habiti præstantissimi sunt, saltandi studiū non erat incelebre, quando ephebi non accuratius *ὀπλομαχίαν*, quam saltationem perdiscebant. Ab Castore uero ac Poluce acceperant *κάρυαπίσην*, id est caryatissare. Species uero ea saltationis erat, uocabulo à Caryis ducto, quæ est in Laconia ciuitas, ubi maxime exerceretur. Eiusdem porro rei studiū eo usq; progressum in Thessalia, legimus, ut strenuos uiros, & in dimicacōe principes, quos uocant *πρωσπῆς καὶ πρωγαυισῆς*, illi *πρωρχησῆρας* appellarent, hoc est planipedes primos. Manifestum id ex statuarum item titulis: quas ipsi, quorum strenua fuisset opera, excitabant, *πρωρχησῆρα ἢ πόλις*. Et alibi, *ἐλαπίωνι τῆς ἐκόντας ὁ δὲ μὲν διοργησάμεθα πῶν μολχαῖν*. Non paruo quoq; argumento fuerint epitheta item uaria, quibus saltator eximius distinguebatur apud Græcos. Ea ut propria ipsorum lingua habentur, ideo apponere consilium fuit, quoniam uix citra fastidium audiri tralata poterant. Sunt uero ex multis hæc præcipua, cuphos, elaphros, pedeticos, halticos, euarmostos, eurhythmos, eufchemon, hygros, epidicticos, pantadapus, eutreptus, demagogicus, demoterpes, prochiros, tachychir. Apud Indos Arrianus scribit, elephantibus quoq; saltationem doceri, & exercere. At Sybaritæ in conuiuia equos introducebant ita imbutos, ut incinentis tibie cantu audito, statim arrigerentur, ac pedibus ipsis prioribus, uice manuum, gestus quosdam chironomiae, motusq; ederent ad numerum saltatorios.

Saltationum species: podismus, comus, pyrricha. Quintilianus obscuritas illustratur. Pyrrurides, pyrimachos. Virgilij locus explicatur ex Georgicis. Saltationis partes. Sicilissare quid. Pan chororum proxenus. Cap. IIII

**S**altationum uero non unum fuit genus prioribus, erat siquidem in primis à cantu nuncupata emmelia, quæ tragica censebatur, sicuti cordax comica, de qua mox item paulo. Eius commemorat Arrianus in commentario Indico: sed satyricam putat, & à Libero patre in India institutam. Sicinnis ab alijs, ut scribit Athenæus, satyrica intelligitur saltatio, unde & Satyri Sicinnistæ nuncupati, quam Sicinnus excogitarit Barbarus, quāquam Cretensem intelligunt alij. Saltatores enim fuisse Cretenses, auctor Aristoxenus est. Alij à uerbo *σείδω*, primumq; Therisipum eandem saltasse. Has sunt qui à Dionysiacis ministris excogitatas, & item nuncu-

patas prodidere. Enopliæ saltationes, siue armatae, fuere pyrrhicha, thelesias item, quæ ab saltatoris nomine sic nuncupata fertur: fuit item xiphismus, podismusq; nec non καμῶ, id est comus, & tetracomus Herculi sacer, & bellicosus. Nam quæ comastice dicebatur, non pugna modo erat insignis, sed etiam plagis. Armatos in Panathengis pueros saltare solitos, traditū est. Quin & Mineruæ sacrum maxime id habebatur genus, quod & catenopliion dicitur. Opla uero dici arma, nemo est qui nesciat. Interim de pyrrhicha illud non siluerim, inuētā à Laconibus uideri, nam & à Lacone Pyrrhicho in lectio-  
 men, Aristoxenus scribit. Bellicosa uero saltatio est, quoniam & Spartani bellaces diu sunt habiti, quorū filij ἐμβατήρια μέλη, id est embaterios perdiscebant cātus, quos & enoplios dicunt. Spartani quoq; ipsi in congregiendis hostibus Thyrtæi repetebāt poema ta, uti eurhythmos cōcinnaq; fieret motio. Deniq; pyrrhicha Laconibus belli progymnasma fuit, à quinto ætatis anno condiscantibus ἑπιπέδιον, id est pyrrhicham exercere. Hinc autem aperitur Quintilianii locus ex Oratoriarum institutionū primo, de gestus institutione prima: Nam inquit, Lacedæmonios quidem etiam saltationem quandam, tāquam ad bella quoq; utilem, habuisse inter exercitationes, accepimus. Au-  
 ctor Aristoxenus est, gymnopædicam exercentes (pueri in ea saltabant nudi) mox ad pyrrhicham solitos emigrare. Sunt ut meminimus, qui Curetas primum enopliam in-  
 duxisse saltationem opinentur, rursum ab Cretensi ordinatam Pyrrhicho. Et in ea Tha-  
 letem primum hyporchemata concinnasse. At hyporchematicos cantus omnes, dici creticos, auctor probat Sosibius. Lectum apud Aristotele est, omnium principem, in Pa-  
 trocli pyra usum pyrrhicha Achillem, unde & inflexa nominis ratio sit. Apud Cyprios autem Prylin hanc nuncupari. Pyrrhicham dici & chironomiam, Græci scribunt. Sunt qui à Pyrrho inuentam pyrrhicham prodant, ut diximus: à qua purrhicharij recte ab Iu-  
 reconsultis nuncupantur, Digestis de pœnis libro quadragesimo octauo, quem tamen locum Græce ignari literaturæ inuertere sibi permittunt. Sunt qui arbitrentur, Pyrrhi-  
 cham, ἐκ τῆς διωπυρου εἶναι, esse uocitatam, id est quoniā sit ignita quodāmodo saltatio  
 ὁ σὺ πονῶ. Est & πυρρίχη χλαμύς, ἢ πελταίου, id est est chlamys, uel pelta parua. De  
 Pyrrhi autem Epiroteꝝ nomenclatura Pyrrhiade nuncupati, quos nunc Molossos appel-  
 lant. Pyrsurides, ad præfens institutum pertinent nihil: sunt tamen militares eo nomine  
 phani, id est lampades, aut obeliscolychni, etiam apud Aristotelem. legimus enim ὅτι  
 παρσένης ὁ μακεδὼν, ἢ τῆς πατρῴου τῆς μακεδονίαν κατασκευαστῆρος πυρσουελάδας, ὅτι τῶν  
 ὀφέως ἐμάνθων τὰ πᾶν τε γὰρ γινόμενα Pyrimachon dicit in pugna ἀνίκητον, id est insupera-  
 bilē. Sed à diuerticulo fabulam repeto, ne sit superpondij nimium. Ascoliasmus saltatio  
 erat Bacchi dicata festis, quæ uocant ascolia. Quod theatri medio utres, quos uocant  
 ἀσκούς inflatos obunctosq; uno tantum insilirent pede, ut delabentes risum excitarent.  
 Hoc agere apud Græcos dicitur ἀσκολιολίζεω. Ad quod apertissime Virgilius respexit  
 Georgicon secundo, illo uersu:

Mollibus in pratis unctos saliere per utres.  
 quod in erudite nimis, καὶ ἀναγνώγως, id est in educate non perpendunt interpretes, negli-  
 gentia prorsum fustuario digna. Aduertendum quoq; qui uni tantum innitentes pedi  
 saltant, quod uel tempestate nostra frequentissimū est, dici item ἀσκολιολίζεω, & saltandi  
 modum, ascoliasmum. Sed nunc non ab utre inclinatur uocabulum, uerum ab scolion,  
 quod impedimentum itineris signat, quod claudicantibus euenit, atq; surrectum palū.  
 Apud Aristophanem, ἠδὲ μοφοειάζσασαι est oclasma, saltatio Persica, quam & ὄργων no-  
 minant. Fuit & Dionysio sacrum genus Phalicum, sicut Herculi Callinicus: nam Thra-  
 ciæ gentis & Carum colabrisimus, sed armata item fuerat saltatio hæc: forteq; fuerit ea,  
 cuius meminit ἀναβώσεως sexto Xenophon, dum ita saltantes prodit, se inuicem πρὸς  
 κῶς admodum solitos ferire, demumq; qui alterū exuisset armis, exisse Sidalca incinen-  
 tem, illo perinde ac mortuo plane elato. Fuit & armata saltationis species carpæa no-  
 mine: in qua, positis armis, bulse qua iactabat femina, respectans subinde uelut formidi-  
 ne. accedebat prædator, id animaduertens bulse qua, correptis armis depugnabat. Hæc  
 uero fiebant omnia rhythimice prorsum, præcinente tibia, demumq; à prædatore collig-  
 gatus fator cum bobus abducebatur. Quandoq; illum hic, uinctis à tergo manibus præ-  
 se agebat. Inuenimus & Baucisimum saltatoris Bauci, Comon cognominabāt: sed mol-  
 licula

licula fuit, delicatiorq; saltatio. Inter lasciuiora genera bacchiasmus est, ac apocinus, apo-  
 sissis, strobilus. Mothon uero nautica res erat, ac onerosa. Fuit & geranos saltatio: quam  
 nostris literis dicere gruem licet, numerosa erat saltantium turba, quadam uolantium  
 gruum similitudine. Instituta primum saltatio fertur à Theseo apud aram Deliam, dum  
 exitum de Labyrintho imitatur. Dipodiam legimus Laconicam saltationem: nam quæ  
 tibijs præcinētibus exercebatur, gingras dicta est, puto quia sint tibiæ quas nuncupant  
 gingrinas. Fuerunt item saltationes quæpiam enixiores, hecaterides & thermastrides.  
 Verum hecateris manuum potius opera constabat: pedum uero thermastris, saltu quip-  
 pe exercebatur. Eclatissima muliebres erant saltationes. Apud Laconas erat item biba-  
 sis, in qua etiamnum proponebantur præmia non pueris modo, sed puellis quoq;: saltu  
 erat opus, interimq; nates pedibus contingere. Pinacides tur maxime dicerentur, non  
 satis constitutum Pollux habet, an quod super tabulatis fierent, an quod tabellas manu  
 tenerent. Ballisimum dici inuenio saltationem tympanis crepitantibus, uel etiam cym-  
 balis. Cuiusmodi Parisibus fieret Romæ, quæ mox Romæa dici cœpere, ciuitatis fortu-  
 næ templum struente Adriano. In Sicilia Ionicum saltationis genus erat Dianæ sacrum.  
 At angelicum habitum præferbat nuntiantis aliquid. In morphasmo diuerforum ani-  
 malium erat imitatio. Erat item scops seu scopias saltatio; ex colli circumlatione, qua-  
 dam imitatione auis. Leo autem formidolosa fuit saltandi species. Erat sua idiotis salta-  
 tio anthea nomine, quam saltantes sic fere pronuntiabant, Vbi nam mihi rosæ? ubi  
 uiolæ? ubi apia florentia? Fuit & saltatio dicta κόσμος ἐκπύρωσις, id est mudi deflagratio.  
 Quæ uero dicebatur hormus, ephebis cōstabat, ac uirginibus plane hormo similis, hoc  
 est segmento. Præcedebat quidem ephebus iuueniliter, & (ut mox in bello facturus  
 erat, saltans: sequebatur puella decenter admodum, ut hormus is uideri posset ex modē  
 sita connexus & fortitudine. Fuit quandoq; saltatio dicta Phrygia, conuiuijs dicata &  
 ebrietatibus. Bacchicam saltationem in Ponto & Ionia tantæ fuisse uoluptati gentibus  
 illis Lucianus scribit, ut statutis temporibus oblitū omnium aliorum, desiderent dies to-  
 ros spectantes Titanas, corybantas, satyros, bubulcos. Quod uero mireris amplius, Ex-  
 ercebant id genus nobilissimi quicq; ac ciuitatum maxime principes, ad præcipuam id  
 opinati gloriam spectare. Dicas inde Italicas Carnispruij debacchationes prorepsisse.  
 Nylas item saltationes Dionysiacas interpretantur, ab Nyfa. Easdem & Berecynthia-  
 cas credunt. Porro ne quid prætereatur, quo hi qualescunq; Lectionum antiquarum li-  
 belli fiant administratores, legimus haud ita pridem rhetoris Vlpiani commentatiun-  
 culas in Demosthenis Olynthiacas, ubi sic adnotatum inuenimus: Cordacisimus, salta-  
 tionis est species turpis indecentisq;: nam saltationum alia quidem bellica sunt, ut pyr-  
 rhicha: nonnullæ uero ridiculariæ, quibus modo conciliatur risus. Iis autem in conui-  
 uijs utuntur & theatris. Verba Vlpiani Græca sunt hæc: κορδακισμός ἔστιν ἐστὶν ὀργήσεως  
 ἀρχαῖς καὶ ἀπερεπούς. ἢ γὰρ ὀργήσεως, ἢ μὲν ὅτι πολεμικὴ, ὡς καὶ ἡ πυρρίχη; ἢ δὲ γελαστικὴ, ἢ  
 γῶντα δὲ ὀργῆσεως καὶ πόσις. Harpocratio autem in uerbo cordacisimus, cuius meminit in  
 Philippicis Demosthenes: Cordax, inquit, comicæ saltationis species, sicuti Aristoxe-  
 nus tradit in libro De saltatiōe tragica. Reperit nomē & in ueteri comœdia, ut apud Ni-  
 cophontem. De cordace idem fere Aristophantis interpret quod Vlpianus, κορδακίζεω  
 Græcis turpiter saltare signat. Sunt qui putent, duo saltatorū genera Homerum nouis-  
 se, cybistateras, & sphæristas. qui sphaera uterentur siue pila, unde & sphæristica dicatur,  
 sicuti meminit Athenæus quoq;. Aristonicum Carystium Alexandri fuisse sphæristen,  
 prodit historia, quem ob artis excellentiam ciuitate donarint Athenienses, statua quoq;  
 erecta. Cybistateres uidentur esse, qui in caput saltant, quod κυβιστῶν dicunt in caput mit-  
 tere. Scribit in Moralibus Plutarchus, Saltationis esse partes tres; φορὰν, γῆμα, καὶ τὴν  
 δειξίην, lationem, schema, demonstrationem. Siquidem cōsurgit saltatio ex motibus &  
 habitibus: sicuti melos ex phthongis & diastematibus, hoc est ex uocibus & interual-  
 lis. Hic uero mansiones motuum fines sunt. Ergo φορὰς uocant motus: schemata uero  
 habitus, ubi Apollinis, aut Panos, aut cuiuspiam figuram, & modum effingentes, gra-  
 phice formam seruant. Tertia uero res, quam δειξίην nominauimus, non imitationē ha-  
 bet, sed rerum subiectarum demonstrationem: indicant enim cælum quandoq; aut ter-  
 ram, aut etiam spectatores ipsos, Androna Catanæū scribit Theophrastus, incinentem  
 tibijs

tibijs primum omnium motiones corporis & rhythmos excogitasse, unde natum, ut σικελίζειν, id est siciliffare; positum inuenias pro saltare. Celebrantur ab Athenæo saltationes ethnicae, Laconicae, Troezenicae, Epizephyriae, Creticae, Ionicae, Mantiniacae. Est & saltatio quam modo Mauricam dicimus, cuiusmodi fere antiquis fuerat chironomia. Pana denique chororum proxenum credebant priores, ut est apud Sophoclis scoliaften.

Iphicli in currendo agilitas mira. Hyginus uindicatur a uitio, Iphicratides quid. Iphix oues cur. De Melampode relatu non indigna. Perpeditur etiam Plinij locus.

Cap. v

**P**hiclus, inquit Apollonij interpres, Phylaci creditur & Clymenes filius. Eum cecinit Hesiodus, tanta fuisse corporis agilitate, ac pedum celeritate, ut curreret ὡς πικρῶν ἀβρόων, hoc est super triticeas aristas, nec oblæderet. Demaratus uero etiam per mare incessisse prodidit, inde natus adagio, ut Iphicli agilitate pro celeri, in exsuperabilibus usurpemus. Meminit Iphicli huius Argonauticon primo Apollonius eo uersu,

οὐδὲ μὲν ἰφικλῶ φυλάκιον ἔτι δὲ γὰρ ἔλαττο.

Porro adnotatu non indignum, Iphiclium ab Apollonio tradit laona fuisse affectatum, in Colchos cum Argonautis properante. Id uero Hesiodus non scribit, non item Pherecydes. Commeminit quoque Iphicli Hyginus, sed dictione luxata de curatate uenam de Orione sic ferme scribit: hunc Hesiodus Neptuni filium dicit, ex Euryale Minois filia natum. Concessum autem ei, ut super fluctus curreret, perinde ac in terra, quem admodum Phiclo datum, ut supra aristas curreret, nec eas comminueret. Tu scribe, Iphiclo, Cui inditum ex currendi potestate nomen, ueluti diceretur Iphicolos, nam ἰφι potenter signat, unde & Iphicrates quoque, & ab eo Iphicratides, attica calciamenta, quorum in philosophica historia commemorat Damascius. Iphicli filios tradunt Protefilaum & Podargen. Oues Iphias ab Graecis per ἄφρησιμον dicit inuenias, quae debiles sint, καὶ ἐκ ἰσχυραῖ. Non praeterea parte hac in sanitatis ratione, Galeni post Hippocratē medicorum principis placita, nostrum iuuantia propositum uel precipue: Omnes, inquit, imbecilliore sumus cernendi potestate, si aquilarum, & lyncis acuminibus conferamur. Confusaneus quin & hebetiorque inest auditus nobis, si Melapodi. Pedibus quoque subsultamus, si Iphiclo. Et manibus ualemus haud multum, si Milo nobis componatur. Quod de Melampode scribit auctor nobilis, obscuro te lector humanissime, cum Plinio conferas, libro Historiae naturalis decimo, sic proderit: Qui credit ista, & Melampodi profecto aures lambendo, dedisse intellectum auium sermonis dracones, non abnuet.

De Palma scitu digna. Nicolai cur dicant. Nicolaitae haeretici. Spadix unde. Lunam amatoribus praesse. De palma cerebro, & Tegyra ciuitate. Item palma, & oliua fontibus. Sudae error, & interpretis Philostrati ac Plutarchi. Pfen quo distinguat a Balano. Iouis balani. De Phraote pauca, cum enarratione Horatiani loci. Encephalos, encardios, elate, fusterna, sapinus. Palmam Aegyptijs annum indicare. Batia quid. Perirrhacides. Cap. vi

**P**almam in Syria, & Aegypto balanos producere tanta aspectus iucunditate, ac suauitate gustus, proditum est, ut tragemata omnia, bellariaque praecellere facile tradantur, quamuis in Graecia fructus is feratur incoctus, nec esui proinde satis gratus. Inter Phoenicobalanos autem eximie praestare, tum magnitudine, tum etiam pulchritudine, quas uocant Nicolaos, obseruatum est, de quibus ex Plinio pauca haec ascripsimus: Sicciores, inquit, in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis praecipuae, quaterni cubitorum longitudinem efficiunt. Sed cur nam dicuntur Nicolaitae? Quaesitum id quidem diu, sed inuentum in paucis, ni Grammaticorum commenticias, & inde inanes sequi opiniones malumus. Nuper Graecum uersans exemplarium, quod uenabar, denique sum uisus assequi, Sic enim conperio, Fuisse Nicolaum quendam disciplina Peripateticum, patria Damascenum, moribus suauissimis, ac praedulci quadam iucunditate, corpore pro cetero quidem, sed non indecoro, facie paulo pleniore, interlucente grato rubore. Bene doctus quoque: nam historiam polybiblum concinnauit, id est centum ac triginta quatuor librorum. Quo quum maxime oblectaretur Imperator Augustus, ut scribit Athenaeus, ei que afficeretur plurimum, similitudinis argumento, balanos magnitudine

tudine praecipua; & pulchritudine Nicolaos dicit instituit. Adhuc quidam, ex Syria balanos id genus, quibus praecipue oblectaretur Imperator, Romam assidue mitti solitas. Et Xenophon prodit, Selectas Dominis balanos fuisse tum pulchritudine admirabilium, tum magnitudine, uti aspectu ab electo nil prorsum differrent. Nicolaitae in sanctis literis, & Canonice decretis ad praesens nil attinent institutum, quando eo nomine haeretici fuere, quorum & Hieronymus commemorat, ab Nicolao, qui fuit cum Stephano Diaconus. Eorum fuit dogma, Vxorum communitio. Sed ad diuerticulum. Inest omnino arbori eiusmodi decor non ingratus, quando poetarum princeps puellae Phaeaciae uenustate palmae ramo assimilare sibi Homerum permiserit. Propterea fuere qui ita arbitrentur, in certaminibus sacris uarias quidem singillatim coronas dari, uniuersim tamen ex palma solenni quodam more consecrari, una ea de causa. Etiam si ab foliorum aquabili ordine, institutum opinentur alij, ceu certatim cooriantur, & quodammodo simul currant quadam contentione imagine, idque tacito naturae consensu. Nam & uictoriae Graeci inde dicitur putant νικη, πρὸς δὲ μὴ ἐκείνη, a non cedendo. Alij uero, quod sit palma inter arborea cunctas macrobia maxime, id est longioris aui, sicuti Nicephororum, sic enim uictores dicunt, gloriam addece esse perpetuam, nec unquam confensescere. Quod de palma uita diximus, Orphicum illud uidetur comprobare, ἔδωκε δὲ ἰσὺ ἀπρόκομοισι φοινίκων ἄρβυροι, animal aequale longicomis palmae ramis. Epitheta porro illa ἐμπροσθεν, καὶ ἀσφύλλου, quae firmiter, ac perpetuo uirentem folijs signant, huic congruere uel maxime. Inter caeteras namque arbores nullam planè uidemus eadem custodientem folia, sed decussis prioribus, succrescunt alia. At palma nil, inquit, abijcit, & proinde constanter cognominari ἀσφύλλου potest. In rebus porro Atticis adnotatum legimus, Theseum in Delo primum posito certamine, ab sacra palma ramum auulsiisse, qui & Spadix inde sit dicitur. Neque item in hac palmae mentione illud praetereundum, in Babyloniorum literis compertum, esse palmae arboris trecentas & sexaginta utilitates. Nec omittenda praesca uanitatibus superstitio, quia sit balanorum nucleus non modicum unius. alij enim longior, his mollior, illis durior, quibusdam etiam offeus lunatusque: hunc potissimum quadam religione politum dente contra fascinantes arbitrabantur pollere. Quum uero lunatum dicimus, curuatum arcualemque intelligimus, cuiusmodi in luna a coitu conuiscitur schema. Cur autem ea maxime figura expeteretur, luxuriantis fuerit otij quaerere, ac superstitionis potius, quam eruditionis: nisi quod in libro De Iside Plutarchus auctor est, quia solem apparet semper luna, & persequatur: inde argumento eo ab amatoribus aduocari lunam. Et amatoria ab Iside dispensari, Eudoxus scribit: quae non alia omnino sit, quam luna. Scribit tamen Pindarus: Ex amantibus soli quidem uiros uora concipere, lunae autem foeminas. Quod inde Hippolyto apud Euripidem facit Phaedra, & in Pharmaceutria significat Theocritus. Rationem aucupantur nonnulli, quoniam amoris furtiuo congrua sit nox: proinde Menander, ὡς ἂν, σοὶ γὰρ δὲ πλείστον ἀφραδίτης.

Vel quod amatoria affectioni obnoxia quandoque fuerit luna, uel quia sicuti amor ἀιδυπυρὸς ἡ θεός. Inuenio in monumentis, & Plutarchi in primis in Pelopida, fuisse in Bœotia montem cognomento Delum. Nam Stephanus in Tanagra, regionis eiusdem fuisse urbem paruum nomine Delium scribit. Apud montem erat Apollinis templum, post templum duo mirabili suauitate fontes, copia aquarum ac frigiditate insignes: alterum φοινίκια, id est palmam uocant: reliquum oleam, sicuti commemorat in libro Cur oracula defecerint, Plutarchus idem. Vbi & natum Apollinem narrant. Ad quod respexisse Catullum uolunt, eo uersu de Diana sic canentem, Quam mater prope Deliam Deposuit oliuam. Quamquam & de arbore posse intelligi, auctor Ouidius est Metamorphoseos sexto. Aduertenda uero Plutarchi interpretum inscitia ex Pelopida uita: Fontium, inquit Plutarchus, alterum palmam, oleam alterum, nunc quoque nominamus: non quod inter plantas duas peperit dea, sed in fluenta duplicis meditullio, id est ἄνδρα βροχῶν. At interpretes. Sed quia fluum dea peperit, quoniam Graeci ferè codices φοινίκων praeferebant accusandi casu. Sequitur Plutarchus: In propinquo Ptoum est, siue ἄδου, dea conterrita repente uiso apro. Nomen praeterijt interpretes. Quidam ex eruditioribus, esse in Laconia Tegyram tradidere falso, ubi natus Apollo sit. Id ut uere a me dicit, intelligant studiosi, audiant quid Stephanus: Tegyra, inquit, Bœotiae ciuitas, in qua genitum

genitum Apollinem dicunt. Samus autem Delius Apollinis, inquit, natalicia in Lyciam referunt aliqui: in Delum alij, aut in Zosterem terrae Atticae, nonnulli ad Bœotiae Tegyram, unde & Tegyrius Apollo. Sed lectum & illud est. Ephesios Tiberio imperante Romam uenisse, memorâtes, non (ut uulgus crederet) Dianam atq; Apollinē in Delo genitos: esse apud se Cenchrimum amnem, locum Ortygiam, ubi Latonam partu grauidam, & oleæ quæ tum etiâ maneret, adnissam, ædidisse numina ea, deorumq; monitu sacratum nemus: quin & ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iouis iram uitauisse. Meminit post alios Strabo *γεωγραφικῶν* libro quarto & decimo. Ex ijs porro quæ de palmis Syrijs & Aegyptijs attulimus, liquet opinor, cur poetæ palmiferas quoad in Aegypto Thebas nuncupent: curq; palmarum fructus Thebaides item Plinio dicantur, & a Papinio Thebaicæ, quod illo ex Syluis uersiculo libri quarti sine ad Plotium liquet,

Chartæ, Thebaicæ ue, Caricæ ue.

Quoniam uerò de palmis agitur, scribit Plinius, in palmarum cacumine medullam haberi dulcem, quam cerebrū uocant, meminit secundo De alimentis Galenus. Et in Præceptis sanitatis Plutarchus, prædulce quidem id tradens, uerum esse κεφαλαλγῆν, id est inducere capitis dolorem. Adnotandus hac parte error Sudæ manifestarius, qui in uerbo *ωῦρ* ita scribit: Porum hunc de uictus ratione interrogauit Apollonius: atis, Ego (inquit) uini tantum haurio, quantum soli prolibo, captis in uenatione uescuntur ceteri, mihi exerceri satis est, alimenta mihi sunt ex oleribus, & palmarum cerebro, ac fructibus. Hæc quidem apud Philostratum leguntur libro secundo: sed non de Poro, utretulit Sudas, nimis hercle incuriose, nimisque inscite: incuriose quidem, quia de Phraote Indorum rege hæc prodit Philostratus: inscite uero, quoniam per maximam temporum ignorantiam lapsus misere est, quando uixit Apollonius Domitiani tempestate. Poro autem quem fatetur ibidem Sudas cum Alexandro depugnasse, multis seculis antea, sicuti temporum historia præmonstrat apertissime. Sudam sefellit, quod paulò ante fit de Poro apud Philostratum mentio, & parte ista regem Indum nominat, qui quum sit congressus Apollonius, putauit Sudas esse ad Porum ea quoq; referenda: quum tamen paulò ante ea quæ excipit, testetur Philostratus Phraotem illum fuisse, Porum minime. Philostrati interpres reprehensionem nõ euadit: nam ubi Græcè scriptum ita est, τὰ δὲ ἐμὰ σπρία λαχνα, καὶ φοινίκων ἐγκέφαλοι, καὶ κερπὶς τῶν φοινίκων: id est cibus uero meus est olus, & palmarum cerebrum, atq; item earundem fructus. Interpres de palmarum cerebro tacuit, puto, quia inusitatum uidebatur dici in palma cerebrum. Etiam si commemorat uel Xenophon *ἀναβάσεως* secundo, ubi ait, Græcos milites Cyro perempto cum quo expeditionem inierant aduersus Artaxerxem, tunc gustasse primum ἐγκέφαλον τῶν φοινίκων. Ac plerosq; demiratos uoluptatis inusitatum speciem, propriamq; Strabonis interpres libro decimo quinto, palmæ ἐγκέφαλον pro medulla putauit accipiendum. In ijs uero si cui mordax uideor ac uirulentus, putent eruditi multam dici à nobis disceptandam mox, certandamq;. Palmæ cerebrum Galenus, encephalon appellauit: encardion Dioscorides. Lectum uero apud Palladium est, Palmarum plantam dici cephalonem: elatem accipit Galenus, palmæ præternerum germen: at fructus integumentum eo nomine intelligere Dioscorides maluit. Scire autem licet, arborum plerumq; partes distinguui appellationibus. Nam ecce abietis superior portio, fusterna dicitur, ab nodorum duritia: inferiorem, saporum uocant, siue saporum. Umbriam dici tribum sappiniam, auctor T. Liuius est Macedonici belli primo libro: meminit eiusdem quoq; tertio: Adnotatum Hori monumentis est, apud Aegyptios expictam palmam annum indicare, quoniam hæc arborum sola per singulos lunæ exortus unam producat Baïn, ut anni sine duodecim fiant. Quo argumento & Baïn præmonstrare mensẽ prædicant. In Collectaneorum ad agricolationem spectantium libro secundo, adnotatum comperi, castaneas dici δαὶς βαλάνους: quod & libro decimo repetitum aduertat; ubi & nucem basilicam dicit auctor, quæ nuncupatur κάρυον, nucem uero Ponticam, quæ λεπτοκάρυον: coccymela, quæ Damascena: Armeniacon, quod Bericocon. Illud aduertendū quoq;, palmæ quam marem intelligunt, fructus ψῆνω dicitur, sicut fœminæ balanus. Psenas Aristoteles ficarios dicit culices, uelut galbas: sic enim poetæ caluos glabrosq; nuncupant, quod exposuit Sudas. Sunt & nomenclatura eadem pisces. Porro unde propendent balani

lani, uocatur *ωῦρ*, meminit cum Xenophonte Herodotus, ex spathe arcus sibi nonnullos confecisse prodens. Quod de palma cerebro scripsi, confirmatur Eustathij auctoritate, qui ita dicit prodit partem in ea arbore excelsiorem, quæ dulcissima sit, proindeq; exempta uescantur indigenæ, quod Athenæi monumenta testatissimum faciunt. Quia uerò de Phraote facta nobis mentio est, dignū perpensione uideri potest, ecquid Phraotem illum significarit Horatius Carminum secundo:

Redditum Cyri solio Phraoten

Diffidens plebi, numero beatorum

Eximit uirtus.

Quando illius restitutionem in principatum, abs quo pater fuisset excussus, & uiri præterea singulares animi dotes, frugalitatemq;, ac in primis liberalitatem copiose exsequitur Philostratus libro secundo. Verum discrepant nonnihil tempora, quæ in digitos mittere, nunc minus uacat; iudicabunt uolentes, quando interpretum cura non satis constat sibi. Phraotem Parthorum regem legimus apud T. Liuium libro quinquagesimo nono; cum quo ab Antiocho Syriae rege sit bellatum, Gracchanis temporibus. Perirrhacidas palmæ ramos dicunt proprie, sed ramum quemlibet accipit in Theriacis Nicander.

Laurus tacita cur: item cui lauro uterentur uaticini. Tibullus explicatur. De

puella Daphnè, quæ Pasiphae. Lauri contra uenenū uis. Corydus auis. Lau-

reum baculum gestare quid. Vbi comperta primum laurus: & cur dicta tem-

pis, daphnides, myrta, Turiones quid. Daphnatum.

Cap. vii

**Q**uoniam uerò paulo ante poeticas perstrinximus amœnitates, in quibus multiplex interiorq; delitescit rerum scientia, quam sæpe ingenium acre, lectio uaria, iudiciū excussum emittuntq; promit in literas, quo studiosissimus quisq; accuratus exerceatur, nec concepta semel facilitate, in utranque aurem dormiat, hic illud potissimum subnotabimus: quid ita laurus tacita sepicule ab poetis nuncupetur, leuicula quidem res, sed non inconcinna: uerum ne absinthij plus insit huic lubricationi, quam decoqui possit, ac confici stomacho paulò inualidiore; ac nunc primum resumentes uires ab inscitæ diuexatione, ut adsit & mellis aliquid, simplicaria non reclinabimus quandoque. Laurum igitur Apollini uaticino deo sacrum, futurorum habere præsentionem quandam, creditum uulgo est. Siquidem nil crepitanter uritur, sicuti à Lucretio proditum quoque nouimus. Sed eo prior etiamnum Theocritus canit. Nam & hinc Daphnè dici uideretur, uelut Eustathius interpretatur, etenim *δα* intentionis uim habet, *φωσφ* uerò loqui est, ac canere. Igitur euentus rerum ex crepantis modo ueteres aucupabatur: quod nec Porphyrum latuit: nam si crepuisset abunde ac sonantius, haud dubie portendi felicitatem rebantur. Quod significat illo uersiculo elegiographus nobilis Tibullus:

Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.

Ediuerso si tacita deflagrasset, inauspicatissimum infelicissimumq; arbitrabantur: quod approbat etiam Propertius:

Et tacet extincto laurus adusta foco.

Nam & Claudianus, uenturi præsciam laurum dixit: nisi quod opinantur pleriq;, lauri folia, si noctu puluillo subijciantur, ueritatem somniorum conciliare. Quod non omnino malus auctor Fulgentius non omisit. Scribit Hesiodicæ Theogoniae interpres, Laurum *φύλον γένε πῶς τῶν θυβοσιασµῶν*, id est efficacia esse auxilij in numinum afflatu: propterea in Cassandra Sophocles, *δαφνῶν φάρον ὀδόντι πρὶ το σῶμα*. & Lycophron, *δαφνῶν φάρον φοιβάειν ἐν λακῶν ὄππαι*. Hinc aperitur Tibulli locus de Sibylla.

Vera cano, sic usq; sacras innoxia laurus

Vescar, & æternum sit mihi uirginitas.

Ex hoc & Latinus item poeta dixit, Laurumq; momordit. Certe *δαφνῶν φάρον* dici uaticinantes scimus. Et Aphthonius, diuinationis symbolum esse laurum testatur. Dionysius item in Panegyricorum ratione, laurum *μαντικῶν φύτων* appellat, id est uaticam arborem: sicuti Eustathius quoq;, qui & Apollinis corollam fuisse lauræam scribit, quam secum tulerit Chryses in Græcorum exercitum ueniens. Lycophronis interpres in Alexandra, dici omnia putat fabulose, nisi quod chresmologi & uates futura præcinebant lauro coronati, ut quæ uireat semper, ac sit alexicaca. Vorare autem inde dicti, quoniam

p diuina

diuinationum capturis alerentur fere. Quibus uero cogeretur numina uel recedere uel accedere, illis maxime uerbis commonemur, qui appositū à Porphyrio ita ferme Latine sonant:

Soluite ferta, pedes liquidis & spargite lymphis,  
Eque manu ramum, lauros auferte uirentis,  
Linea sitque omnis deleta, omnisque character.

Quod uero ad laurum etiam attinet, scitu dignum illud quoque, Daphnen puellam in arborem hanc deformatam, sicuti Mythicis placet, & cecinit Ouidius, à Spartanis suis se diuinis cultam honoribus: sed mutato nomine Palisphaen nuncupatam, à qua certissima æderentur oracula, quod in Agide Plutarchus scribit. Credebatur item laurus efficax aduersus uenena. Inde iactatum, ut qui se tutum approbare uellet, *λαφνίω* diceret *φασὶν βακχέλου*, id est laureum gesto baculum. Cui fere consimile proverbium est de Corydo aue, nido gramen inferente aduersus animalium noxia, *ὅτι κορύδος κοίτη σκοπὴ κέρυνη καὶ γρῶσις*. Creditur & laurus sanitatē conciliare, quo argumento lauri folia in euntibus magistratum, calendis Ianuarijs à populo dabantur cum ischadibus, de quibus loco: Neque enim obrubat facer morbus, aut dæmon, ubi affuerit laurus: sicuti nec fulmen, ubi adsit ficus. Quod ex undecimo est *ἐλάωδον ποδὶ γωργίης*. ubi & illud comperit: Daphnem, id est laurum, dici palatium: quod quum Latini acropolim susruerent, inibi compertā laurum ferant. Acropolis uero nūcupabant ueteres regum *κατασκύλασες*, quod *ὅτι τὰς ἐκείρας* excitarentur tutelæ causa. Enotatum & id, Apollini sacram uideri arborē, id est soli igneo, quia igne arbor plena sit: qua ratione illam auersantur dæmones, & in uaticinijs exuritur. Daphnatum dici genus cinaræ comperit, ubi lauri fructum perforatis, & cinaræ immissum semen ita feueris. Lauri turiones quum legis, summas partes intellige, ac præteneras: idem in plantis item alijs. Aristophanis interpret: Lauro, inquit, sacerdotes coronabantur, & diuina culi *ἐς γυνώρισμα φιλίππυς*: quia esset id artis indicium, ac uelut insigne. Lauri fructus, daphnidas uocant: sicut myrrhines, id est myrti, dicunt myrta. Laura uero, id est *λαυρά*, uicum signat angustum impurumque, & sordentia omnino loca sic nuncupantur. Nam Laureum, hoc est *λαύριον*, in Attica locus erat, metallorum ferax. Diuinationem postremo ex foliorum crepitu, dum urerentur, fuisse ueteribus celebrē, nec idem tacuit Eustathius, sicut ex pilis quoque quibusdam. Laurum *καμπίλα* in Alexipharmacis nuncupat Nicander, quoniam in Thessalia comperita fuerit primum.

Leuētrica monumēta quæ sint, & Leuētricæ puellæ. Vindicatur à uitio Plutarchi codex. Leuētra unde. Leuca quid. Alphi quid. Leuron. Leuca Gallo-  
rum quid.



Leuētrica monumēta, & leuētricas item puellas in Græca historia legimus quādoque. Id cuiusmodi sit, aut quam habeat rationē, ne quis forte sollicitius quærat, opera nostra reuelabit. Scedasum, id est *Σκεδάσιον*, inuenio in libris quēdā, qui fortuna pauper Leuētra habitabat. Vicus is est prope Thespias in Bœotia. Huic filia æderat duæ Hippo & Miletia, uel (ut alij scribunt) Theano & Euxippe, à quibus nuncupata Leuētrica monumēta, quæ cauenda Spartanis, præcinuerant oracula. Siquidem puellas sibi sepeliri ex iniuria contigit, quoniam ab iuuenibus Spartanis constupratæ, moxque interemptæ in puteum quendam sunt deiectæ. Aberat tunc Scedasus pater, à quo paulo ante comiter Spartani, rei non bonæ homines peridiarumque prudentiores, quàm moderationis, aut fidei hospitalis, excepti hospitio fuerant. Reuersus factum mirabatur. Salua domi erant omnia, filia tantum aberant. Forte domi alebatur canis. Ea, reuerso domino, subinde cursitabat ab eo ad puteum, à puteo ad dominum, uellicabatque interim, eratque planè similis trahenti: suspicatus is quod erat, ad locum pergit, puellarum comperit cadauera, profusus in lachrymas, ac sese afflictiō cognoscit ex uicino, bonos illos hospites pridie uisus domum ingredi. Facinus perpetratum Scedasus coniecit, Spartam confestim petit, querelas apud Ephoros depositurus. Eo quum excidisset & conatu & iudicatu, illis, atque item regibus, quos etiamnum adierat, nil magnopere intendētibz, per urbis media cursu ferri cœpit, porrectis ad sole manibus, ac percussa tellure. *ἐννεκλή ποτὶς ἐριννύας*, id est Erinnyas aduocabat, mox ad

ad filiarum tumulos seipsum confecit. Insequentibus annis, ita ducentibus fati, in regione eadem Spartanā uirtus concidit, Græciæ imperio amisso, Thebanis uictoribus, Pelopida duce ac Epaminonda, ut celeberrimum posteris nomen Leuētrica monumēta dederint. Hæc eo libentius recensui: quoniam in Plutarchi tralatione multa subsulant, & deluxata sensum non recipiunt. Nam ut præteream quod pro Scedaso Cedasus modo scribitur, quādoque etiā Scedaphus: illud cuius nam modi est? Exercitationibus, inquit, Spartanis læcessitis, Quum historici sensus sit apud Græcos, prolata in Spartanos execrationes diras. Meminit historia Hieronymus quoque in Iouinianum libro primo. Sed puellas amissæ pudicitia nolentes superuivere, mutuis concidisse uulneribus scribit. Leuētra uerò ab Leuētro indigena esse nuncupata, scribunt Græci. Leuca autem aliud est, nam eo nomine medicorum scientissimi affectionē intelligunt, qua in album, uel (ut Græcè dicam) *ἄθι* & *λαυκό* τὸ φθόν, demutatur color, ex uiscido glutinosoque humore pituitoso. Quædam uerò leuca, id est *λαύκη*, dicitur *βραχέων*, hoc est sanabilis, quædam *ἰσθμική* *πύλη*, quæ curam non recipit. Internoscitur uerò hoc *τῆ το δόρυματ* *πύρακρον* *ἴσσι*, id est cutis perforatione: nam si inde prompserit se sanguis, adhiberi medela potest. Si humor lacteus, inter cōclamata recensetur. Sunt in ratione eadem alphi, id est *ἀλφοί*, nisi quod merat sese altius leuca, ut inficiantur item pili. Quamquam & alphi *καυνοί*, id est diu perseuerantes, ima penetrant ipsi quoque, ut hic etiam albescant pili ex pituitoso humore: nam ex melancholico nigrent alphi. Legimus in syncerioribus Herodoti codicibus, Apud Persas si ciuium quis lepra cœperit affici, aut leuca, ad urbem eum minime cōmeare, nec alijs promisceri: obtingere autem ista, quod is in solem quippiam deliquerit: si uerò in hæc causationes incidat peregrinus, illum cæteri hinc inde extrudunt. Quin & hoc argumento albas columbas nemo non abigit. Leuron, id est *λαύρον* *ἴσσι*, apud Pindarum in Nemeis, sunt qui ensē interpretantur latum: at præstitit; obliquum in plagæ impactione intellexisse. Quod ad leucam spectat, prodit Ammianus Marcellinus, non millenis passibus itinera Gallos metiri, sed leucis. Quantum uerò completatur leuca, ex uerbis eiusdem alibi dilucet: Ad uallum, inquit, barbaricum quarta signabatur leuca, & decima, id est unum & uiginti milia passuum.

De Essæis, siue Essenis: item de Phariseis, ac Saduceis. Aurum Iudaicum quod sit. De phylacterijs, & profelytis. Prophylace. Prophylactica medicina. Philætaris Iudaicæ immanitatis exemplum. Marci principis dictum in eodem.

Caput I X



Osephus Iudæus historiarum cōditor, & in eo genere auctoritatis non disluta, immo uerò Græcus planè Lilius, libro decimo octauo Antiquitatū, quas ab mundi exordio repetit, fuisse Iudæis tria genera philosophorum scribit: Essæorum, Saducæorum, & postremo Phariseorum: sed quos primo loco posui miris effert laudibus, quod uxoribus, uino, carnibus semper abstinerent, ac ieiunium quotidianum uertissent in naturam. Philo etiam Iudæus in libro quem pro Iudæis concinnauit: Præter cæteros, inquit, quos penè innumerabiles sanctio Mosaica ad bene uiuendum concitauit, Essæi summi omnium, atque maximi sunt, *ἀπὸ δεισιπνείας*, hoc est à sanctitate, sicuti mihi uidetur, nuncupati, qua ratione statilem recipit dictio. Quorum secta non genere, sed uirtute, atque humanitate discernitur. Itaque nemo puer, nemo adolescens propter ætatis inconstantiam, sed uiri omnes, aut senes sunt, qui nullo corporis morbo, nulla animi perturbatione feruntur: sed hominū soli uera perfruuntur libertate. Nemo propriū aliquid possidet, omnibus in mediō positis cōmuniter utuntur, habitant simul, & conueniunt quasi sodales, quumque pro communi utilitate faciant, alia aliorum negotia sunt, que impigre subeunt peragunt certatim, non frigus, nō calorem, non aliquam mutationem aeris formidantes. Quum à laboribus mercedem ceperint, apud quæstorem deponunt, is omnia diligenter procurat, quibus egent. Idem Philo in cōmentario, cui titulus est, Omnes studiosos liberos esse, scriptum reliquit: esse quidē dogmatis eius plurimū obesse, opinati. Qui seruos habeant, odere, tanquam naturæ leges transgressos, quando omnes, uelut mater, eadem genuit natura. Rationalem philosophiam uitæ non necessariam rentur. Naturalem uerò altiorē, quàm ut eam humana consequi ualeat natura

tura. Illam modo portionem confectantur, quæ de diuinis, & omnium agit creatione. Morali inuigilant præcipue. Triplici regula uitæ transigunt, amore in deum ardentissimo, uirtutis cultu diligentissimo, charitate in proximum feruentissima. Sunt qui Essæorum nomen *Βωσγυλνός*, id est contemplationis studiosum significare putent. Qui mundi situm terrarum expingere adorti sunt, Essenos in Occidentali Iudææ parte statuunt, ab Essæis (opinor) non diuersos: nam eos sic appellat Hieronymus quoque. Quos fugit nocentes usque quaque, quique orbe toto præter cæteros maxime sint miri, sine foemina, omni Venere abdicata, sine pecunia, palmarum socij. In diem uero ex æquo conuenarum turba renascantur, longe frequentantibus, quos uita fessos ad mores eorum fortunæ fluctibus agitat, ita per seculorum millia gens æterna est, in qua nemo nascitur, Tam fecunda illis, inquit Plinius, aliorum uitæ poenitentia est. Porro inuenimus apud auctores hæc philosophis ita esse libertatis insitam aueritate, ut principem unum solumque fateantur deum. Argumentum uero euident, quod speciem mortis formidolosæ ac tetra nullam expauescant, cognatorum negligant supplicia, amicorum interitus faciunt non magni, modo ne quenquam, ut dominum cogantur agnoscere. Animas putant immortales, & de æthere subtilissimo commentes quasi carceribus, ita corporibus implicari: ad quæ tamen, ut Chæremon narrat apud Porphyrium, *ἔρως* id est impetu & instinctu naturali trahuntur. A corporibus uero absolutas, tanquam e longa & proinde graui seruitute, lætitiâ perfundi maxima, & ferri sublimes, ultraque Oceanum degere in locis peramoenis, quæ nec imbribus pulsantur, neque item niuibus, aut omnino ulla infestentur intemperie, quando ex Oceano suboriens Zephyrus suauissima perflet salubritate. Nihilominus pollutis animis procellosas hyemalesque destinant regiones. Cæterum quia abun de multa de Essæorum institutis uidemur ingressisse, quærat forte lector curiosus, quid de Pharissæis ex mutis magistris compertum nobis sit. Proinde ut breuissime, quantum ratio patitur, omnium desideria impleamus, de huiusmodi philosophis hæc fere obser uauimus. Mollitiei ac delicis quàm minimū indulget. Quod ratio dicitur, id demum persequuntur. Grandiores natu eximie uenerantur, ut ne uerbo quidem læsos uelint. Facto geri omnia credunt, nihilominus arbitrij liberi potestatem non auferunt. Iudicium dei sentiunt futurum, nam animas astruunt immortales, sed bonas etiam in aliena emigrare corpora, improbas ad supplicia transmitti æterna. Ob hæc ipsorum dogmata populis mire grati: adeoque de eorum uirtutibus irroboraui opinio, ut magno studio numero sa multitudo, immo uero ciuitates ad eos quandoque confluxerint. Pharissæos nuncupatos uolunt de uitæ instituto, ut scribit Hieronymus in libro Hebraicarum traditionum in genolim: quod a cæteris abiuncti ac sequestrati purissimæ cuidam uiuendi rationi, accuratissimæque se manciparint. Nam Phares ex Hebræorum idiomate *ἁφορισμός* interpretatur: id ualeat Latine segregatio. Mores eosdē sequebantur *καὶ οἱ γραμματεῖς*, hoc est qui dicerentur Scribæ. Propriæ illorum uirtutes erant, continentia, uirginitas, *ἡσυχία* *ἢ τὸ ἀβελωτόν*, id est bis in sabbato ieiunium. Pharissæorum placita apostolus Paulus uehementer extulisse uidetur, quam ait, *ἰσραηλῖτης εἰμι, φυλῆς Βενιαμίν, ἐβραῖος ὃς ἑβραίων, καὶ νόμον παρισσῶν*: Israelites (inquit) sum, ex tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, lege autem Pharissæus. Porro quies soporque ipsi erat super angustis tabulis, aut etiam spinis uel lapidibus ad comprimendas corporis ac sensuum titillationes. Horum tamen proprium fuisse, Chrysostronus scribit, & in Euangelio significat Matthæus, ut decalogum in membranulis scriberent, ligarentque in fronte, ut religionis intimæ speciem præberent. Eas uero membranulas Hebræorum uocabulo dici philateria, idem Chrysostronus prodit: quo innuitur legis cōseruatio. Meminit etiam Hieronymus. Dicuntur & ariolorum, ac excantatorum philateria in Gregorij Iunioris decretis: & philateria facere, legitur in Laodicensi concilio. Prophylacæ uero in medendi usu nuncupantur præmunitiones aduersus mali uim ingruentem, unde est Prophylactica medicinæ pars. Sicut Therapeutice tractat præsentia, quæque iam se promunt. Philetæris autem planta est spinosior, quam & rhamnum dicunt, superius nomen Lydis frequens, ac Mylis. Sunt qui ex hoc impactam CHRISTO coronam uelint. Phylacteria scribunt alij, ut Græca censeat dictio. Saducæos uero, ut de ijs quoque aliquid promamus, a loco ita nuncupatos putant. Horum nefaria dogmata inuulgantur hæc, Esse mortalem animam, simulque cum corporibus interire

interire. Si quis eorum scitis renitatur amplius, oblueturque, putant id plausibile in primis gloriosumque. Eorum qui in eiusmodi philosophia profecerint, mira paucitas est, discipulant inter se moribus feris, inuicemque sunt, perinde ac in exteros, inhumani. Fatum omnifarium negant. Deum extra omnem mali patrationem inspectionemque constitunt. Hæc de Iudæorum sapientibus, quæ uaria suggessit lectio, habui in præsentia, quæ dicerem. Poterant & plura, sed propositum institutumque temperamentum fuit tenendum omnino. Cæterum Iudæicæ immanitatis exemplum illustre ex Dione præterisse nequeo. Nam sub Traiani extrema, qui Cyrenem incolebant Iudæi, Andrea duce, Romanos, Græcosque indiscriminatim inuadentes ita excarnificarunt, ut etiam ad mæsam producerent, humanis in uiscera ingestis cibis. Nec satis, sanguine adhuc stillantibus intestinis præcingebantur. Cutes pro indumentis erant. Plerosque ab imo ad summum interfecerunt. Plures bestiis obiecti: alij inter se compugnare, ac digladiari coacti. Ducenta & amplius hominum milia is abstulit furor. Qui & in Aegypto itidem est grassatus, ac Cypro, contrucidatis inibi, Artemione duce, ducentis & quadraginta hominum milibus. Vnde mox legibus sancitum, uti quauis ratione in insulam appulsus Iudæus capite prætereretur. Quum uero Adriano item imperante defecissent, cadibus, fame, morbis, igni desolata est Iudæa omnis. Quoniam uero quæri posse scio, cuiusmodi aurum sit quod in historia quandoque celebratum nouimus, Iudæicum nuncupatum: non grauabimur & hoc obiter explicuisse. Erat autem, quod Iudæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus prouincijs Hierosolymam exportari soleret. Propterea Flaccum Cicero scribit, edito sanxisse, ne ex Asia exportari liceret: quod laudans etiam num, Barbaræ superstitioni restituisse, summæ ait fuisse feueritatis. Profelytum uero, quum audis in sacra pagina, intellige a gentilitijs ritibus ad diuinam legem tralatum transcripumque. Dauid: *ὁ πρὸς ἁλυσὶν ἐφρονδύσω*, id est & profelytum peremere. Hieronymus Aquilam uocat profelytum, ac interpretem contentiosum: meminit in Euangelio Matthæus quoque. Adnotandum uero hoc potissimum loco Marci principis antiqui dictum. Nam Palæstinā quum transiret, Aegyptum petiturus, scetentium Iudæorum (uti Marcellinus inquit) & tumultuantium sæpe tedio percitus, dolenter fertur exclamasse, O Marcomani, o Quadi, o Sarmatæ, tandem alios uobis inertiores comperi. Iudæorum uero cognominis ratio unde proreperit, incognitū sibi fatetur Dion. Multa uero, sed uanissime, Tacitus scribit.

Cur noctu sonantius audiantur omnia. Quid palmus. Tylæ, thibe, tylas, illas, sigmos, clytos. Cur uox intro delata melius audiatur, quam ediuerso. Aradus quid. Satyriales. Palmare quid.

Cap. x



Trepitus omnes nocturno tempore esse manifestiores, ac uocem omnem sonantiorum, non ferè quicquam est adeo impolitus, adeoque hebeti iudicatu, qui non planè intelligat, dicente ratione, aut magistra saltè experiētia percipiat. Cur tamen ita contingat, abditam quandam perobscuramque causam promittit Epicuri schola, dum ab atomis suis reuelli nequit. Eam uero apud Plutarchum in Symposiacis Boethius recenset, docens, rarefcente aere, ac sese latius fundente inter atomos non ferè uacuum comparere. Constipante uero se, atque amplius coeunte, densari perinde atomos quoque extimumque uacuum fieri spaciosum & uelut hians. Id quod noctu obuenire, exploratissimum est, si coniectemus, frigus cogendi arctandi que uim habere efficacissimam. Ediuerso calorem proferendo expandere ac laxare, argumento certissimo exijs quæ colliquata intuemur, amplius multo sibi loci uendicare, quæ concrefcentia compinguntur in angustum. Profusus igitur sonus, si obiectis corporibus occurrerit numero rosioribus, hebescat prorsum, necesse est, reiectus aut conuulsus tardior euadat. Quod si obiectibus aut paucis aut nullis morantibus exspatietur, pertinet in offensum auditum. Indicio esse possunt inania uasa, quæ percussa crepant sonantius, præfarcita uero collisa incussa ue quodammodo sonum deuorant. Compari modo & solidissima quæque non ferè sonum ædunt. Quod spiraculis haud ita abundant, per quæ commeet ictus aer. Quale sentimus aurum, & saxa: quæ proinde uocantur & sunt *ἰσχυρὰ καὶ δυνατὰ*, hoc est uocis prætenuis, & sonantia male, quod nimia prouenit densantis se corporis soliditate. Aes uero *ὀψωνον καὶ λάλον*, id est sonorum garrulumque, quia sit *πολύκρονον*, hoc est inanitatis multa. Cæterum sententia hæc male tibicinibus præfulta, nullis concussa arietibus

bus, leui modo agitata impulsu ruit. Neq; enim recte ad uocis rationem inanitas adducitur. Ibi silentij altitudo est, & quies profunda, ubi uacuum est, quod utiq; nec tãgi nec agitari potest: uocem autem esse nouimus sonantis incussum corporis. Et est aer uocis ipsius substantia, ac facultas. Putauit Anaxagoras, solis potestate aerē concitari, & quodam tremulo uibrari motu, quem *πάλμω* Græci dicunt. Quãuis est Palmus quoq; neruorum & cordis, ac ægrotantium uenarum motus. Nam corporis motus cum exercitio & dolore araduſ dicitur. Palmare uerbum in Columella, nil ad institutum præfens attinet, indicat tamen materiam alligare. Palmarem scrobem Palladius palmi amplitudine liquido intelligit. Palmatus paries, in Quintilianī declamatione dicitur manibus pollutis contactus, insignitusq;. Sed Anaxagoram repeto: Id uero, inquit, liquere ex minutie illorum, quæ in lumine uisuntur corpuscula, quæ uocant nonnulli *τύλας*. Nam tylada scimus turdorum uocari speciem minutam, quam illada dicunt alij. Est & thibe, apud Athenæum libro quarto, argentea: quo nomine intelligunt eruditi, ueluti arculam uasis reponendis, quæ plurimum erat plexilis. Quum hæc igitur obstrepant, insonentq; agitata & propulsa, & sonum eum efficiant quem dicunt *σγμόν*, præpediri uocem obscurariq;, quo minus synceriter liquidoq; ab sensorijs excipiatur. Suppetit & ratio alia, sed grauior multo & plausibilior, Interdiu agitari omnia proturbariq;. Tunc enim cuncta mouet Iupiter, ut ille ait, *λαός ὑπὸ βρομῆ γέγραυ*, populos excitans ad opus. Qui confurgunt, uelut ex palingenesia & regeneratione quadam noua quotidianaq; meditates, ut Democritus inquit. Proinde non illepide Ibycus, diluculum appellauit clyto, quod eo tempore *κλέση*, hoc est audire iam, & loqui liceat. Contra uero noctu euenit, ut interquiescant omnia, nec ullo fluctuent motu, sed compressa consopiantur. Propterea icetus propulsusq; aer integer sensorium adit, atque ita purius audiendi perficitur actus. Adnexa est huic cognata quodammodo quæstio. Nam usu uenire obseruatum fere est, qui extimi sint, si loquantur, facile ab ijs qui intus agant, audiri. Quod ediuerso non fit. Ambiguitatis huius commemorat apud eundem Plutarchum Ammonius, sed ab Aristotele exsolutã tradit, apud quem ita lectitamus: Vox, inquit, eorum qui occlusi tenentur, si extra deferatur, in amplum diffunditur, ac uelut absorpta deuoratur: quæ uero intro perducatur, non ita. Siquidem ex amplo corruata in arcum confectumq; seruatur. contineturq;, & ueluti conualle delata sensum perspicue attingere animaduertit. Quod de palmo dicebam paulo ante, scire obiter licet, recentiores Græcorum medicos statuisse, genitalis palmon intelligi satyriasm: quod malum, Galeno in Diffinitionum commentario tradente obtingit, mutone arrecto intentoq;, necnon particulis adiacentibus, cum seminis quandoq; uoluptaria profusione, quandoq; uero & mentis consternatione, ac distentione neruorum.

Iulæ uoces in Laetantio quæ sint. Iulos quid, & ulos, ule: epuletica, & iulides. Hycca quid, & melos. Melici poetæ. Item qui harmonici, & qui canonici: canon, ac canonium. Stathmides. Centuum species aliquot. Antletæ qui: item himonia, himæum, tenellus, niglaros. Tributorum genera, collecta talea, indictio, oblatio, Tenerus. Tenericus campus. Ismeniu manteum. xi

**Q**uando uero de uocibus agitur, ecce succurrit mihi Laetaniū carmen, Phœnicis argumento, non utiq; inamœnum, sed quod scriptoris eius genuinam sapiat facundiam, ingenijq; præferat facilitatem haud asperabilem. In eo Iulæas uoces, ut præsuaues ac prædulces nominari obseruauimus: sed cur ita, non fere perspicuum puto: nisi quod ad Simonidem cognomēto Melicum ex carminis iucunditate, ut Sudas arbitratur, referri posse non inficiabitur, qui hoc genus scitamentis aures habeat pertritas, cuiq; non sit cornea fibra. Siquidem fuit Iulis insulæ Cææ oppidum, in quo Simonides feratur natus. Quod ex Strabone didicimus, & antea cecinerat Theocritus. Sed coactū nimis ac uiolentum forsitan rebitur id, cuius item auris acriori lota aceto sit. Magisq; multo arrisurum putabit, quod scribit Apollodorus: Cantilenam in luctibus celebrem dici Ialemōn, in hymnis uero Iulon. Quæ de hominibus sic nominatæ comperiantur: sicuti à messoribus usurpabatur Lytiasas, Habitaui autem Cæænas Phrygiæ Lytiasas, Midæ quidem filius, sed nothus, ex quo ut messor præstas celebretur in Phrygiæ: meminit Theocritus, & exposuit interpres. Sed nec præterijt Pol-

lux

lux, qui & Iulon itē recognoscit. In libro De Præanibus auctor est Samus Delius, hordei manipulos per se solos *ἀμάλας* nuncupari, congestos autem ex alijs compluribus uolos dici & Iulos: Cererem quoq; nūc quidem uocari Chloen, nunc autem Iulo, id est *ιουλώ*, Proinde ex Cereris inuentis, & fructus ipsos, & in deam concinnatos hymnos, uolos appellant, & Iulos. Sunt qui lanas tractantū esse cantilenam putent. Vle obiter, id est *ελη*, cicatrix est: unde epulotica & synulotica medicamenta, quis induci cicatrix ualet. Iulos etiam Proserpinæ congruere arbitrantur. Nam Iulides, apud Oppianum primo *ελιδυπκώρ*, inter pisces recensentur saxatiles. Meminit in libro De piscibus Dorion, ut scribit Athenæus. Iulos uerò etiam dicunt intestina terræ. Sunt qui Iulidas item Hyccas opi nentur dici, unde & Siciliæ ciuitas nomen sit mutuata, quod illuc delati primum, id piscium genus scetum cōpererint. Lycophronis interpres Iulon uermem dicit *πλόπω*, qui parietibus arrepat: ex quo naues Iulopezas nuncupari Lycophron, ex remorum similitudine, qui nauium uidentur pedes. Iulon item Myriopoda dicitur. Sunt qui Scopendras esse Iulos coniecent. Intestina uerò terræ, id est *τὰ φλύγῆς γῆρας*, sic nuncupantur, inquit Theon: quoniam longitudinis ratione intestinorū imaginem præferant, & quia in terræ uisuntur profunditate. Hinc in Prognosticis Aratus:

*καὶ πλεροῦνοι σκόλικες*

*κείνοι, οὗ κελουσι μελαίνης γῆρας γαίης.*

Cæterum quia in cantilenas uolentes incidimus, subnectamus aliqua, quæ uoluptati sit legisse, & usui meminisse: Melos quod præcipue usurpat in musica, proprie quidem apud Græcos membrum corporis indicat. Sicuti uerò numerosa in corporibus membra, quamuis diuersum sortiantur & situm & motum, diuersoq; perfungantur munere, nihilominus ad unum tantum opus cooruntur, unumq; habent finem, ueluti scopum: ita etiam ex uocum diuersitate qui confurgit concentus, melos uocatur. Quod in libro De musica Plutarchus scribit. Latini modulum appellant. Et hinc dici melicos poetas, auguror, quos Therapeuticos primo lyricos ferē Galenus intelligit. Id eo libentius annotatū, quod etiam doctissimi melicos, & melopœos, aut melocertas esse poetas quosdam, ex Cicerone De optimo genere dicendi, pronūciasse satis superq; habent. Aut certe melos uocare in musica ideo institutū, quia *μέλα* Græcè signat curæ esse, ceu nil musica antiquius homini esse debeat, nilq; quod curet impensius. Nos uerò etiamnum suo loco de musica commentarū plura sumus. Interim adiciamus pleraq; non indicta quidem, sed quæ in paucorum peruenerunt scientiam, ut prætereantur quæ Gellius scribit. Musica studiosos aut harmonicos dicimus, aut canonicos. Harmonicos nuncupamus eos, qui auribus contribuunt auctoritatis plus, quam rationi: eiusmodi fuisse Aristoxeni sectatores nouimus. Canonicos autem, qui rationis persequuntur examen: sicuti ab Pythagoreis factitatum palam est, quos tamen genere nec ab harmonicis abduxeris. Canonium uerò obiter esse uidetur sacris uiris destinatus locus, ac canonicè uiuentibus. Sed in nauibus quæ cataphractæ uocantur, & catastromata habent, id est pauimenta superiora, uel tabulata, ligna quibus tabulæ incumbunt, canonica nuncupantur, & *σαθμίδια*. Asconius Pedianus, tributorum genera facit tria: canonem, ut in portorij & uetigalibus: oblationem, ut in uini distractione: indictmentem, quæ uulgò dicitur talea, Latine item collatio, seu collecta: ut apud Ciceronem libro secundo De oratore. Taleam nummariam sunt qui ex T. Liuij octauo libro clarigationem appellari putent. Erant & canones chronici, in quibus temporum ratio tractabatur. Apud Spartianum in Seuerō ita legimus: Rei frumentariæ, quam minimam repperat, ita consuluit, ut excedens ipse uita septem annorū canonem relinqueret. In Heliogabalo, canon dicitur fructuarius pro alimentis in tot annos paratis. Omnino uidetur canon, id frumentum quod in usum cedit annuum, uel quod annis confertur singulis, unde Aegyptius canon in historijs. Ptolemæi instituta mediam quandam rationem insecuta sunt. Tantum enim sensorio attribuit, quantum Aristoxenij: rursumq; rationi, quantum Pythagorei. Etenim tum demum enasci iudicium putat syncerum ueraxq;: ubi sensus & ratio conspiratu nituntur consono. Quod ipsum & in astronomia comprobauit, quum rationis libra ab oculis non abijt diuersa. Vt uerò ad melos redeam, unde digressus in ista sum, inuenio apud auctorum opinatissimos, himæum nuncupari melos solitum, quod concinerent *ἠνκλῆς*

τά, id est aquarum haustores. Himonia uero aliud est: nam sic funiculum dicunt, quo ex puteo attollitur aqua: unde festiuus *ἡμωνιά* dicitur, pro *μακρὰ χεῖρα*, id est temporis non parum in excernendo absumere. Himæi uero meminit Callimachus: *ἄδ' εἰ καὶ πρὸ τῆς ἀνῆρ ὄδ' αὐτῆς ἡμῶν.*

Concinat iam & haustor aquæ aliquis himæum. Tenellum uero, id est *τὸ νέλλον*, Aristophanis interpres nunc lyræ harmoniam accipit, nunc pulsatiunculam, id est *ἡραμάπαιον*, quæ in uictoria æderetur, Omnino uidetur ab sono conformata uox. Eleganter uero Aristophanes: *ἀλλ' ἐὰν μὴ τοὶ γὰρ νικᾶς τῆ βοῆ, τῆνελλοῦ εἶ.*

Si utiq; exuperas uoce, tenellus es: id est maximus musicus: aut nicephorus, hoc est uictoriæ compos. Erat & niglaros, musicum melos exhortationibus aptum. Tenerum uero Melia, Oceani filia, & Apolline natum fuisse uatem ferunt, qui apud Ismenum uaticinaretur, ubi & manteum fuerit, quod Ismenum appellarunt. Sed & Thebis campus uisebatur Tenericus. Epilenium melos in Ptolomæi pompa à fatyris ad tibiam decantatum, Bacchium intelligo.

Prouerbij origo quod est, Habitus monachum non perficit. Hieronymi locus. De Iside multa. Quæ lino stoliæ. Sacerdotum munia. Item pauca de Osiride, Tiphone, Anubi. Acephali sacerdotes qui. Lini ratio, item salis. De apide pauca. Vitis unde nata. Ebrietatis detestatio. Sphinx cur apponetur templis. Piscem apud Aegyptios signare odium. Maris detestatio apud Aegyptios. Nephthys, sothis, afromyos. Nonnus quid. Albarum uestium luxuria. Archimandrita, archigerontes, synodita. Cap. XII

**R**eritum exculcatumq; Rhodiginis meis, etiam pullato circulo prouerbium est, Habitu monachum non perficit. Id quo uideri grauius possit, sibiq; in eo municipes nostri applaudant: uetus est, & quidem ex Græcis corruatū fontibus: cuius rei auctor mihi Plutarchus est: eius uerba subieci, *ἔτε γὰρ φιλοσόφου πωγωνοφορία ἐπειρωνοφορία ποιδισι, ἔτε ἰσικωὺς ἐε λινοσολία.* id est Non, inquit, philosophum facit promissior barba, nec uestis pertrita: non item isiacos lino stoliæ, id est amictus linei. Faciunt ad hæc Gellij uerba ex Noctibus Atticis, ut præteream quod in canonicis Decretis relatum scio, distinctione quadragesimæ prima: Non cathedra sacerdotem facit, sed cathedram sacerdos: nec locus hominem sanctificat, sed locum homo. Video, inquit Herodes, barbam & pallium, philosophum necdum uideo. Veluti mores & scientia genuinum, non insititium, non fucatum philosophum ostentent. Id tamē quantumuis sanctum prioribus nomen, & uenerationis summæ, pleriq; homines erratici, & ærucatores; ac nulli rei, tantum non incolæ sordentiū sæpe ganearum magna sibi doctissimi cuiusque indignatione, arroganter uendicare sunt ausi. Id ipsum & desiacis astruendum, quando moribus integer ac castus, sanctus, uirtutis exemplum singulare, Isiacus demum uerus censerī debeat: quiq; diuinæ ueritatis anxius sit scrutator, atque ei deniq; rei philosophando tempora impertiat. Id quod deæ ipsius comprobatur nomē ex priscorum theologia, quam in primis *σοφία καὶ φιλοσοφία* intelligunt, id est sapientem & philosophum, nominis argumento, quod ab Græca origine inclinatum, scientiæ noticiam significare aiunt: unde & sacrariū eiusdem, *ἱεραον* nuncupetur, quod uideamur eis *ἐσόμενοι τὸ ὄν, ἀν μετὰ λόγον καὶ ὁσίως εἰς τὰ ἱερά παρὲλθωμεν ἢ ἕτε:* id est cognitionem consecuturi eius quod est, si cum sanctitate ac ratione sacra deæ adierimus. Proinde narrant Promethei filiam, alij uerò Mercurij: quorum alter sapientiam monstrat & prouidentiam, Mercurium uerò grammatices ac musices statuunt repertorem. Quamobrem Hermopolitæ lina probant musis priorem, ut quæ diuinæ hieraphoris ueris ac hierostolis legitimis præmonstret: hi uero sunt, qui sacram diuinorum rationem ab omni expurgati superstitione, ac nimia uacantiq; sedulitate, in anima gestitant, perinde ac in capula quadam. Quod sanè felicitatis summæ quodammodo uideri potest. Nam qui recte sincereq; sapiunt, bona quidem cuncta à deo deposcunt sibi: sed in primis, quantum capax est humana ratio, ueritatis diuinæ cognitionem, qua maius nil capere homo potest, nec deus sua precellenti bonitate impertiri. Neq; enim argento aut auro deus esse opulentus creditur, nec tonitruis aut fulminibus præpotens, sed scientia & prudentia: quod ipsum egregie significauit illis uersibus Homerus,

ἡμῶν

*ἡμῶν ἀμφοτέρωσιν ὁμῶν γένος, ἡδ' ἰα πατρῶν, ἀλλ' αὖτε πρότερον γένος, καὶ πλείονα ἡδ' εἶ.*

Verè unum utriusq; genus, & patria una, sed Iupiter natu grandior erat, ac norat plura:

Propterea elaborandum sacerdoti præcipue, ut tanquam pestem, ignorantiam abijciat. Siquidem ait apostolus Paulus: Qui ignorat, ignorabitur: præsertim intelligere si neglexerit, ut bene ageret. Proinde in Quæstionum libro Augustinus: Non omnis qui ignorat, ab pœna immunis est. Sacerdos utiq; sal terræ dicitur, & mundi lumen. Hinc Malachias: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. Hinc ab docendi ac nunciandi proprietate sacerdotes etiamnum angelos dici, in Cælesti hierarchia comprobatur Areopagita Dionysius. Certè ita propemodum censeo, cognitione sequestrata, & abiuncta rerum scientia, immortalitatē non recte uitam dici, sed esse uerius tempus quoddam. Scitum est illud Hieronymi super Malachiam: Sacerdotē indoctum esse cæcum animal. Et Typhona Isidis inimicum, quem esse alium opinamur, quam stupidam imperitamq; multitudinem, errore deuiam, quæ conuellat, lancinet obfcureq; facram rationem: quam congregat Isis, componat, contribuatq; recte inuicatis, & patriam deo summam uitæ castitate, mentis affectu puro, abstinentia uoluptatum omnium exhibitibus: horum namq; finis omnium, intelligibilis primi cognitio. Equidem sacerdotis officium ac uirtus est, sapientia quædam pietate feruens, & pietas sapiētia collucens. Verum illud Hieronymi quo' nam transeamus piaculo? Monachi, inquit, uirtus prima est, hominum contemnere iudicia, & Apostoli semper recordari: Si adhuc hominibus placere uellem, CHRIS TI non essem seruus. Nec diuersum est illud dominicum ad prophetas, quo se posuisse asruit eorum faciem uelut urbem æneam, & adamantinum lapidem, ac ferream columnam, ne populi expauescerent iniurias, sed subsannatium impudentiam frontis rigore contereret. Quoniam uerò Isiacorum ritus attingimus, & si alibi scio futuram nobis de hac ipsa re mentionem, prosequamur tamen interim, quæ ex Græcis auctoribus sese nobis ostentant, uelut cella quadam proma, neq; enim aliud censerī debet gentis eius doctrina: ita est omnisariam copiosa, & tanquā quoddam bonorum mare. Quod igitur capillitio denudetur caput ab Isiacis, & totū corpus deniq; eam pleriq; arbitrantur rationem, quod is esset lugentium mos. Ferre autem lineas uestes, coloris eius rationem, quem florescens linum emittit, æthereæ, ac gratæ pulchritudini mundum continentī persimilem. Cæterum ea uerfor causa: Purum, inquit Plato, impuro attingere nefas, at ciborum superfluitas nulla pura synceraq; est: lanas autē, uillos, ungues, esse pullulareq; ex superfluitatibus quis non nouit? Proinde nonne ridiculum foret, tendentes ressecantesq; ac leuigantes quodammodo corporis proprii partes uniuersas, aliena circūponere, ferreq; superfluitatum (ut sic dicam) germina: quum sint itidem impura, & proinde diuinis ineptæ? Quod adeo uerū est, ut Hesiodus, quum ita cecinit, *μηδ' ἀπὸ πρὸς τοῖο θεῶν ἢ δ' αὐτὶ θελεῖν, ἄστυ ἀπ' ἡλωροῦ τὰ μνησθ' ἀθανάσιον ἰδὲ ἱερῶν.*

Non ab manu ramorum quinq; in deorum cœna celebrari aridum ab uiridi resecare splendido ferro:

non ferè aliud præcepti obscuritate uideatur insinuare, quam repturgatos ab ijs sacra festaq; adire oportere, nec inter sacrificia ritusq; solennes redundantia defecare. In nostra quin etiam religione Apostolo præcipiente, ut est in canonicis proditum Decretis, comam nutrire prohibentur clerici, caputq; in sphaeræ modum radere coguntur, id ipsum Gregorio item sanciente, ut sic fastigiū præminentis coronæ quoq; præferant: quod forsan argumento apud Tarsum Herculis sacerdos stephanephoros dicebatur, dignitate præsigni, qua honestatus à ciuibus Lysias philosophus tyrannidē arripuit, ueste protinus animum indicante, quam fuisse purpuream *μεσολάθου*, id est albo distinctam, scimus. Linum autem diuinæ rei maxime idoneum inde iudicatur, primum, quod ex immortalī, ut ueteres loquebatur, terra prodit. Fructum quoq; esui non ineptum ædere uidetur. Vestem autem puram omnino præbet, & frugī, nec gestanti onerosam, ac temporari cuiilibet peraccommodam, nec *φθειροπιόν*, id est pediculos producentem. Adeo uerò superfluitatū omnium naturam abhorrebant, ut non solum pluribus leguminibus absti-



abstinerent, sed nec ouillas aut suillas esitarent carnes, quod multū ex his fiat superflua materia. Quin sanctimoniam item ratione saltem cibis non adhibebant, causis quidem pluribus, sed illa praecipua, quod cibi potusque copiosioris appetentiam facit. Nam quod dicitur Aristagoras, saltem ab illis censerit non purum, quod plerumque animalium intercepta dum denset concrevitque immoriantur, fatuum omnino est, ac relatu indignum. Illud certe memorabile est, ac ubique saepius recinendum. Apidi namque suo ex puteo peculiari suggerunt potum, etenim Nili aqua prorsum putant abstinentum, ut quidam censent, ob crocodilos, aut uerius quod pinguefacit aqua id genus, inducitque πολυαρκίαν, hoc est carnis copiam uberiores. Apim uero ita se habere, prorsum cauent, immo uero & seipsos. Sed expedita omnino agiliaque corpora circumponere animam student, ne praualente quod morti obnoxium est, diuinum comprimatur, & molesto nimisque inutili exteratur pondere. Scitum quippe Graecanicum est illud, quod in nostrum si transferatur sonum, ad dubitat Hieronymus, an aequae resonet, Pinguis uenter non gignit mentem tenuem, Graece autem sic: *παχέα γαστήρ λεπτήν εὐνοῦν*. Vino utuntur quidem, sed praeparate. Tametsi in Heliopoli rei diuinam incumbentes templo nequaquam inferunt uinum, ceu de deceat interdum bibere, domino ac rege inspectante. Omnino saepe abstemios agunt, & philosophantes de diuinis aut docent aut discunt. Reges si sacerdotio fungerentur, bibebant quidem ad praescriptum sacrarum literarum. A Psammético tamen id agere orsi sunt: prius enim abstinebant, neque prolibabant, ut gratum deo, sed ut cruorem eorum qui bellare cum diis affectassent: quibus concidentibus, ac telluri immixtis, uitam enatam opinantur. Proindeque ebrietatem, amentiam insaniamque parare, ut progenitorum sanguine imbutis. Et haec quidem ab sacerdotibus iactari, auctor Eudoxus est in secunda Periodi. A nostro autem auctore ita proditum est, quod si absque uino ardeo adolescentia, inflammor calore sanguinis, & succulento ualidoque sum corpore, libenter carebo poculo, in quo suspicio ueneni est. Veteres porro delicatiorē mollioremque uictum ita detestatos memorant, ut proditum sit, apud Thebas in templo fuisse surrectam columnam, qua execrationes scalptrae continerentur aduersus regem Menin, qui mollicie luxumque inuexisset primus. Adnotandum hic illud Hieronymi in Iouinianum: De ciborum, inquit, sibi placent abstinentia, quasi non & superstitio gentilium costum Matris deum obseruet, & Isis. Qua tamen id parte haud dissimulandum arbitror mihi, locum insigniter interpellatum uideri, primum orationis structura: cur enim dicatur Matris deum costum, uel Isis: si eum in cibis aspernantur deorum sacris mancipati? Porro nec conuenit, si sacrum intelligas. Quid enim Aegyptiis cum costo? In Ponto & Phrygia quidem uermes albos & obesos, qui nigello capite sunt, & nascuntur in lignorum carie, pro magnis redditibus paterfamilias exigit. At, inquit mox Hieronymus, Coge Syros Aphros, Arabas, ut uermes Ponticos glutiant, ita eos despicient, ut muscas, millepedes & lacertos. Quod si ad Isiacos Romanae urbis referendum putes, quoquo te torqueas, frigebit excellenter. Alicubi scriptum comperias costum, non costum. Mendo non caret hoc quoque, sed ad uerum gradus est: nam subolet a Hieronymo Graece scriptum *αυδισον*, id est ciborum abstinentiam, uelut ieiunium, ubi nil uel parum praegustes, ac uilius. Extat uerbum apud Pollucem, exponitur ab Suda. Cybeleios uero & Isiacos luctus ratione cibis abstinuisse propter Atym & Osirim amissos, euident coniectatio ex Augustini libro sexto Ciuitatis diuinæ, & Lactantio libro primo. Quod igitur desiderio concupita rei factitarunt deae, imitabantur sacerdotes, aut quisquis sacra coleret. Proinde dicit recte Ageuston Matris deum & Isis, ieiunia in ueteri religione seruata, in libro de Osiride ac Iside Plutarchus docet, ac in deorum natura Phurnutus. Idem porro & mox error irroboraui, quum sic scribit Hieronymus: Quomodo autem uirginitati ueræ non prauidat imitatio uirginum diaboli, ita nec ueris ieiunijs costum Isis & Cybeles, & quorundam ciborum in aeternum abstinentia, etiam si costum hic quoque repositum in nonnullis comperias. Scitum uero dignum illud est: Ante Aegyptiorum templa sphingem astitui solitam, quo argumento indicarent, theologicam ipsorum sapientiam obscuriorem, fabulisque ita saepe conuelatam, ut ueritatis uestigia uix interlucere. In Sai Pallados erat templum, quam Isis etiam arbitrantur, eiusmodi praescriptione, *εγω ειμι παρ τω γελανος, εδν, κρη εσθμνον, ην τω εμω πεπλου εδεις πα θνητος απεκαλυψη:*

Ego

Ego sum omne quod fuit, est, erit: meum peplum mortalis reuelauit nemo. Sunt tamen qui alia ratione sensum in his promant allegoricum. Nam Osirim non alium esse opinantur, quam Nilum, qui Isis coniungatur, id est terra. Typhona interpretantur mare, in quod illapsus conuellatur Nilus, ac pereat: propterea sacerdotes detestari mare, quod & Typhonis uocant spumam. Nec nauticos affatu dignos censent, quia mari utantur, & inde uictitent. Pisces indidem auersantur, quumque significare odium uolunt, piscem appingunt. Inueni item, qui mundi partem infra terram, incognitam nobis Nephthyn uocent: supernam uero manifestamque Isis. Qui autem in meditullio utriusque orizon est, dicitur Anubis: quem canina facie deformat, ex animalis natura, quod interdum noctuque oculis utatur aequae. Hanc uero apud Aegyptios Anubin habere uim, quam apud Graecos Hecate habet, terrestrium pariter & caeli particeps credita. Sunt tamen quibus Anubin dici tempus placeat. Videtur plerisque Isis eadem, quae apud Graecos Io, quam Telegono nuptam, quum in Aegyptum perrexisset, Epaphum genuisse fabulantur. Scribit Horus, Isis Aegyptiace dici Sothin, quae Graecis uocetur Astromyon. Esse uero stellam quae caeteris dominetur, nunc plenior exoriens, nunc defectior, quandoque splendida, quandoque minus. Habuit Isis Romae item templum, quod solum in urbe Aegyptius sacerdos purum se reperisse dicebat, quum Plotino suassisset, illuc secum accederet, familiarem sibi daemone eo aduocante confestim inspecturus. Cui quum esset obsecutus facile Plotinus, ut exclamaret Aegyptius, Beatum esse Plotinum, qui haberet pro daemone deum. Scribit tamen uigesimo Antiquitatum libro Iosephus: Isis phanum solo aequatum ab Tiberio principe, patibulo sacerdotibus suffixis, quod eorum opera Paulinam forma exquisitissima, ab adolescente constupratam comperisset, sub specie accedentis per tebras numinis. Scribit Graeci, ex destinato per Isim iurantes morbis solitos conflictari: quod Philemon indicat, & significauit Iuuenalis. Quod ad sacerdotalem attinet integritatem, in nostris comperi auctoribus, id est Christianis, Acephalos nuncupari sacerdotes, qui sub nullius episcopi disciplina uel providentia gubernentur, uelut sine capite intelligi debeant, sicuti prisca sanxit consuetudo. Sunt inter haereticos Acephalita, item nuncupati, quod eorum auctor lateat, nec unde proreperint sciatur magnopere. Apud Aegyptios Acephali homines obambulantes expicti, rem quae fieri nequeat indicare traduntur. Acephalorum sit haereticorum mentio Codice De haereticis & Manichaeis, lege Idem est. Nec id omittendum ex Thucydide obseruatum, moris fuisse Argiuis, uti ab sacerdotibus tempora supputarent, unde est historicum illud, *ωδ ηγουιδω*, id est Chrysidis tempore: fuit enim apud Argos Chrysis sacerdos. Scitum dignum quoque, apud Aegyptios, sanctimonia praesignes monachos dici Nonnos: monachas uero & uirgines, Nonnas. Meminit uocabuli Hieronymus; Casta, inquit, uocantur & nonnae. Ex eodem Hieronymo in Iouinianum primo palam sit, luxuriae datum olim monachis, si uestibus uterentur albis, quod ea res lautitiam resiperet, ac triumphalem superbiam. Archimandrita codicis primo, sacrorum monasteriorum esse uidentur sacerdotibus praepositi, uti abbates. Legimus Archigerontas quoque titulo De episcopali audientia, quum & Synoditae mox nominantur.

Super Demosthene adnotata quaeriam non ingrata. Quid ad aquam scribere. Quid Batalus. Corrigitur error interpretis Plutarchi. De Calauria insula. Item Quidij locus. Batus piscis. Batio, nitarion, batyle, batylos, bater, batia, apobatos. Fracti qui intelligantur. Embates, embata. Cap. XII

**E**osthenem, proditum memoriae est, quum magnitudinem, uim atque splendorem Demosthenis in dicendo satis mirari non posset, solum ex oratoribus dixisse, animatas plane, non malleo cufas, id est *σφουδαίους*, orationes exhibuisse: quanquam non me fallit, M. Tullium quodam loco ita sibi scribere permisisse, Vtque eo, inquit, difficiles ac morosi sumus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes: qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas: ita sunt auidae, & capaces, & semper aliquid immensum, aliquid infinitum desiderant. Sed alibi tamen suo testimonio amplissime Demosthenem subleuat Cicero idem, ubi ait: Nemo est orator, qui Demosthenis similem se esse nolit.

Quin

Quin propter hunc unum Athenas item magis Atticas putat. Sed enim quam incredibile studium, quam inenarrabilem prope laborem adhibuerit, ut superatis naturæ impedimentis, id teneret eloquentiæ culmen, quod est cumulatiflime cōsecutus, quis adeo a musis longiore disclusus intervallo, quem lateat? Maximus certe Valerius, alterum ab natura Demosthenem, alterum ab industria factum prodidit. Ab eius porro immensa atque incomparabili ad dicendum cura adagium effingi nobile, nulla non hora identidem ingerendum inculcandumque rhetorificis nescio quibus, potest: de ijs, qui non citra puluerem, quæ sint habitura genium, & teretibus omnino auribus futura non inscita, nec putida, peruisilant, Ad aquam scribunt: quando tantus mox futurus orator, non utique uino madens luculentissimas orationes ex fœcundissimo pectore prompsisset. Quod de Aeschilo mordaciter retulit Callisthenes, quem ubi uino satis incaluisse, ac se largius bibendo excitasset, tragœdias eo calore concinnare solitum, scribit. Igitur urbanus in hanc Demosthenis hydroposiam luisse Demadem ferunt, sicuti Lucianus auctor est: Cæteri quidem, inquit, ad aquam dicunt, Δημοδότης δὲ πρὸς ὕδατος γράφει. Demosthenes autem ad aquam scribit. Nam Pytheas nimiam oratoris diligentiam præmonstraturus, τὸ κρότον τὴν Δημοδοτικὴν λόγων ἀπόζην τὴν νυκτερινὴν λόγων pronuntiauit, id est Demosthenicæ orationis sonum lucernam resipere nocturnam. Denique uis in Demosthene peculiari insignis modo celeberrima, sicuti in Isocrate suauitas, subtilitas in Lysia, in Hyperide acumen, sonitus in Aeschine, in Platone copia. Scribit tamen Libanius, Demosthenis inimicos in illius mollicie cauillatos, Batalum appellare eum consueuisse; cuius rei ipse quoque mentionem faciat in Oratione contra Aeschinem, siue pro Ctesiphonte. Nam & in prælio apud Charoneam, quo accisæ Atheniensium res sunt, fuga sibi salutem quaesiuit. Quod quum ab inimicis illi acriter & contente obieceretur, ita causam fouebat propriam, ut diceret, ἀνὴρ ὁ φθίνων, ὁ πάλιν μαχέσεται. significatis, eum qui mandasset fugæ præsidium, posse denuo in pugnam cooriri. Batalus dicebatur apud Atticos pudendorum pars. Sic enim Plutarchus scribit Δοκίμῃ δὲ τῆς ἀντιπροσώπου τῆς λεγούσης τῆς σώματος ὁμοίωσιν ἔχει τὸν ἀπὸ τῆς πόλεως ἡλεῖσθαι βάλαντον. id est, uidetur autem dici Batalus apud Atticos corporis portio, quæ honeste satis nequit enuntiarī. Sunt qui tibicinis infracti nomen esse Batalum putent, uel poetæ, qui lasciuia & uinolenta carmine sit complexus. Cæterum hic obiter lector studiosus monendus est, ubi Plutarchus scribit, ὡς δὲ βάλαντον ἀλυστῆς τῆς κερταγῶν: id est, Erat Batalus tibicen infractorum: quosdam ad corpus referre, quod Plutarchi interpretes uidetur sensisse; cuius uerba præteximus, tanquam is fuerit corpore distorto: quod nequiquam uerum est: nam, auctore Libanio, ad mores & cantus & habitum tibicinis Batali pertinet uerbum id κερταγῶν, id est infractorum: nam subintelligendum est, cantuum: quoniam etiam Latine, fracti dicuntur fluxi, molles & effœminati: ut apud Quintilianū libro quinto: ut fortasse corpus uulsum, fractum incessum, uestem muliebrem dixerit aliquis, mollis, & parum uiri signa. Libanij uerba sunt hæc, ἐστὶν γὰρ ἡ βάλαντος ἐφ᾽ ἑσῶν ἀλυστῶν γυμνάσιον, ὅς πρῶτον ἔσποδῆμασι γυναικείοις ὡς ἐπὶ σκλῆρις ἐχρήσατο, καὶ μελεῖσι κερταγῶν, καὶ ἄλλως τῶν τε γυμνῶν ἐμάλδαφον, ἀπὸ τῆς δὲ αὐτῆς ἐκλύτῆς ἀνὸν ἔσποδῆμα, βατᾶν ἐκάλου. id est, narratur fuisse Batalum quemdam Ephesium tibicinem, qui omnium primus in scena calciamentis usus est foemineis & fractis cantibus, & artem tibiaram remolliuisse prorsum uidetur. Ab hoc fluxos, exsolutos & parum uiros, batalos uocarunt. Porro in molles, batali nomen enuntiarī solitum: Præter Thomam magistrū, Hermogenes item scribit. Meminit Aeschines in oratione πρὸς παραπροβείας. Eupolis uidetur batalum dixisse τὸν προκρόν, id est podicem; unde & cinædos putarunt aliqui batalos dici, ἀπὸ τοῦ τὸν πηδῶν γὰρ ἔργον καὶ βατᾶν λέγεσθαι, id est ictibus qui in re fœdissima inferuntur. Cæterum, ut ad Demosthenem reuertamur, dignum memoratu quod proditur, Huic tam summo, tam omnibus fere numeris in oratorij campis, & dicendi palæstra absoluto iocorum defuisse facultatē, quæ M. Tullio superfuert. Vt sciamus, non modo eidem omnia non dari, quod Homerus inquit, & relatū apud T. Liuium scio, uerum esse quædam, quæ nulla ars, nulla unquam uicerit cura. Circumferuntur tamen quædam illius non omnino illepida aut inficeta: Vt quum Pytheas dixisset mordacius, Orationes illius obolere lychnum, Scio, inquit, tibi molestam esse ardentem lucernam. Is enim ut fur, male nonnunquam audiebat. Id uero

uero adnotandum ὁ δὲ πᾶσι γινώσκον, Calauriam dici insulam, Trœzenio littori proximam, in qua se ab Archiæ manibus ueneno Demosthenes redemit: non Calabriam, ut modo in Plutarchi Latinis codicibus ferè circumfertur. Hæc enim est Italiæ portio. Distinctionem hanc agnoscit Eustathius. Inde apud Ouidium in Metamorphoseon libris: Inde Calauræ Latoidos astat in arua.

Quamquam ibi modo legitur, Calauræ. Sciendum tamē in Periegesi Dionysium Aphrū insulam appellasse Καλαυρία: unde & Rhemnius Fannius, Calabria dura colonis. Quod de Batalis diximus, animaduertendum quodam loco Plutarchum dicere, Batalos esse Germanorum equites præstantissimos, qui insulam colant quam circumfluat Rhe-nus. Sunt qui batum interpretentur mollem, delicatum, cuiusmodi ferè sit batus piscis: unde & nitarion & bation subblandientium puellis deminutas esse appellationes tradunt. Nam & Nitarus quidam morsu comico habetur mollicie infamis. Pusilli quoque corporis foeminas, barylos uocabant. Batyle uero est Theopompi drama. Bater autem, hoc est βατῆρ pastoricium nuncupatur baculum, cum quo pascunt. Est & bater, principium caueæ Pentathlorum. Hinc profluit illud eruditius, ὡς τὸν ἱερακῆος τὸν βατῆρα τὸ λόγος, id est, ipsam pulsasti orationis præcipue tempestiuam, & primam partem. Pro uitriga bater, Latine dicitur pedum. Addamus & Pollucis interpretamentum, Vnde, inquit, profilit Pentathlus, dicitur bater. Batiam, & apobaton uocant Græci rubis confitum locum, Latini fenticetum dicunt, uel dumentum. In sanctis literis est item mensuræ genus rerum liquidarum batus, cori pars decima: unde in Euangelio illud, sicuti legebat Hieronymus quoque, qui dixit ei, centum batos olei, Olus cordum, inquit Columella, qui dam battin uocant: est uero aculeata, sponte nascens, marina & hortensis. Embata sunt tragica Græcis calciamenta, sicut embades comica, scribit Ammonius.

Lineam polcere, quid: & quid in spectaculis linea. Item de longurijs, ac ramictibus, & uacerris, & cancris, seu cæcellis. Cinclides. Cinclidarij qui. Longis lineis facere quid sit. Linida quid uocent Græci. Histopedon. Histodice. Concades quid. Cap. XIII

**Q**uintilianus libro undecimo ita scribit, Transire in diuersa subsellia, parum uerecundum est: nam & Cassius Severus urbane aduersus hoc facientes lineam poposcit. Quid sit hac parte linea, uideri ambiguum, scio. Ego longurium accipio, sic enim longiores perticas, aut robustiora ligna, quæ in stabulo equis interponuntur, ac ne consurgant in pugnam, aut se mutuo feriant, appellari obseruauimus. Varro in Rei rusticæ libro secundo: Itaque in stabulis & humore prohibere oportet humum, clausa habere hostia & fenestras, & inter singulas equas a præsepibus interijcere longurios qui eas discernant, ne inter se pugnare possint. Meminit & longuriorum libro primo, in septorum ratione: Sepes, inquit, sit palis statutis crebris, ac uirgulis implicitis: aut perforatis, & per foramina traiectis longurijs ferreis binis aut ternis. Cæsar Commentario quarto: Hæc directæ materia iniecta contexebantur, ac longurijs cratibusque confternebantur. Longurios etiam ramices dici, obseruatum apud Columellam est libro decimo: qua in parte, uacerras item clatorum genus interpretatur. Seruius Aeneidos quinto, ubi in ludorum celebratione Virgilius ait:

Signoq; repente Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt: regulam interpretatur, quod dixit poeta limen, aut signum de creta factum. Ex cuius uerbis facile percipi licet, cur in ludis ab eruditis per sæpe linea nuncupetur alba, quam significasse Martialis uideri potest illis uersibus libro octauo:

Omnis habet sua dona dies, nec linea diues Cessat, & in populum multa rapina cadit. Sed & Ouidius primo De arte, circensia attingens spectacula currentium equorum: Et bene te cogit, si nolit, linea iungi,

Qua tibi tangenda est lege puella loci. Etiam si modo loquum sedendi ordinem nonnulli interpretantur. Sicut & illud in Amoribus: Quid frustra refugis? cogit nos linea iungi. Porro, ut in carceribus uisebatur linea, sic & in meta, ubi uincensibus proponebantur præmia: ut Pindaricus tradit interpret. Vlpianus Digestorum nono, ad legem Aquiliam, q ita

ita inquit: Si maritus uxori margaritas extricatas dedisset in usu, easq; in scio viro perforasset, ut pertulis in linea uteretur, tenetur lege Aquilia. Sed apertius idem Digestis De furtis, libro quadragesimo septimo: Si linea margaritarum surrepta sit, dicendus est numerus. Longis porro lineis quid fieri, eleganter dicitur, quod è longinquo fit: uelut, extrema linea amare, apud Terentium Latinitatis obseruantissimum. Linida uerò, id est *λυιδία*, uocant Græci histopedam, id est cauum in nauis locum, cui malus inseritur: nam histodocem, lignum in puppi prominens dicunt, in quod reclinatur arbor eadem. Ad lineam præterea spectat illud Hieronymi quoq; honesta prolata metaphora in Luciferiani & Orthodoxi dialogo, In gradum rursus ac lineas regredere. Cancelli ab hoc proposito non ualde seiunguntur, quando & hæc erant ueluti septa quædam ex lignis transuersim iunctis obliquatisq; ad defendendam, hoc est repellendam turbam, pressim agminatimq; prouentem: quod Ciceronis lectio nobis suggerit, qui De oratore libro primo ita scribit: Nam si quis erit qui hoc dicat, esse quasdam oratorum proprias sententias atq; causas, & quasi certarum artium forensibus cancellis circumscriptam scientiam, fatebor equidem in his magis uersari hanc nostram dictionem. Et pro P. Quintio: Et me facile uestra existimatione reuocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipsi circumdedi. Quin & pro P. Sextio, è fori cancellis plausum excitatum scribit. Sidonius item Apollinaris quadam libri quinti epistola: Umbram, inquit, stipitibus altatis, cancellisq; pendentibus pampinis superducta texerat. Cancellorum rationem graphice expinxit Varro Rei rusticæ libro tertio: Præterea, inquit, è perticis inclinatis ex humo ad parietem, & in eis transuersis gradatim modicis interuallis perticis adnexis ad speciem cancellorum scenicorum ac theatri. Hinc cancellata elephantorum cutis dicitur Plinio. Hosce cancellos item caneros dici, quanquam rarerer admodum, animaduertimus. Inde scitu dignum prorepsit adagium, ut inter Orci caneros adhæsisse dicatur, qui ita irretitus illaqueatusq; teneatur, ac impeditus, ut nusquam pateat effugium: quoniam Plutonis septa & Cocytii irremeabilem necessitatis uiam, ut cecinit Orpheus, in Mercurij terrestri hymno, qui euadere iam tentet, prorsus Aethiopem lauat. Est qui cancellos pro abaco selsili interpretetur. Sunt porro, qui cancellos dici à Græcis *κινκιδας* putent. Nonnulli eo nomine coruum intelligunt ferreum, quo contineatur ianua: cinclum uerò auem motacillam. Pollux, cinclidas arbitratur ualuarum species. Aristophanis interpres in Vespis, dicasterij, hoc est stationis iudicialis ianuam dici putat cinclida, quam (inquit) etiam cancelotem dicunt, id est *καγκελωτόν*. Alij ex Græcis cinclidas intelligunt *κινκιδας*, id est ualuas duplices, aut etiam foramen quo immittitur clauis. Cinclidarios uocabant, quibus Archium foret curæ, præsertim ne quibuslibet ad libidinem pateret ingressus. Lego deniq; apud Cæsarem, & Ammianum quoq; concædes nuncupari firmiora quædam ex cælis arboribus sepimenta. Cornelius Tacitus libro primo: Frontem ac tergum uallo, latera concædibus munitus. Cinclidas, pro carcere accipit Plutarchus in Lucullo, ubi pressos scenore ab publicanis pati coactos scribit, *κινκιδας, καὶ ἰππος*. Theocriti interpres, Hysplax, inquit, laquei species, proprie autem cursorum carceres sic uocantur, quem nos cancellum dicimus.


LODOVICI CÆLII RHODIGINI IN LIBROS ANTIQVAVM  
lectionum Præfatio sexta, ad illustrem philosophum & Venerum no-  
bilem Nicolaum Theopolum Rhodigij prætorem clarissimum.



Ostea quàm urbem nostram, uir magnifice, inisti prætor, mihiq; præter summam nobilitatem, multis insignem imaginibus, doctrina haudquaquam extritio, sed interiore, ac inde admiranda præcipue, moribusq; philosopho, & eo utiq; Christiano dignis es fama cognitus, ita tibi sum affici cœptus, ut uotorum illud esset maximum, tibi me arctius ac familiarius insinuasse. Siquidem ex sua uisissima consuetudine tua, si modo essem assecutus, ut certa sic & præsignia perspiciebam emolumenta percepturum: illud uerò grauissimum, ut abs te digrederer nunquam non rerum usu peritior, philosophica ratione solertior, integritate, fide, cōstantia, omnifaria deniq; bonitate instructior expurgatiorq;. Quamobrem quum te huc primò appulsum adissem pro more salutaturus reuerenter, ea sum à te benignitate, ac frontis exporrectæ lætitiæ exceptus, quum adiecisses, tibi me fama, etiam si non de facie, factum Venerijs notiozem, quod pleraq; de rebus meis honore multo audisses, ut confestim non factam modo rem mihi sim opinatus, sed iam spei plenus maxima quæq; de tanta uirtute audacius mihi polliceri sim uisus. Nec sanè conceptam de te opinionem uel minimum falli unquam aduertit. Non commemorabo pluribus, qua me accedentem uerborum & rerum munificentia sis amplexatus, qua ingenitate ac animi candore nonnunquam secretiora mihi sis impertitus, quum de Insulubrium re sollicitum me nosses, quod in amplissima ciuitate quinquennium iam profitendi obissem functionem, essetq; bellorum interuentu ea interpellata cura. Scio quàm honeste cum meis ciuibus de me uerba feceris, & quidem non semel. Vbi insita diuinitus animi minime fucati simplicitate prætulisti quoq; quàm tibi esset præsentia nostra grata: nec id ambitione ulla, quantum eualui dispicere, sed cupiditate syncerissima de literis fabulandi, præsertim Græcis, quas uel ad satietatem imbibisse uideris, sic ut qui te, ac reituz publicæ curam per uigilem minus norunt, unam tibi eam fuisse prouinciam suspicentur. Sum admiratus & ipse non ingenium modo, nunquam non in numerato, sed & memoriæ capacissimum thesaurum, cuius uis semper procincta, legentis modo Græcos exhibes auctores: sed Homerum cum primis, quod illius præcipue maiestati, non Darij unguentorum scrinia, ut Macedo imperator, sed animi tui diuinius conditorium compararis. Insignem de me opinionem tuam uir clarissime, palam fecisti, quum abs te sum inter eos allectus, qui Christiano ritu filiulam recens natam de sacro lauacri fonte tollerent. Quo quidem nomine tibi me ita deuinctum opinor, ac prorsum obarratum, & ne xu iusto addictum, ut quantalibet fuerit uita, rationem factum iri parem, iam hinc despondeat animus, ni me uadata fuerint literæ, quas unice amas & amplexaris. Sentis ne quos tibi exhibeam prædes, uir magnifice, uel qua uerius parte contractam alieni aris uim dissoluere accingar: iam ne tibi decocturum me suboleat, in rem præsentem manu confertum te uoco, ut nostrarum lucubrationum laborem hunc tibi secundum uendices, animi mei gratitudinem portiuicula saltem minima perspecturus. Id quod tibi casu rum opinor gratius, quoniam dæmonum naturam eo ferme explicamus, & tu philosophi eius uestigijs inheres affixus, quem dæmonij cognomento honestatum à prioribus compertum tibi est. Simul & hominis fastigium nobili cæsura perpēdimus, & animæ historiam ex Platone, Aristotele, ac cōsectatoribus cōpingere adorimur: dignā uiro philosopho disertationem, omnibus eo iucundiorē, quod is est futurus tanti ductor agminis, cuius typum graphice nobis ueterum exquisitissima ingenia expinxere.

# LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIIONVM ANTI- QVARVM LIBER VNVS, QVI ET SEXTVS.

Salis potestas mira. Piscatorum corpora cur cornea uideantur. Cutis crassitudo cur hebetudinis indicium. Enarratur locus difficillimus Fabij, In malaco sanum. Citra, cittalos, picatio: item quid malacia. Tollitur medum ex Seneca, & Cesare. Quae apud Herodotum sit Persarum Halia. Interim qui dicantur inexistimati, uel existimati, Gethyllides, Portorium salis. Cap. I.



**N** E T V S sententia est, a celeberrimis utriusque linguae auctoribus, literis commendata, Totis corporibus nihil esse utilius sale ac sole: ideoque piscatorum corpora uideri cornea, Sentiri remedium in podagra praecipue, probant. Etenim astringit sal, siccat, alligat, putrescentia quoque corpora ita uendicat, ut ea durent per secula, quod Aegyptiorum comprobant instituta, quibus mortuos sale condire moris fuisse, plane Herodoto credimus. Inde consuetudo inoleuit Graecis quandoque, ut uino madentes, & plane delyros etiam oleo perungerent, sale admixto, ceu singulare id foret adiuuentum. Quin & ui-

no, ne stupescat, aut in acetum degeneret, sale in deryro cōsueuerunt. Ex hoc factum uidetur, ut facetissimus comicus in comœdia, cui titulus Nephela, ita scribendum sit opinatus,

*ἀλλ' ἂν ἴσως ἄριστος*

Sale perfrictus expurgatusque hic iuuaretur utique. Quem locum eius poetae enarratores ita ferme explicant, ut addant id quoque, Delyrantes oleo linebant & sale, ac proderat. Ut crassioris autem cutis, eum in quem ista proferuntur subannat: pelles siquidem pinguedine crassiores, sale si emolliantur, laxiores fiunt, & inde capaciores. Puto, quia salis uim nouimus pingue onerosum perficcare depurgareque. Nam & in Medicinali sylua quinto libro Dioscorides, auctor in literis haud inexistimatus, ita enim intelligo, quem *ἀδελφῶν τε* uocant Graeci. Nam & existimatum accipit Gellius, qui sit in pretio censeaturque. Dioscorides inquam, salis multiplicem usum permonstrans, potentiam habere memorat, smeeticam, apocatharticam, id est purgandi & abstergendi. Nimirum suspicantur interpretes hi cutis crassitudinem subtilitati innati spiritus officere. Nam & Plautini sales illuc uidentur spectare:

Meus herus elephantī corio circūtectus, non suost,

Neque plus habet sapientiae, quam lapis.

Nam magnos stupidosque, elephantorum nomine intelligebant, uel Graeco suffragante prouerbio. Legimus in Naturali historia, fuisse nonnullos qui subtilitatem animi consistare non subtilitate sanguinis opinati sint, sed cute operimentisque corporum. Et tunc magis aut minus bruta esse, ut ostreas & testudines. Boum tergora, fetas suum obstare tenuitati innati spiritus, nec purum liquidumque transmitti. Sic & in homine quum crassior callosiorque excludat cutis. Caeterum perpensio haec digna satis, quam hic pro uirili excutiamus, nec tamen sermone ita longo, aut laciniosis periodis. Qua in parte introspicenda plane, non ab limine salutanda modo philosophorum uolumina, & adyta augustiora, in quibus naturae placita cum rationibus suis solertissime explicantur: ne quis ista nobis nummo, uti sic dicam, putet addicta. Si illud inseruero prius, inter militares animaduersiones fuisse ueteribus sanguinis missionem, quod interrogatum primo creditur militibus animi stupentis, atque a naturali declinantis habitu, ut non tam poena uideretur, quam medicina. Scribit in secunda Animae historia Peripateticus nobilis ad hunc ferme sensum, Gustum habet homo certiore cunctis animalibus. Est enim gustus, tactus quidam: hic autem in nobis exactissimus est sensus, in alijs exuperamur excellenter. Inde fit, ut sit homo animalium prudentissimus. Signum est inter homines quoque iuxta sensum esse aliquos hebetes, alios ingeniosos. Quod in alio sensu non contingit, *οἱ μὲν γὰρ σκληρόσσπρῳι, ἀφ' ἑἴς τὴν δυνάμειν, οἱ δὲ μαλακῶσπρῳι, ἀφ' ἑἴς.* id est, duri quidem carne, inepti

inepti mente, molles autem ingeniosi: haec Aristoteles. Quae quia forte ambiguitatis habent aliquid, nec studiosorum uota explent omnino, illud amplius expendendum; Bonitatem mentis ratione duplici tactus correspondere bonitati. Prior est: Tactus sensuum aliorum fundamentum est: manifestum enim, quod organum tactus late per totum corpus fufum est, & quodlibet instrumentum cuiuscumque sensus est etiam instrumentum tactus. Erid, ex quo esse dicitur aliquid sensuum, est tangendi sensus: unde ex hoc, quod quis habet meliorem tactum, consequitur item habere eundem sensoriam facultatem meliorem simpliciter, & inde esse melioris item intellectus. Siquidem sensuum bonitas, dispositio est ad intellectus bonitatem. Si uero habeat quis auditum excellentiorem, uel uisum, non infertur propterea, eundem sensoria potestate simpliciter praecellere, sed secundum quid tantum. Altera ratio est: Quia tactus bonitas complexionis siue temperaturae sequitur bonitatem. Etenim quum instrumentum tactus sequestrari nequeat a numero uel genere tangibilium qualitatium, eo quod est ex elementis compositum, oportet id esse in potentia ad extrema, saltem per hoc quod est inter ea medium, siue media tangibilium proportio: quantoque illas qualitates minus habet excellentes, tanto efficacius mediocritatem sibi uendicat, & tangibiles percipit qualitates. Bonam porro corporis temperaturam siue constitutionem sequitur nobilitas animae: omnis enim forma cum sua materia proportionem habet. Et ex hoc infertur id, quibus praestantior fuerit tactus, praestantior rem quoque inesse animam, atque nobiliorem ac perspicacior mentem. Verum hic forte ingerat se quispiam, non uideri usquequaque uerum, Molles carne perspicaciores haberi: quado ratione ista, sexus muliebris masculino colligetur prudentior multo, ingeniosiorque: siquidem muliebre corpus mollicium tenellumque est, & cuniculi capillo, & anferis medulla quoque mollius: ut Catulli uersiculis abutamur. Et scimus tamen in Politicis Aristotelem scribere: Puerum imperfecti esse consilij, & foeminam inualidi, seruum uero nullius. Verum scire decet, carnis molliciem modis intelligi duobus: siue ut est ex cōtemperatōnis bonitate, quae rara sit & bene disposita, id est (ut Albertus inquit) ex humecto tenui, & spumoso aereo, ac contemperato calido: nam & Plato docuit, formae bonitatem inoriri pro materiae meritis, siue ex phlegmatis exsuperantia: quo modo qui sunt, non fere dicuntur tactus boni, quia non insunt qualitates sensibiles recte ad medium redactae, & proinde nec mente intelligitur apti satis: quo in genere mulieres sunt, quicque phlegmatici uocantur. Ex his uero quae non omnino incuriose, aut illotis pedibus ex summis & plane classicis auctoribus in media literatorum cohortē produximus, iam opinor illata lux est Herculano illi (ut sic dixerim) nodo, Cimmerijs obuoluto tenebris, & Platonis numero item obscurior: in cuius enarratione, haecenus aqua haesit. Et Hermolaus, lectionis uir incredibilis, ac in re literaria detritus plane & retorridus, & exactissimi iudicij, quem *ἢ πῶδα* insequi, turpe uideri possit nemini, adeo desponsam destinamque uiris magnis gloriam obscurare in animo non est: in eo tamen Fabij loco, In malaco sanum: quid sentiat, non satis constitutum habere, fatetur ingenue. Quum tamen non aliud significet ex Peripateticis scholis, quam in carnis mollicie & raritate summam intelligi mentis sanitatem, id est prudentiam & perspicaciam: quoniam ita affectis facile item, quicquid est redundantis copiae ac retrimentitiae digeritur & euaporat, nec phantasticum aut rationalis potentia perinde syluestri tumultu obturbatur. Quod ita esse, id quoque indicio est, quia fatuos ac rudes *παχυδέρμους* appellare Graecis mos est, ac fitu dicas, crassipelles. Quid, quod Quintilianus id uerbum fuisse artis alicuius proprium, apertissime dicit: Vbi philosophos intelligere potes, aut quod amplius arridet, diuinculos, qui physionomones dicuntur: a quibus usurparetur subinde, In malaco sanum: ubi quem ita constitutum contemperatumque inspexissent. Est autem physiognomia, mantices pars, ea quae ex ore omniumque corporis membrorum facie motuque ac filo hominum coniectat mores: de qua ut Aristoteles & Adamantius, ita multi alij tam Latini, quam Graeci scripserunt. In eo genere sunt item metoposcopi, quos ex facie addiuinantes, Plinius interpretatur. Eorum & Tranquillus meminit, & satyricus poeta significauit, Frontemque manumque

Præbebit uati, crebrum poppyfma roganti.

De malaco autem si quis ambigit, ac Graecè nescit, norit id uerbum significare molle:

Nam malacia, pręnantium Plinio est mollicies quędam & defectio, quęm languentes modo hoc, modo illud appetunt: adeo ut terram quoq; uorare appetant nonnullę, carbones etiam extinctos, aut cimoliam, inquit Paulus Medicinę primo: quę res nuncupatur *λίθη*, id est pica. Nam & Gethyllidas Latonę sacras, scribit Athenęus, quoniam pręgnans id cibi expetisset genus. Gethyllidas, sunt qui cephaloton porrum interpretentur, id est capitatum: sunt qui gethyum, seu getium. Prouenit incommodum id ab cõceptu mense potissimum tertio, nequeunte fœtu interim delata in uulua omnia ratione alimēti absumere, insita imbecillitate, proindeq; in stomacho multorum facta redundantia. Ex qua etiam absurdorum sese promit appetentia: indidem quoq; nomen nacta affectio est, *ἡ δὲ πικίλλου τοῦ ζώου τὴν λίθην*: id est ex auis uarietate. Vel, ut scribit Paulus Aegineta, quod malo id genus corripitur frequentius. Est & in stomacho malacia, id est debilitas. In Matthæi Euangelio, *μαλακίαν* interpretantur langorem: qui sit leuior morbus, ac lentior: non quidem lecto affligens, sed ualetudini moramenta obiectans, & quo minus uideamur sanitate inculcata, prępediens. Corrigendus obiter error manifestarius in Senecę Epistolarum libro nono: In otio inconcussio iacere, non est tranquillitas, malicia est. Tu expunge insitium uerbum, & genuinum ita reponere, Malacia est. Apud Cæsarem Gallici belli libro tertio, Malacia item maris nominatur pro tranquillitate ac uelut mollicie, quanquam scribitur modo malachia, sed indocte. Illud non transliendum ex Gręcorum thesauris, ob Paridis necem in morbum fœmineum mox Philoctetem incidisse, quo nomine is erubescens deserta patria, ciuitatem cõdidit, quam ex re Malaciam dixit. Cito sin præterea dicunt Gręci, quum ab racemis dilapsi acini percutunt. In Plauti fabula dici legimus, Mœchum malacum, cincinnatum, umbratilium, tympanotribam. Quod de physiognomia mentio nobis facta est, sciendum ex Proclodoctrina, morem Pythagoreis fuisse, per signa in corpore constituta uenientes ad ipsos perpendere ac pensulare exactius, ad meliorem ne uitam apti forent. Quoniam natura ipsa, quę animis confingit corpora, instrumenta eis congrua subministrat, imaginesq; animarum in corporibus indicat, per quas & illarum ingenia eius artis periti possunt deprehendere. Meminit Gellius Noctium Atticarum primo. Quod ad salem attinet, abs quo digressi sumus, *ἐλίξου* Gręci dicunt sale condire: quanquam & eo uerbo congregatio significatur, unde halia Persarum dicitur Herodoto, id est congregatio, seu concilium. Sunt & halides, seu halia, sali terendo uasa accommodata. Auctor M. Varro est, ad Rhenum locis quibusdam nec fossicium haberi salem, nec marinum, sed lignorum quorundam combustis carbonibus pro eo uti. Portorium salis dici apud Liuium obseruauimus.

Mos abluendi infantes sale, aut frigida aqua. Enarratur Virgilij locus. Salis, fermenti, ac mellis nomine quid intelligendum in sanctis literis. Chondros, chondritis, hypocondria. Licnos quid, & unde. Infantum in uanos depositio. Sal Indicus. Cap. II

**I**T quia salis emolumenta paulo antę perstrinximus, nõ negligenda item sunt uisa, quę a scientissimis medicorum insinuantur nobis. Siquidem Galenus quodam loco, etiam si ambigunt eruditiores, sit ne de principis medici officina opus id, sale aspersos infantes obuolui fascijs præcipit. Sed & prima primi Auicenna: Festinadum, inquit, ut infantum corpuscula perluantur aqua, in qua coliquatus sit sal, ut occallescat umbilicus, atq; item cutis: ita tamen ut non contingantur nares, aut os. Cur uerò sic faciendum astruamus, ratio est, quoniam mox æditum infantem ob nimiam teneritudinem omnia infestant. Quo nomine semel bisq; sale abluere per salubre est, præsertim si exuberet sordibus, & nimio plus sese promat humectatio. Confestim uerò ab ijs tepidiore confouendus aqua. Adhuc Galenus, salis potestate cuti callum induci sic, ut densior solidiorq; ijs quę intus sunt partibus reddatur. Quibusdam etiam myrti folia inspergi arida, uerum ijs statum non citra uitium esse. Cæterum more suo Auerrois ista putat reijcienda, præpositis quę minus acrimonia morsum, ut sic dicam insigat: cuiusmodi sit oleum balaninum ex glädibus, effectu eodem qui in sale sentitur, ut credit Auenzoar. Cooriantur in Auerroẽ magna uel Auicennę interpretes, quoniam oleum id genus styptica potestate efficax quidem habeatur, non tamen æque for-

dentes

dentes humectationes resolueret, quibus inebriet cutis ex uterina redundantia. Addunt etiam, unguine intimo non perinde ut salem, oleũ posse callum inducere. In quem usum pleriq; item mos est, natum infantem in frigidam aquam mersare, sicuti septimo Politicorum cõmeminit Aristoteles, sed Galeno De regimine sanitatis primo, id non arrisit, additis etiam rationibus cur fecisse inutile sit. At confert, inquit Philosophus, statim a pueritia assuescere, hoc enim ad sanitatem & ad res bellicas utile est: quare apud Barbaras gentes irroboraui mos, uel amne gelido infantes abluere, uel tenui amiculo conuestire, qui Gallis mos est: ad cuncta enim quę possint, initio statim insuescere, optimum est. Adiuuat autem pueros, innatus calor aduersus frigoris uim: iam ex ijs opinor, lucis plurimum inferri Virgilianis uersiculis,

Natos ad flumina primum

Deferimus sæuocq; gelu duramus & undis.

Cæterum Galenus inquit, si ab extimo frigore insitus peruineatur calor, an non liquidò sequitur interitus? Quamobrem quis utiq; mentis compos, nec ferus omnino aut Scythia pignus proprium subire aleam permisit, in qua errorem sine uadimonio consequatur mors: præsertim quum ex discrimine non multum sit, quod lucro ascribas. A sino fors san densior contulerit cutis, rationali naturę non ita: nam quum corporibus duplex ingruat incommodum, ab extimis unum, ab internis alterum occasionibus, certè quorum rarior molliorq; fuerit cutis, ab extimo facile oblaeduntur malo, quorum dura consistatiorq; ab interno. Propterea Hippocrates: Raritas corporis ad transpiratum ijs, quibus plurimum aufertur, salubrior: quibus minus, insalubrior. Quare Germanos, agrestesq; alios, aut Barbaros ualere sinamus: illis (inquit) nõ magis præcipimus, quam urliis, apris, leonibus. Et quia de sale producta pleraq; nobis sunt non illepida forsitan, ne illud quidem negligendum: In sanctarijs religionis nostrę, salem pro apostolica ferè accipi sapientia, propter illud Matthæi bracteatum, Vos estis sal terrę. Ita enim Leuitici secundo scriptum inuenias, Quicquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis dei tui de sacrificio tuo. Sed & apostolus Paulus: Sermo, inquit, uester in gratia sit, sale conditus. Neq; enim sequestrato rationis ac discerniculi examine libratiore, deo placere quicquam potest. Quod autem paulo ante præcipitur, Omnis oblatio quę offertur domino absq; fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio domini: intelligi uolunt philosophicum tumorem, & ciuili eloquentiã lenocinã, uoce quidem, non re prædulcia. Auctor autem in Crasso Plutarchus, lentem ac salem ab Romanis *πυθίμα* credi, hoc est lugubria, & proinde apponi mortuis consueuisse: hincq; ingruentium malorum præfagium Crasso factum, quod militibus duo hæc prima in necessariorum distributione sint data. Cæterum ab interprete miro sunt hæc silentio præterita, etiam si ueteris ritus non ingrati cõplectuntur memoriam. Salem Indicum Barbaro uocabulo saccharum dici animaduertimus. Illud deniq; adiecisse, non fuerit otiosum, opinor, *χρυσός ἐλαδὺ* dici à Gręcis, de sale qui crassior sit, uelut chondritis uocatur *πυθία σελιδάλις*, quam siliginem interpretantur: *χρυσός πια* uero dicunt loca, in quibus concidatur chondros. Galeno, & medicis, aliud prorsum chondros est. Venter, inquit in Pragmatia *πυθὶ ἀναπυθὶς* Galenus, percussioni destinatus orditur à chondri medullis, ubi *σῆμα* dicitur *κοιλίας*, id est uentris os. Alibi porò idem auctor, hoc est in partium extimi corporis nomenclatura: Sub ore, inquit, uentris in superficie exteriorè congrue nominantur hypocondria, quoniam chondro recte subijciuntur. Sunt autem peritonæo substrati musculi, extra cute obuelat. *δμωνύμως* autem interna uiscera *σποκόνδρια* uocantur, quando sub chondris & ipsa sunt *πυθὶ νόθων πλυράδων*. Quia uero de infantum cura affatim transeginus, & illud non insuper ex Gręcorum commentarijs habendum, Licnon dici ab eis, *δ κοιλίον*, id est cunam, *πυθὶ δὲ λίαν λινοδάρι*, quia motetur subinde: aut licnon intelligamus, *δ λικομητιον*, id est uannum, quoniam æditos primum infantes in uannos deponerent: quod alimentorum copiã, ac bonitatis symbolum coniectabant.

Cur somniculosi quibus angustę sunt uenę. Item pumiliones. Cur in cogitatione profundiore obrepit sopor.

Cap. III

q 4 Multa

**M**ulta quidem & copiose satis, ni fallimur, de hominis ratione conscripsimus: poterant & plura, sed nobis in vastissima rerū congerie seruire temperamentum quoddam, uisum præstabilius est. Ne tamen cuiusquam querelis detur occasio, quod & præfati alibi sumus, ubicunq; opportunum fuerit, omnia conseruabimus, poterunt à uolentibus iungi. Interim in alia diuertisse, non erit opinor, inamœnum ingratumq;. Disceptabā mecum non ita pridem super somni ratione, Mirum uidebatur, hominum pleroseq; ita in soporem sæpe collabi, ut nil procliuus omnino faciant, cuiusmodi ferè pumiliones sunt, deminuti, decurtatiq;, ab reliquorum commensu. Et quoniam iactatum in Græcis literis scio, Nil dulcius, quam omnia scire: contuli me ad magistros (quod aiunt) mutos, qui me etiam si a symbolum ita scite docteq; instruerent, ut naturæ rerum non omnino uiderer inscius. Quod uero inde prouerim, etiam impertiendum alijs est uisum, ne in sanctarijs reconditum pereat. Igitur sic habet, Esse genera duo, uisita in somnū prona maxime: alterum in ijs est, quibus uenæ adeo prætenues sunt, adeoq; latentes, uix ut deprehēdi uisu ualeant: alterum eorum censetur, qui nimio plus in caput excreuisse animaduertuntur. Angustia meatuum, quibus à capite refluit spiritus, nullo negotio præsepitur occluditurq;: minuta liquidem & propè nulla, quicquid accesserit, quantum uis modicū pusillumq; obstipat præfarcitq;. Vbi ergo frigus concipit uena, siquidem & infarctus uenter cōfrigescit, spiritus tam diu suffrenatur, & moramento quodam compescitur necessariō, donec inualefcens calor disiectus alimentum ita coniciat, ut globatum alioqui dirimat ac diffundat. Quando uero is libere commeandi facultatem non nanciscitur, perseverat sopor. Cæterum suggerit ars rei forte obscuriori exemplum euidentis: nam tubulo angustiori infusus liquor tardius leniusq; profluit, quod si laxior is & capacios fuerit, momento uis etiam maior dilapsa transmittitur. Id ipsum & in spiritu fit, qui angustè corpulentior ipse commeans ac præpedite, ferius munere defungitur. Et hæc diuturnioris somni procliuiorisq; in meatuum gracilitate causa quidem fuerit. Somniculosos uero esse, quibus caput extumuit, inde pernocti potest: quo amplius est conceptaculum, eo plus item capiat, consequens est. In nanis, siue pumilionibus uaporum multa uis ad caput furrigitur, quoniā grandius membrum alimenti amplius requirit. Quod uero copiose scandit, copiose item ac largius remeet, necessarium est, sed & lentius, quia insitus calor uim tantam sublata euaporationis breui percoquendo nequit conficere. At quibus uenæ latiores apertioresq; fuerint, soporulentū esse nequeunt, nisi forte quippiam obtigerit potentius aliud, quod rationem faciat diuersam: neq; quos item atra infestet bilis: nam aliosius, congelidiscq; corporibus, calor is intimi copia non magna, uaporum paucitas caput scandentium obtingat, necesse est. Hinc illud fit quoq;, ut ferè genus hoc sit edacitatis auidæ, quando eorum natura sicca & retorruda est, nec haustis aluntur magnopere, infestante plurimum bilis attritoris frigore alimenti conceptacula: quæ ratio efficit potenter, ut parum omnino, aut nil ferè eat in corpus. Quia uero de sopore agimus nunc, appingamus ueluti corollarium huic loco, quod intellectum studiosis maxime arrisurum arbitror. In eadem nanq; harena, quod dicitur, uersamur, & contingit sæpicule, ut attentissima cura quid expendentibus ingerat sese uel inuitissimis obnitentibusq; insuperabilis dormiendi procliuitas. Inde uero hoc fieri, deprehensum à peritioribus est, quis comperta sunt naturæ arcana ferè uniuersa: quod quum cogitatione profundius uersante quippiam, suspensa mens sollicitudine est, alimentorum percoctioni impedimētum affertur insigne, proinde qui protrudantur in caput, uapores, dum minus excoqui possunt, crassescere necessariū est. Illud uero paulo doctiores sciunt omnes: quoniam sit somnus, sicuti exsequemur alibi copiosius, quum in cor sese contraxerit calor intimus, quo in ima dilapso, concipere palpebras frigoris uim, frigore autem concepto, defluere, ac deniq; comprimi, quando unus est, qui omnia in corporibus temperet, modereturq; calor: frigus in sopore superna contrahunt, & extima, recalescunt inferna, pedum argumento, sed intima eo amplius. Quia uero ex humecta quadam uis progigni, obrepereq; somnus uidetur, inde Homericè circumfundit doctè dicitur: sed & *υαδλυμθ* ex hoc sopor ab eodem nuncupatur, abs quo ueluti ex humiditate profundiore, emerfus facilis non est, uel ut Græcè dicam, *εκ της υαδλυμθ*.

Sudoris

Sudoris species. Diphoreticus sudor. Diphorumeni. Sudatores. Expauescentes. De sudore frigido. Qui sudores bono sint. Caput IIII

**D**iuertimus nuper in medicorum florentissima uireta, non ut transfugæ, uerum inspectores, exploraturi ecquid inde præcerpi posset, quod hosce libellos Lectionum antiquarum instructum adiutumq; iret, ac compiores efficeret, non ut calenti ferro inustos, sed solida sinceraq; spectabiles uenustate. Lectitabamus Canonem Auicennæ primum, qui & in hominis ratione singularibus auxilijs obfirmauit aciem, ne quid trepidaret, aut moueretur loco. Incidimus in eam quæ sudores aliquo modo perpendit doctrinam, atq; in species partiendos tacite premonstrat, quas & huic inneximus parti potissimum: nihil enim prohibet, à quocunq; literarum antesignano uersuram facere, non quæ peculiare abditosq; loculos instruat, sed ut in re publica bene instituta, qualem optauit Plato, cuiuscunq; deseruiat emolumentis, nec enim est homo hominī lupus, ut ille ait: sed deus potius, quando & hæc ad æternam gloriam uia. Igitur, inquit princeps, sudor qui contingit consopitis, ex materiæ prouenit copia, quippe per soporē nulla euidenti causa qui sudore diluitur, amplius ingessit alimentum, quam pati possit. Galenus ad eandem rem, sudor exuperans aut corpore obuenit rariore laxioreq;, aut materiæ abundantia, aut quia prætenuis subtilisq; admodum compeditur. Qui principis uerba latius fusi sue explicant, quatuor ferè sudoris species agnoscere uidentur. Quidam enim naturæ profluit imbecillitate, uelut in syncope, in qua spiritus sanguisq; in cor se contrahunt, extimis relictis: quæ naturæ defecta regimine frigidū sudoris humectationem promunt. Alius natura prouenit ualida, quod in crisi, & decretorij euenire diebus afolet. Alijs occasionem præstat ratio euidens, uel exercitationis, aut balnei, uel æstiuū ardoris flagrantia, uel etiam alimenti ingurgitationis nimia, aut plethorica copia. Sudorem quo fufius redundante, imbecilliores reddimur, diphoreticum nuncupant, quoniam *διφωρητικον* sit Græcis, quod digeri Celso Cornelio in cardiaci morbi mentione. Sic uero affectos diphorumenos uocant, Plinius nunc sudatores, nunc expauescentes. Imperator Maximinus, qui quandoq; uno sudore lixas sedecim uicerat, item ex militibus septem uiperat fortissimos, sudores sæpe suos excipiebat in calicem missos, ut sextarios impleret duos, nonnunquam & tres. Quod uero de sudore frigido dicitur, amplius perpendi potest, & debet, eo quidē magis, quod poetas quoq;, quorum sæpe multiplex est eruditio, & intercutanea, nec oculis spectanda caligantibus nocturnis ue, nonnunquam cōmeminisse eiusdem, perspicuum est, satisq; frigide, quia de frigore agatur, enarrari: ita ut ambigas, serio ne & iudicato, an per iocum tam ineptè pleraq; effutiant, *ως παχυμερησες*, ut quæ nullo concipiuntur scientiæ fundo, plurimumq; arbitraria sint ac profusa temere. Quis enim illud ex Amphitryone non legit? Hic homo socium ad malam rem quærit, quem adiungat sibi:

Non placet, pro monstro extemplo est, quando qui sudat tremat.

Sed & quadam Elegia Propertius:

Quæ si forte aliquid uultu mihi dura negarat,

Frigida de tota fronte manabat aqua.

Cornelius quidem Celsus in libris De medendi ratione cōcinnatis, sudorem frigidum esse morbi indicem scribit. Solcite diu sum scrutatus eiusmodi euentus rationem, deniq; optimus naturæ interpretis Aristoteles ita prodens se nobis ingessit. Cur, inquit, calidi sudores frigidis meliores habentur? An quod sudor omnis excrementi cuiusdam secretio est: parum autem excrementi amplius incalescere, consentaneum est. Plus autem non aequè, sed minus. Itaq; sudor frigidus excrementi multi indicium est, quo circa morbos quoq; longiores facit. Amplius Hippocrates libro Sententiarum quarto: Sudores, inquit, frigidū, si cum febre acuta accidunt, mortem significant: si cum mitiore, longitudinem morbi. Certe summa dignum admiratione est, qui possit elici frigus sudor, quum æstuosa sit febris. Proinde necessariū uidetur (inquit interpretis nobilis, cuius frequens est nobis aduocatio) aliam esse corporis portionē, quam amburat febris: aliam, ex qua humor profluat frigidus: quod enim ex calefcente promitur parte, caleat oportet: cæterum ex cute, quam esse frigidam liquet, prolucuntur sudores, quamuis subtercutanea exasulent. Porro acutas obrepere febres, patet, quibusdam cōputrescentibus humoribus:

Athi

At hi nunc quidem toto putrent corpore, nunc in conceptaculis tantum. Vbi uero duo ista simul fiant, ut in uasis cōputrescat humor, & quæ solidum corpus regit natura, quam naturalem esse calorem opinatur Hippocrates, uel perimatur profum, uel internationem proximè adierit, quæ profluunt inde, planè frigent. Nil uero officit, quin ex putredine exortens caliditas sit uehementissima, propterea quæ indicium exitiale: liquidum præmonstratur, eam humorum frigidam uim in corpore exuberare, quæ nec inlita caloris copia recalescat, neque item aduentitia, id est febrili. Quod si quis expetat scire item, qui potissimum sudores bono sint, audiat Hippocratem ita sancientem, Sudores febricitanti si statim inceperint, bono sunt & tertio die & quinto & septimo & nono & undecimo & quartodecimo & uicesimo & uicesimo quarto & uicesimo septimo & tricesimo & tricesimo quarto. His enim sudoribus morbi indicantur: qui autem non ita ueniunt, laborem significant, & morbi longitudinem ac recidiuam. Anchimolum & Moschum sophistas apud Elidem, tota fuisse uita hydropotas legimus, ac sicis modo solitos uesci, nec tamen alijs imbecilliores habitos. Cæterum aspernabilis adeo est corpore promanabat sudor, ut certatim in balneis ab omnibus reclinarerentur.

Cur facies & superna desudent maxime. Cur item in trepidationibus idem patiantur pedes. Sudoris item frigidi ratio. Cerebrum ne, an iecur sit humectationis fons.

Caput v

**A**ccidunt porro in sudoribus nonnulla plerumque, non paruam quæ præferant admirationem. Nam & usu compertum ferè est, in trepidationibus exsudare pedes, non faciem, quæ alioqui obnoxia sudori maxime est. Quippe quæ laxiora sunt, & abunde humectantur, ea sudore dilui congruum est. Caput autem esse planè certum est, humoris fontem: indicio sunt capilli ea maxime parte ubertim succrescentes. Quin & uniuersim superna sudoribus amplius infestantur, quam inferna, quoniã calori inlita sit conscendere, illucque itidem humectatione perducere: uel etiam quia sudorem mouet spiritus, qui in superna parte sedem habet. Adde, quod est sudor incoctus humor, cuiusmodi humore pars humet superior. Auicennæ id quoque auctoritas comprobatur, nam secunda quarti: Sudor, inquit, maxime multiplicatur in superioribus, in capiteque in primis. Cæterum hæc ferè de sanis intelligenda corporibus: nam affectis illuc in primis decumbit sudor, ubi amplior concepta fuerit eius materia. Proinde Sententiarum quarto Hippocrates, Vbi sudor, illic ægritudo. Id ipsum & ab Auicenna traditum scimus. Sudor uero ille pedum in trepidationibus, eam (ut Aristoteles inquit) rationem habet, quod sit trepidatio metus quidam super re inchoanda. At metus superna frigescent calor fugat ad intima infernaque. Quo nomine pallent item trepidantes, qui & maxime pedes agitant: indeque ea parte laborante elici sudorem, probabile est. Manus item assolent perfricare, seque modo inflectunt, modo extendunt, etiã sæpe exsiliunt, nec unquam quiescunt: sunt enim exciti propensique ad negotium, quoniam calor eorum se collegerit in pectoris locum, qui corpulentior est. Quamobrem undique tum ipso calore, tum sanguine turgescente efficitur, ut motu uario crebroque agitentur, sed pedibus maxime insudant, quoniam illi perpetuo teneantur labore, saltem corporis fulciendi. Propterea cum labore uehementi in primis agitur calidum, inflammeturque: & quod humectum est, in tenuia dissoluatur, sudant illi, facies minime. Ex affluxu porro caloris eiusmodi in metu maximo ad intima, sæpe alui funduntur, & profluunt uesciæ recrementa. Siquidem extrema corporis spiritu, sanguine, calore destituta inalgescunt. Humor uero redundans caloris copia solutus retruditur, quoniam uis ea quæ comprimendi potestatem habet, & ab recentioribus retentiu nuncupatur, reprimere nequit. Inde consequitur, ut in æstuationibus grauissimis profluat emanetque frigidus sudor. Quod ne quis philosophis modo putet percognitum, optimus quoque maximus poeta libro Aeneidos tertio significauit illis uersibus,

Talibus attonitus uisis, & uoce deorum,  
Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere uultus  
Velatasque comas, præsentiaque ora uidebar:  
Tum gelidus toto manabat corpore sudor.

Si cui uero ambiguitatem forte mouet, quod modo caput humoris fontem diximus, quum

quum de hepate dici id rectius uideatur, quoniam in libro cui *τεχνη* titulus est, dicit Galenus in signorum tractatu: Ex corde sicco totum arefcit corpus, nisi diuersum efficiat hepar: ex humecto autem hepate corpus item humescit, nisi effectum cor producat contrarium. Sed & Hali: Hepar, inquit, est humiditatum fons. Cæterum duplex humidum traditur à rerum naturæ peritis, humidum uerum, & ut ipsorum utar uerbo essentiale, cuiusmodi in iecore est; quod inde dicitur etiam cerebro humectius. Alterum accidentiale uocant, utpote frigiditate inductum, affluxuque extrema humectationis. Hoc uero in cerebro agnoscitur, proinde appellatur humiditatis fons: etenim quia est omnium partium frigidissimum, ut Aristoteles inquit in Commentatione de somno & uigilia: in eo superfluitatem concipi multam indigestionis ratione, necessarium est. Affluunt illuc & ab reliquis partibus euaporationes plurimæ, quæ loci frigore percussæ resiliunt. Infestat aer quoque per meatus multos.

De oleo scitu digna. Quæ dicantur præmissa uini & olei in Plinio. Emendatur locus Ciceronis ex Epistolis familiaribus. Olei officinã quis excogitarit primus. Oleum uiride, ac conditum. Oliuitates quatuor. Rudicula quid. Cap. vi



**O**leum Anacharsis Scythæ insaniam pharmacum esse dicebat, quoniam eo peruenit athletæ inuicem magis insanirent. Naturæ tamen prouidentia liquores duos humanis corporibus gratissimos contribuerat, intus uini, foris olei. Id quod ab Democrito pronunciatum, Græci scribunt, quum ex eo quaereretur, *ποδες αν ανωσοι, κχι μακρααιδνες γινουιντο οι ανθρωποι*. Olei potestatem utique tepescere, ac contra algores munire. Epaminondam uero legimus, quandoque collegis impensarum rationem coquo reddente, olei multitudinem permolestè tulisse, admirantibusque illis: Non, inquit, impendij magnitudo me mouet, sed quod tantum olei intra corpus receperim. Memorabile est quod Plinius scribit: Alpibus coercitas, & tam inexsuperabili munimento Gallias hanc primum habuisse causam superfundendi sese Italiae, quod Elico ex Heluetijs ciuis eorum fabrilis ob artem Romæ commoratus, sicum siccam & uiam, oleique ac uini præmissa remeans secum tulisset. Verum hic protinus aduertendum amplius, quæ dicantur in Plinio præmissa olei. Hermolaus quidem emendans reponit præmissa, publica lectione expuncta. Mihi autem mirè arridet uerbum, præmissa: ut intelligamus primitias quasdam, sicuti præmissa sacrorum dicuntur. Utitur eo uocabulo & M. Tullius epistola quadam ad Plancum: Et tuarum, inquit, literarum præmissa meministem. Etiam si in uulgatis modo codicibus passim scriptum inuenias præmissa, non præmissa: sensu nullo, aut leuissimo. Fortè hoc sit quod Festus scribit: Sacrima, inquit, appellabant mustum, quod Libero sacrificabant pro uineis & uasis, & ipso usno conseruandis: sicut præmissum de spicis, quas primum melleuissent, sacrificabant Cerei. Apud Græcos, quod ad oleum spectat, sic reperio subnotatum: Ferri glutinum, siue ferruminatio: nem Samium Glaucum excogitasse primum, enato inde adagio, de ijs quæ facile perficiantur: Glauci ars. Qui remollire ferrum cupiunt, oleo tingunt: at qui obdurefacere, in aquam mersant. Illud quoque ex historia succurrit: Augusti temporibus, è taberna meritoria trans Tyberim oleum terra erupisse, ac toto fluxisse die, nulla intermissione: quo significatam interpretantur CHRISTI gratiam ex Gentibus. Olei denique opificium, id est *ελαεργια*, sicuti *μελιθηργια*, id est mellis faciendi ratione, excogitasse Aristæum principem omnium tradunt. Ex quo scienter Agrea cognominatum uoluerit. Quamquam sunt qui ex stenotrophia, id est iumentorum educationis tradito modo, ac insuper uenationis quoque, quum Iouem dici agrea ferant & nomion, tum Apollinem ratione compari. Oleum uiride, sunt qui recens interpretentur, sicuti conditum pro inueterato. Ex Varrone dici uirens uidetur, ex olea expressum acerbissima: quod præcipue creditur sapere. Galenus & Theophrastus omphacinum oleum uocant, item *ωμοτεβες*, id est crudum. Sed ut ista certiore meriamur modulo, sciendum amplius, non unam priscis fuisse oliuitatem: siquidem prima fuit, Columella tradente, in qua acerbum exprimebatur oleum ex necdum maturescensibus baccis: æstiu dicebatur hæc. Sequens habebat Nouembris finem: inde oleum erat uirens, ex uiridibus manans oliuis. Tertia Decembri fiebat mens: huius erat maturum oleum. Ultima fuit mensis Ianuarij: album oleum appellat Dioscorides, ut à uiridi separetur, cuius confectionem pluribus idem exsequitur. uius

uius in secundum Georgicum illud enarrans: Et amara pausia bacca. Amara, inquit, id est uiridi: nam de pausia uiride oleū fit, unde contra dicitur dulce quod uirens non est. De oleo samico, acanthino, thurino Athenæus plura. De cibario etiam Columella. Rudicula, organum est oleo conficiendo, erectæ tribulæ simile. Porro cautum decretis imperatorum nouimus, ad Barbaricum, uti ne quis uini, olei, liquaminis transferendi pontificium habeat, nec gustus quidem causa uel usus commerciorum. Ad quod sancendum historia productos arbitror Gallica.

Super Hercule ac Geryone pleraque non extrita admodum. Larini boues, & Cestrini, ac Epirotici. Larimus odor. Geren quid. Geria. Carduus. Cinara. Geranium lignū. Celonium, celon, genys. Ceuæ uaccæ. Item Herculis cognomina. Liliorum origo. Herculis stragula quæ sint. Balneæ calentes cur Herculi sacra, de quibus Smintheo Apolline. Atabyriæ boues. Cornopion, cornopes, ipocthonos. Leo trisperus. Erythibios. Pyrrhicæ boues, ac oues. Herculis filiorum interemptorum nomina. Ceramynres. Cap. VII

**L**Egebamus nuper Arriani historiam, qua is Alexandri gesta complectitur. In secunda eorum ita relatum obseruauimus, Herculem non fuisse unum: nam suum sibi uendicant Tyrii, cuius etiam templum omnium, quæ memoria seruat utique humana, uetustissimum substruxerunt. Sed hunc non uideri Herculem Argium, Alcmena natum. Quod multis annis antea coleretur Tyrius, quam Cadmus omnino Thebas condidisset. Ceterum Aegyptios quoque alium item Herculem colere, diuersum ab eo quem uel Tyrii uel Græci uenerentur. Auctor item Herodotus est, Aegyptios inter duodecim deos Herculem recensere. Sed, inquit Arrianus, proximum uero est, Herculem qui Tartessi in Hispania colitur, ubi item uisuntur colūnae, quas Herculeas uocant, eum esse qui Tyri colatur, quoniam Tartessum condiderint Tyrii, & ritu Phœnicio constructum ibidem sit templum quod Herculis dicitur, eodemque ritu sacra fiant. Quod uero ad Geryonem spectat, ad quem Argius Hercules, ut boues abigeret missus dicitur, nihil omnino ad terram Hispaniam pertinere, Hecataeus rerum scriptor memoriae prodidit. Nec ad ullam unquam Erithiam insulam Herculem missum: sed loca circa Ambraciam, atque Amphilochos Geryonem imperio tenuisse: indeque abactas boues, quæ mira specie in illis comperiantur locis, herbida regione, & pascuis admodum læta. Nec omnino fieri simile ueri, ea tempestate nouisse Eurysthem extra orbem terrarum positos populos, aut speciosas quæ ibi nascerentur boues. Vt cumque quod scitu dignum est, scribunt Græci Epiroticos boues Larinos dici ab Larino pastore, cuius meminit Athenæus quoque, qui ab Hercule, redeunte ab Geryonis nece, exceperit educaueritque: unde Epirotica mox armenta sint celebrata, de quibus commemorat Lycus Rheginus in ijs quæ ad Alexandrum scribit. Etiam si sunt qui ab narium magnitudine dicuntur uelint, ut est ab interprete Aristophanis adnotatū. Si quidem λα particula intendendi uim habet, givēs uero nares sunt. Ceterum Cestrini quoque uocantur, qui Larini. Larinum uero in Sabæis præstantissimum haberi odoris genus, in suffiendo præsertim, auctor libro decimo sexto probat Strabo: cuius autem sit modi, parum comperi. Fuere in Epiro eadem Pyrrhicæ boues, quas atauos uocabant, intactas Venere, ut incrementum ampliter caperent, quasi setauras dicas. Sic uero creduntur dicitæ, ab ignea mobilitate, aut à colore: sunt qui diminutivum putent ex forma Aeolica. Alij pyrrhicas intelligunt Epiroticas, de regis Pyrrhi nomine. Altinas uaccas ab uernaculis dici ceuas, legisse uideor in ueteribus memorijs. Leguntur quandoque & Atabyriæ boues, de montis Rhodij nomine sic nuncupatae. Ceterum æneæ fuerunt hæ, quas malo ingruente aliquo, solitas mugire proditum est. Theogoniae Hesiodicæ interpretes, Herculis nomine solarem intelligunt potestatem: Geryonem uero, cuius boues ab illo orbi terrarum illatas fabulantur, hyemem esse uolunt, & τὸ γαρύειν, τὸ δὲ ὄσι βοῶν: id est, ab uerbo γάρυειν, quo significetur clamor, ob hyberni temporis tumultū. Nam geren, hoc est γάρυειν, ad hoc spectat nihil, ut in parerga excurramus. Est enim eo nomine, ut inquit Aelius Dionysius, grus foemina. Geria, id est γήρεια, flores nuncupat ἡ κινολόγω in Nicædri Theriacis. Est eodē nomine in India ciuitas, Stephano. Dicitur & gerium, annus antiquus. Nam & in Megaride promontorium uocatur Gerania, in mediterranea uergens, ac oblongum

longum, indeque ab figura nuncupatum. Nicander, κινολόγω ὡς γήρεια καταφυχθῆναι ἀκάνθους.

Est autem cinara carduus fatiuus, meminit Columella: Hispida ponatur cinara, quæ dulcis laccho Potanti ueniat, nec Phœbo grata canenti.

Vulgus ferè arcocum nuncupat, Liguribus pergratum in cibis, ac Mediolanensibus. Cinaram sunt qui arbitrentur uocari, quia ut ait Palladius, cinere gaudeat. Id autem quo pacto uerum fiat, cum testimonio Pollucis apud Doricos poetas id comperiat nomē, & esse Græcā uocem testetur liquidò Athenæus. Cur autem flores cinaræ, geria nuncupent, forsitan ea fuerit ratio, quoniam canescant celeriter, quamuis purpurei, abeantque cum aura. Sed de syluestri carduo hæc memorat Plinius. Geria sunt & pappi, in Arati Prognosticis: & Theon esse cinaræ flores interpretatur: sed geramos item uocat, & geramata, id est γερμάματα. Geranium uocant lignum, quo ex puteis hauritur aqua: celoneum item nuncupatum, id est κελόνειον, uelut κελόνειον: ab calon, quo indicatur lignum, & κελόνειον, adnuere. Celonium autem equum dicimus, quoniam κελόνειον signat in Venerem præferuidum. Genys uero apud Sophoclem in Helectra bipennis est species. Sed ad institutum de Geryone sermonem redeo. Hyemem uero sol perimit ab hyemali tropico ad uernum conuersus æquinoctium. Arborem nomine tonitrua intelligunt, quadam similitudine, quæ Geryonis dicuntur, quod hyeme quidem non fiant, sed illam statim consequantur: uel quia ex humecta eius natura mox hæc proueniant. Fabulantur item Græcorum plerique, Herculis statuam effingi solitam sinistra manu mala tria gestantem, quæ claua conquisiuisset dracone interempto, id est concupiscentia subacta: ita enim comparantur tria poma, hoc est iræ comprimuntur ardores, & habendi cupiditas temperatur: ac denique uoluptatum sedantur titillationes, sinuosi que ac blandi superantur laquei. Leonis uero pellem non aliud fuisse, quam generosam uiri prudentiam, qua is circummunitus obseptusque, affectiones animi præarabidas exculcarit. Ita sapientem quendam & summam uirum Herculis nomine accipiendum putant. Quod & in Floridis non ignorasse Apuleius uidetur, qui animi monstra ab illo philosophica claua fuisse perdomita, nobis insinuat. Significat etiam in Commertatione de somnijs Synesius. Hæc ipsa tamē, ut sunt, ridicula uidentur multis, quædo uoluptarium in primis Herculem intelligunt. Vti de furore interim conticescam, à quo fertur ab Sicalo liberatus. Quo sanè argumēto institutum sit, calentes balneas Herculi sacras dicere, & molliora stragula Herculis cubilia. Herculem Celtæ uocabulo gentis proprio uocant Ogmion, imaginem eius, ritu ab alijs diuersissimo, pictura exprimunt. Primum decrepiti senis facies est, capite prorsum incompto, pilis quotquot sunt, canicie albicantibus, pelle autem rugosa strigataque, quin exusta simili usque in nigredinem, quales ferè sunt qui in mari expiscantur senes. Charontem dices, aut Iapetum quendam ex Tartaro, & nulli non similem potius, quam Herculi. Adest tamē aliquid Herculis proprium, leonis circumiectum exuuium, dextra clauam tenet, necnon ex humeris propendet corytus, sinistra intentum præfert arcum: omninoque Hercules est, ac quæquam senex, numerosam tamen multitudinem trahit auribus alligatam: funiculi uero aureæ sunt catenæ prætenues, aut ex helectro, monilibus affabre connexis quam simillimæ: & quæuis imbecilla sit catella id genus, insequuntur tamen nullo renisui, nec de fugæ præsidio prorsum meditantibus quippiam. Immo festini affectatur, læti quoque atque hilares, illum summis etiamnum extollentes laudibus, quin etiam præcurrere gestiunt, nunquam non laxissimo uinculo. Catella uero quæ diximus, ad Herculis linguam destinata conspicitur, ad hunc usum (ut uidetur) peruisa. Ille autem uultu renidens insequentes respicit. Hæc quidem Celtæ. Quæ uero habeat rationem tam inusitata species, ne nihil lector studiosus ingenio suo debeat, inenarratum relinquimus: nec reprehensus ferè quisquam est, qui è segete ad spicilegium reliquit stipulam. Obseruatum in Agriculationis libro apud Græcos auctoris incerti, Herculem in immortalitatis participatum ab Ioue admissum, quod dormientis lunonis lac fuxisset: quumque interim diuini liquoris per cælum effusa portio esset, galaxiam effecit, nonnihil uero & terram rigasset, natum inde liliij florem, qui colore sua præferat primordia. Scribit in Heroticis Philostratus, Iussuradum per Herculem à Nestore institutum primo. De Hercule



uerò illud adijciamus, colū eum ab Oetæis ad Trachina cognomento cornopiona, id est *κορνοπίανα*, quoniam cornopas fugarit, quo illi nomine locustas intelligunt, quas alij *ἀκελίδας*, aut *πρίγνοπας* uocant. Adeo leuibus de causis indebantur cognomina uanissimis dijs: nam Herculem eundem nuncupant Erythraei Ipoctonon, quod Ipas repulisset *ἀμωλοφάγος*, id est uitem arrodentes. In Alexandra Lycophron eundem *λεόντα* dicit *τελειωφρον*, ex infiti roboris præstantia, & quia in eius generatione triplex in unam eoiuit nox, uel quia triduum in uentre ceti transmiserit, à quo Hesionem liberauit: quæ ei immortales equos effret pollitatus Laomedon, quos illi pro Ganymede fuerat dilargitus Iupiter. Ab hoc item maxima quæq; dici Herculeana uidentur: sic Herculeas machæras, in Pertinace appellat Iulius Capitolinus. Apollinem uerò dicunt Rhodij Erythibion, quoniam Erythiben appellant ipsi, quam *ερυθίβιον* alij, id est rubiginem. Vanitas eadem Smintheum induxit Apollinem, sed qui tanti ueteribus fuerit, ut orationes etiamnum Sminthiæ celebrarentur, conditis quoq; præceptis, quibus aptè cōcinari possent. Smintheus enim dicitur, & Sminthius. Nominis ratio ab muribus ducitur, quos apud Chrysam sminthos uocant, quum eos ubertim succrescentes fugasset is deus, quo argumento inibi statuae subiecta uisibatur imago muris. Alij sminthen intelligunt apud Troiam ciuitatē, ubi coleretur, sicuti hylatem appellat eundem Lycophron à Cypri ciuitate Hyle, etiam si est & in Locris altera. Quod uerò Pyrrhicas recensimus boues, sciendum & *πρόβατα* dici *πύρρικα*, id est Pyrrhicas oues, de regis Pyrrhi nomine, sicuti & boues dicitur, Plinio auctore. At de Hercule id non ignorandū, furore percitū Megaram peremisse cum quatuor eiusdem liberis, quorum ex Græcis thesaurus nomina subtexui, Onitem, Theremachum, Democoonta, Creontiadem. Quanquā octo perfossos, canit Pindarus. Alijs adijcientibus duos etiamnum Iphicli fratris. Herculem appellant Græci Ceramynem, quasi fata reijcientem, id est *κεραμύων*; ut sit, qui & Alexicacus. Dicitur & Palæmon, quia in Olympo sit obluatus cum Ioue. Lucianus faceret, ut solet, triesperum uocat Herculem ab trino ostio illo, quod traditur in eo concipiendo insumptum.

Stuporis attoniti species, quem apoplexiam Græci uocant. Item quibus ex causis cōtingat. Quid paralytis. Catulli uersus declaratur. Sceletyrbe quid. Hæmodia quid.

Cap. VIII



Vam Græci *ἀπληξία* uocant, sunt qui Latine stuporem dicant attonitum. In apoplexijs, inquit Galenus, totū corpus sensu priuatur, ac motu, solus restat anhelitus, qui si & ipse prohibeatur, maxima est & acutissima apoplexia. Si uerò reciprocatio adlit quidē, sed uel magna, fortis uehementisq; sit stupor. Cuiusmodi item, sed minus, si neq; intentus nec uiolentus, at inæqualis atq; exordianatus interpellatusq; fiat anhelitus. Sicuti ubi seruatur ordo aliquis, debilior censetur siq; omnia pro necessitate fiant, primo quoq; tempore persanatur. Apoplexiæ omnes fiunt, ubi facultas animalis ad partes defluere nequit infra caput existentes, aut ob cerebri affectionem similem inflammationi, aut uentriculis ipsis pituitoso oppletis humore. Cæterum causæ magnitudinem affectionis, seu (ut nunc loquimur) passionis consequitur magnitudo. Magna uerò ex parte curationem nō admittit ob respirationis læsionem. Auicenna sexta primū, ostensurus uitalē potestatem esse animalī priorem: Licet, inquit, uis animalis membri alicuius intercipiatur, quæ sensum præstat, & motum uoluntarium: nihilominus uita non destituitur pars ea, ni pariter & uitalis destruat. Membrum utiq; stupidum aut paralyticum diu quidem sensu caret, ac motu: uel ratione complexionis malæ, intensius frigida, non permittentis sensum motumq; recipi à membro, uehementius arctatis meatibus nerui, per quos commeant spiritus: uel oppletis neruis interiacentibus cerebrum uel nucam & paralyticum membrum, subsistente tamen interrim uita. At intermorta pars nec sensu pollet, nec motu, computrescitq; ilico, interpellata uidelicet corruptaq; uitali potestate. Auicennæ interpret ita distinguit: Stupidum dicitur, quod sensu caret: paralyticum, quod & sensu & motu. Cornelius Celsus: Attonitos, inquit, raro uidemus, quorum & corpus & mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo, apoplexiam hunc Græci appellant. At resolutio neruorum frequens ubiq; morbus est, sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres auctores

auctores illud apoplexiam, hoc paralytin nominauerūt. Nunc utrunq; paralytin appellari uideo. Est sceletyrbe item, id est *σκελετύρβη*, paralytis quædam, quum rectum seruare incessum nō ualeamus, & crura, uelut ardua cōscendentes, attrahimus, ac in sinistram quandoq; dextra circumferimus, quandoq; ediuerso. Sciendum uerò illud, nullum esse morbum adeo senili ætati familiarem, ut est apoplexia, quoniā in ea cerebrum pituitosis repletur superfluitatibus. Ex ijs uerò, quæ de stupore collegimus, infertur Catulliano carmini lucis plurimum: Talis iste meus stupor nil uidet, nihil audit,

Stuporem dentium ex fructuum acerbitate Galenus ad Paternianum, hæmodiam scribit uocari. Id ex uisu item cōtingere, quin & auditu, apud Græcos alios est obseruatum.

Super comitali morbo, quid sentiat eruditi. Spumæ generatio. Suspendio forum os spumofum unde sit. Melancholicorum ratio. Cothurnicum, & caprarum natura. An homo tantū huiusmodi affectione infestetur. Magmed historia. Lunaticus morbus. Cap. IX



Omitialis uerò morbus apoplexiæ germanus proximusq; quodammodo est, quum idem locus in utroq; patiat, & idem humor causam affectioni præbeat. Verum apoplexia propter omnimodam eius carentiam facultatis, quæ ad neruos demanat. Morbus autem comitalis ob incertā temerariamq;, & inconditam motionem consistit. Frigidus autem & crassus est humor ambobus. Proindeq; adolescentium ætas calidæ siccæq; temperaturæ maximum affert auxilium his qui comitali morbo laborant. Compari modo & locorum mutationes proportionales, quādo ad calidiorē sicciorēq; transmigrant. Eodem modo & uictuum. Comitiales morbos exsuperare in pueris, auctor Hippocrates est, proptereaq; dici pueriles morbos qui & ætatis conuersione ac mutatione desistant. Accidunt & adolescentibus quandoq; ob uictus errorem, & quia humi cubant ac soli se exponunt, & imbribus, & eiusmodi alijs. Quum uerò spumæ generatio ex duarum substantiarum mixtione perficiatur, altera spiritiosa, altera humidat: fiat autem earum mixtio, ambabus in multa perfractis, & multis mutuo complexu paruis ampullis plerumq; ab ipsis effectis, Ventis quidem uehementibus mare occupantibus, propter ictum fortiorē spumam fieri contingit: in lebetibus autem caloris ratione, sic & in corporibus animalium, quum adsunt ex morbo comitali conuulsiones, uehementia motuum solet spumā generare: in capris uerò calor: in curibus autem equorum utraq; causa uigorem habet. Qui spumam è uentre prodire, opinantur, deerrant: neq; enim fieri potest, ut tota inde proueniat, quum neq; eo tempore animal euomat, neq; nauseam patiat ulla. Quum uerò tenacem habuerit is qui perfringitur, humor, consistentiā, stabilis spuma perficitur, qualis conuulsitibus equis aut ira percitis apris. Vbi autem laqueus collo circumnequitur, necesse est quidem cordi atq; pulmōni, ut glutinosum expirent retrimentum, quod in libro De respiratione Galenus edocuit: prohibente autem laqueo, mixtum uiolenter impellit, quo fit, ut pars propria humiditatis una expellatur. Sed ut ad comitalem redeamus morbum, quo planius expressiusq; cuiusmodi ea sit affectio percipiatur, Galeni sententiā subnotabimus ex tertio libro De locis affectis: Morbus, inquit, comitalis conuulsio est omnium corporis partium, nō perpetua, ut in prosthoto & opisthoto atq; tetano, id est neruorum rigore: sed quæ ex temporum accidit interuallis. Ac neq; hac solare, sed mentis quoq; & sensuum oblaesione ab iam dictis distat conuulsionibus: unde constat, in supremis corporum partibus, cerebro uidelicet, hunc affectum cōsistere. Cæterum uelox eius discussio, crassum humorem, spiritus meatum in cerebri uentriculis obstruentem, hunc maxime affectum pepersisse, declarat, neruorum principio se ipsum quatiente, quo excutiat id quod noxium est. Deniq; à crasso semper humore hanc produci affectionem, argumēto est, quod & subito fit, & soluitur confestim: nam subitariam meatuum obstructionem à crasso uiscosoq; humore fieri constat. Accedit ad hæc, ut is qui sic laborat, neque uideat neq; audiat, neq; ullo sensu quicquam percipiat, ac ne memoriā quidem consequi possit quid factum sit, si quidem cum memoriæ uiribus ratio item læditur. Melancholici magna parte comitales efficiuntur, siue caduci: & contra, morbo comitali laborantes efficiuntur melancholici. Atq; horum utrumlibet magis accidit, prout uel in hanc uel in illam partem infirmitas reperit: si enim in corpus, epileptici: si uerò in mentem, melancholici

lic redduntur. Illud uerò ex historia memorabile, fuisse grāmaticum quendā aetate quidem praeuiri, qui si uehementius in tradendis egisset praeceptis, aut altius cogitasset, uel etiam inedia diutius esset perpeffus, aut iram minus inhibuiffet, mox comitiali corripiebatur morbo. Id uerò medicorum scientiffimi amplius perpendētes, os uentriculi, utpote quod facile sentiret, esse affectum, facile deprehenderunt, ac deinde per cōsensum & cerebrum totum, ac corpus uniuersum cōuullione concuti. Quærens uerò Aristoteles, unde sit quod uni animantium cunctarum homini tranfueruntur, ac per limitatem deprauantur oculi, postea infert, *ἢ διότι μόνοι οἱ τῶν ἁγίων ἐπιληπτοὶ γίνονται τῶν ζώων, ἢ δι' ἐπιληπτικῆς ἀγέρας φωνῆ ποιῆ, ὅτε γήγηται, ὡς πρὸς τὸ τῶν ἁλλων μορείων.* id est, an quia solus ex omni animantium genere morbo comitiali rapitur, quod genus morbi tranfuertere oculos, sicut cætera etiam membra potest. Afferunt quinetiā Peripatetici nōnulli dictorum ab Aristotele rationem: quia hominis cerebrum prauis euaporationibus maximè sit obnoxium, nec non frigiditate sit atque humectatione præsigni. Addunt & motiones item eius esse exordinatas ualde. Plinius uerò Naturalis historiæ decimo, coturnices damnatas mens prodit, comitalem etiam propter morbum de spu fuerum, quem sola animantium sentiant, præter hominem. Eadem ferè Iulius Solinus in Polyhystore. Plutarchus rerum naturæ haudquaquam imperitus, nec tam historicorum calendario inferendus, quàm philosophorum albo, capram præter cætera animalia comitali tentari morbo refert: propterea quæ ueteres sacerdotes ea uehementer, ut morbida, abstinuiffet: quoniam gustantibus aut tagentibus modo aliquid morbi eius affricetur. Cuius causam afferunt, porum siue meatuum angustiam, quibus obseptis, sæpissimè includatur spiritus, quod arguat uocis tenuitas. Nam qui eo affectionis genere tentantur, similem capellæ uocem ædunt. Cæterum de hoc morbo aliqua & Alexander Aphrodisæus. Observatione dignū quod Auicenna scribit secunda primi: Epilepsiam septentrionalibus non ferè contingere, quia sint introrsum sani & calore exsuperanti: quod si eueniat, esse atrocem, quia causa sit præpotens. Legimus porò, Si caducis à dextro morbus occipiat, eorum difficiliorem esse utiq; medelam: liquidem dextra corporis ualidiora sunt, eorū minus spei ad sanitatem relinquunt, quum & ipsa ægritudine accumbunt. Tunc quæ dextra auris crebriores fiunt tinnitus, morbo penitus adacto. Iucunda superest historia in morbi comitalis mentione, non indigna quam recenseamus: siquidem Magmed, seu Maumet dicitur is, qui magnam Orientis partem religione perniciosâ implicuit, uti proditum est, huic erat affectioni obnoxius. Id quum animaduertisset uxor, & eo nomine plurimum indignaretur, ac rogaret subinde, quid esset in re: Desine (inquit) mirari, morbus abest: sed quum aduentantis numinis uim pati nequeam, mente collabor, ac stupent membra, Communis est hæc prophetarum affectio, quorum me esse unum, scias uelim. Hac fraude mulier delinita, quem odisse cœperat euentus atrocitate, commenti uersutia, ut diuinum suspicere uirum coacta est, quæ illuc deniq; prorupit fraus, ut moriens illum ex se hæredem institueret. Quæ res potentia, quam mox indeptus est ampliffimam, exordia præbuisse narratur. Illud porò ex Septimij Florentis apologetico est. In harena iugulatorum nocentum sanguinem recentem de fugulo decurrentem auidâ siti solitum hauriri, quod sic comitali morbo remedia quæri opinarentur. Morbum hunc dici lunaticū opinantur quidam, quod interlunio æditos, eo ferè corripit adnotatum sit. Furiosum & lunaticum mancipium legimus apud Caium. In sanctis literis lunaticos appellari animaduerto, quorum morbus lunæ ascensu increfcat, quod diabolus lunaria seruet tempora, ut creaturam infamet in creatoris blasphemiam. Typicè uerò lunaticos accipiunt, qui per horarum momenta mutantur in uitia. In Matthæi utiq; Euangelio, ubi à saluatore præpotenti narrantur in integrum restituti *δαίμονιοι ὄντες*, id est ab dæmonibus agitati, & *σελῳιαζόμενοι*, lunaticos intelligunt hosce nonnulli. Quidam uerò etiam syderatos, ceu hæc dicatur lunicatorum explicatio. Alias Græcorum sanctio est, furētium causationem in lunam regeri, *ἢ διὰ νυκτερινῶν ἀπὸ ζῆου φασματώων*: quia nocturnarum præses apparationum sit. Est & illud in literis compertum, frigenti naturæ ac humenti præesse lunam: quocirca cerebro male affectos, atque hinc concidentes crebrò, lunaticos uocari.

Anima

Animæ natura qualis sit per se. Vitia an extrinsecus inuehantur. Cur anima eadem parum introsipienti mortalis uideatur. Cur quæ minus ueritatis lumē percipiat. Cap. x



Noniam ab ineunte aetate Platonem secretioris philosophiæ principem, dignumque sententiæ uniuersiusque fundus fiat ac subscriptor, mirifice sum amplexatus, ne incertè erraret animus, ac (ut inquit Ennius) præter propter uitam uiuerem, quod eius uiri facundia diuinius quiddam intonuisse uideretur, uix mihi quandoque ualeo temperare, quin seiunctis parumper nostræ classis doctoribus, mysteria Platoniorum, tametsi cōnuentibus oculis, ab limine, si non datur ultra, pergā salutare, nec tamen id operæpretio nullo. Præfloramur subinde uireta latiffima, inserimus hisce libellis (ut sic dixerim) congestiis, quæ legentium desyderia, & si non perficiant, at leniant saltem, & quoquo modo iuuent, ne bonæ prorsum otiosis pereant horæ. Nam uetus est, ab Ennio item obseruatum: Otio qui nescit uti, plus negotij habet, Quam quum est negotium in negotio.

Quale est quod mox subnotauimus. Siquidem in lucubracionibus istis collibitum est Aristotelicarum meditationū exhibere imaginem quandam, ut nunc *εὐθὺν καὶ ἀπρομακρῶν* disciplinam persequamur, nunc *διαλὺν πρὸς πάλιν*, quatenus naturæ sacraria introspectamus remotiora, aut leuiora hæc non negligimus nostratia. Animam igitur rationalem, qua maximè humanum genus præcellens est, esse diuiniore indeficientisque naturæ, ueluti propaginem immortalem ipsam, non dei tamen ex substantia, indeficientemque, multa quidem liquidò cōprobant, ut quæ nec corpus sit, neque item ulla sit figura notabilis, nec colorem habeat, neque molē, uel qualitatem ullatenus tractabilem. Cæterum abundè etiam id ipsum hinc licet intueri. Nam si diuinum omne, quodque uere est, uita fruitur bono & sapiente, coniectemus emittamurque animæ cuiusdam statū: quæ corporeis nexibus mancipata quidem, necdum tamen ita tenebris obuoluta adobrutaque, ut inolefcentes præter rationis dictamen concupiscentiæ & iras, & id genus alia, quæ nostri inusitatus morbos, perturbationes, affectiones item rectè dicere libi permittunt, concipiat & admittat, uerum corporis quoque contagia subeat eatenus, quatenus summe compellat ipsa necessitas. Hæc uerò proculdubio patefaciet, uitia & mala ipsius animæ additamenta quæpiam esse, ac extrinsecus inhiis nobis: siquidem animo depurato & genuino candori uel restituto uel conseruato inesse compertiuntur optima, sapientia scilicet, ac uirtus reliqua, tanquam familiaria. Quod si eiusmodi recognoscitur animæ nitore, & initialis pulchritudo, ubi respicit, & uelut ex altiore somno excitata redit in seipsam, cur nō eodem sit gradu ferè, quo diuina sempiternaque niti, non inus inficias? Neque enim tantum cælo (quod dicitur) toto aberrauerimus, ut sapientiam uirtutemque ueram res dubio procul cælestes diuinasque naturæ aliqui uiliori, immortalitatis nesciæ obtingere audeamus astruere. Quinimmo, quicquid diuinitatis participatum nanciscitur ex cognatione quadam & substantiæ communione, id esse planè diuinum haud diffidendum omnino est. Quamobrem quisquis numinis præstantioris afflatu ita afficitur, exiguo sanè interstitio à superno fulgore sequestrari uidetur, hoc uno ferè inferior, quod etiamnum agit in corpore. Quod si genus humanum partè saltè plurima ad se rediens talibus esset præditum animis, nemini unquam mortalitatis animorum obreperet opinionum uanitas. Cæterum quia maximis scelerum inquinamentis plerumque inficitur cælestis ille & prænitidus animæ uigor, hebescitque corporæ pestis contagio imago diuina, quæ non ciuilem plerumque uim & festucariam, sed bellicam meditatur & cruentam, nimirum hinc suboritur facile confirmaturque nulla nō hora, nil esse in homine diuinum, nil immortale. Sed enim quisquis es infaustæ opinionis assertor, expende amabo natales tuos, quo ad animam spectat, remette eius ipsius intimam puritatem, corporis additamentum reseca, quo ueluti inutiliore sarcina grauamur, Intuere te ipsum. Iam iam immortalem te agnosces & astrues, iam iam in mundo intelligibili, puroque loco te habitare perspicias, ueritatis splendore ab ipso bono coruscantis illustratum, conuersusque ad mortales cæteros incinendum ita putabis, Valetate uos: ego uerò immortalis iam deus profectus ad diuinum, diuinæ similitudini totus incumbō. Cæterum in peccati ratione non prætereunda temere Augustini libratior sententia: Qui omnia, inquit, anima mala, ex corpore, putant accidisse, in errore sunt, etiam si

Iuculentis uerbis Platonis sententiam secutus Maro id comprobauit:

Hinc metuunt, cupiuntq; dolent, gaudentq; nec auras

Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.

Nam corruptio corporis quæ aggrauat animam, nõ peccati primi est causa, sed peenat nec caro corruptibilis animam peccatricem, sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem. Quod tamen corpore oblecta rationalis anima modo mirandum ueritatis lumen percipiat minus, hinc effici, eruditorum cõiectatio est, quia minimam ad id habeat proportionem: quippe est anima, forma quædam corpori mancipata: lumen uerò illud forma est, ab eorum penitus diffita commercio: propterea in Metaphysicis Aristoteles, Intellectus noster se habet ad ea quæ sunt manifestissima in natura, tanquam nocturæ oculus ad solis lumen. Sed & in Metaphysicis Auicenna: Quemadmodum paralytici lingua humore præpedita quodam, certum in prægustado saporis sensum minus agnoscit, sic & humanus intellectus ob mortalis nexum corporis quasi paralyticus occæcatur in ijs quæ incorporea sunt omnino ac æterna. Ad quæ forsitan reflecti etiam Pythagoricum illud ualeat, *συμφερὰν τῆ ψυχῆ τὸ σῶμα εἶναι πρῶτον*. Calamitatem animæ primam esse corpus ipsum.

Annulus Gygis: quicq; hic fuerit Gyges. Persei uitreus clypeus, aut galea mira. Labidium. Tenax. Labradeus Iupiter unde dicitur. Quid labrys, & labarum. Pladara, plados. De annulorum uis, & lapillorum potestate mirabili adnotata complurcula, quæ suggestit lectio uaria. Principum bonorum pau-

Cap. xi

**S**atis nobis, inquit M. Tullius, si modo in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet: si omnes deos hominesq; cælare possimus, nihil tamè auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. Hæc Cicero tum grauer, tum uerè tertio De officijs pronuntiauit. Cui & Peregrinus philosophus cognomento Proteus astipulatur, Gellio referente. Sed enim libro secundo De iusto, apud Platonem Glauco Socratem prouocaturus ad iustitiam acius defendendã, iniustitiæ suscipiens patrocinium: Quod, inquit, qui iustitiam seruant, inuiti id agant, quum ex imbecillitate iniuriam inferre nequeant, planè perspiceremus: si tale quippiam animo fingeremus, iusto licentiam, iniustoq; permitti, quicquid collibuerit, agendi: deinde sequeremur exploratores, quò rapiat utrunque libido. Inueniremus profectò iustum plus habendi auiditate compulsam ad eadem se, atq; iniustum conferre. Erit autè licentia ista, quam dico, si detur illis annulus, qualem aliquando fuisse ferunt Gygi Lydorum regi. Fuit autem annulus is mirandæ cuiusdam & inusitatae naturæ. Si quidem ubi Gyges eius palam, siue fundam malis fuisse, nam *σφραδύλλω* hanc Græci uocant, ad palmam conuerterat, à nullo uidebatur, ipse autem omnia uidebat. Idem rursus uidebatur, quum inuertisset annulum. Itaq; hac opportunitate annuli usus reginæ stuprum intulit, eaq; cõnitente, regem dominum interemit, sustulitq; quos obstare arbitrabatur, nec in ijs eum facinoribus quisquam potuit uidere. Sic repente annuli beneficio rex ortus est Lydia. Hactenus ex Platone. Hæc uerò non eo produximus, ut de uirtutis ratione disertaremus, uerum ut liquidior annuli ratio fieret, ac Platonis sensus. Nam ex historia huiusmodi id mihi magis arriserit, ut Gygis annulum abijisse Græcis in adagij usum putem de ijs, qui uasticis alios circumueniunt, quàm quod modo dicitur, in inconstantes, aut in fortunatos. Quod oratione quadam indicat planè Libanius. Obseruatum autem in ueteribus memorijs: Perseum quoq; ad Gorgonas profecturum ab Minerua clypeum accepisse uitreum, per quem uidere, nec uideri possit. Nec me fallit, tradere alios, galeæ uim fuisse hanc à Mercurio eidem oblatam. Orci namq; galea usum, sunt qui nõ probent. Porro hic est Gyges, is qui Barbarorum primus munera apud Delphos posuit secundum Midam Gordis filium, qui thesaurus dicitur à Delphis Gygadas. Nam & aurum Gygadas summè probatum ueteribus animaduertò, ueluti Daricum. Sed & Ariandicum argētum eodem modo planè excoctum ac pustulatum. Sicut illud obryzum. Sed & Gygen hunc ex opulentia uocitatum polychryson, ex Plutarchi Moralibus uidemur didicisse. Gygis uerò sepulchri commemorat in Theriacis Nicander, necnon eiusdem interpres in Rhamni mentione. Scribit Athenæus, ante Gygen Pythium

thium fuisse *ἀνδρῶν καὶ ἄγχιον*, id est sine argento & auro, quæ hic obtulerit primus. Legimus præterea Candaulem ab Gyge superatum, rege opem ferente, qui dicebatur Arlalis. Qui mox in Cariam inter spolia reliqua etiã securim retulerit, quod fuisset Lydia regum gestamen, unde erectum sit Iouis Labradei simulacrum, quoniam Lydorum uocabulo labrys dicitur securis. Labarum uero inter uexilla connumeratur ante imperatorem solita gestari, tantæ olim existimationis, ut id adorationis cultu ueneraretur militaris turba. Fuit auro pretiosum, & lapillis intermicantibus splendidissimum. Meminit in Apologetico Septimius, sed & in Epistolis Ambrosius. Labidium forficula est. Sunt qui, ut uulgo, etiam tenacem interpretentur. Sed redeundum nobis ab diuerticulo ad anulum, cuius naturã in primis mirificam, quandoq; magicam sum arbitratus, quandoq; etiã fabulosam, cuiusmodi pleraq; deprehendas, in Græca præsertim historia, quæ profecto significanter *πλάδρα* dixeris, sicut stomachi *πλάδρα* nominat Galenus, imbecillitatem intelligens, & humectationem nimiam, unde & *πλάδρα* nuncupantur. Et apud Polybium, *πλάδρα καλῶς ἔχει ἀντὶ τῆς πλῆθους τῶν χύμας, τὸ δὲ δὲ πλάδρα εἶναι*. Sed ad institutum *ἐκ παραβύβαστος*. Mox curiosius sollicitiusq; rimandum opinatus, comperiebam scitu digna quæpiam, quæ & apposui. Primum esse in Indorum tractu draconum uim quum multitudine, tum magnitudine mirandam. Eorum duo ferme genera dici. Quippe palustres pigri sunt, tardiq; & sine cristis: montani acriores, grandioresq; sed & cristati. Horum capitibus inesse ferunt lapillos specie aspectuq; floridos ac iucundos, uiribus & potentia mirabiles, quod (inquit Philostratus) annulus testatur, quo esse potitum Gygem, cõstans opinio est. Amplius Thebit philosophus non aspernabilis omnino, etiam si non sæpe ita aduocatum inuenis; ad effectus miròs, syderalem scientiam adhibendam putat, captataq; stellæ uirtute, accipi lapidem herbamq; stellæ subiectã, mox & annulum consari siue aureum uelis, siue argenteum, cui lapillum indas, herba supposita. Id uero potissimum fieri præcipit, stellam luna subeunte aut spectante aspectu trino uel sextili. Stella uero cæli medium percurrente, aut in ascensu constituta. Quin & in Christianis literis longè scientissimus auctor diuus Thomas tertio contra gentiles uolumine: Herbas lapidesq; cælitus mirabiles quasdam ultra elementarem naturam, nancisci uires, non diffitetur: sicuti hominibus item contingat in artium excellentia. Platoniorum uero ingeniosa eminensq; subtilitas ita ferme ratio cinatur, corporis nostri portionem quamlibet, siue internam dicas, siue extimã, ut agat moueaturq; uim ab anima indipisci. Consimili ratione & in mundo membra omnia ab ipsa mundi anima. Proinde, inquit, lapillorum, herbarum, metallorum nunquã spectata fatis potestas & actio; extra quam natura pertingat elementaris, animam esse testantur in mundo, ex qua nihil non uel minimum potentiam ubiq; singularè consequatur. Siquidem quod rebus multis peculiaris quædam, & admirabilis adsit uis, quam ad elementarè causam haud queas referre, non contingit omnino simpliciter, & ex multorum confluxu. Alias casu quoq; ea possent euenire, aut certè firma non forent. Quamobrè ex animali & seminaria profuere ratione fatendum est. Quo nomine obseruatum prudentioribus, Pæoniã collò appensam comitales adiuuare plurimum, Polypodium atram purgare bilem, timorem corallo pelli, laurum aduersus fulgur amuletum esse uel præstantissimum. Echeuicida uero, ruant uentilicet, rabiem mundi perdomare, & infrenare impetũ, nauigia ratione mirasistendo. Quia uero de annulis mentio est, non prætereamus scurræ dictum celebre ac uerum, principes bonos posse uniuersos annulo inscalpi, atq; inscribi. Quod ex miratum paucitate conuenit. Nam in Romana historia hosce uix compereris, Augustum, Vespasianum, Titum, Neruam, Traianum, Adrianum, Pium & M. Antoninos, Seuerum Aphrum, Alexandrũ Mammeæ, Claudium & Aurelianum. Valerianum transeo; quia infelix. Reliquos uerius mōstra dixeris, ac pestes. Proinde ab Diocletiano dictum egregiè, Nil difficilius quàm bene imperare. Qui hosce sunt inscuti, in digitos non mitto nunc.

Super annulis item non improperè conquisita quæpiam, & prompta in literas, non semotis omnino quæstionum salebris. In primis qui Platonis annuli, & Iarchæ. Batti annulus, & silphium. Eudami annuli. Cur annulorum quidam dicantur phyci. De magia relatu non ingrata. Iuuenalis locus ex-

plicatur. Qui sint Pharmacitæ. Pharmaci. Apſicori. Pharmacum quid. Virgilij locus expenditur. Entomata. Symphyla. Catharmata. Catharſia. Periftiarchi. Item quid Telia: necnon cur dicantur annulariæ ſcalæ. Qui dicantur item annuli leues lureconſultis. Obiter pannicularia, & pannarij, quid apud eosdem intelligantur. Pronubus annulus. Oxythymia quæ ſint. Peripoli, hidrymeni, oxoſma, acares, corſanos. Aſtiui annuli. Hora aſtiua. Annulorũ ius. Antonij Muſæ hiſtoria. Coclum. Coclides. Annuli ſigillaritiſ, uel ſignatoriſ. Annulariæ ſcalæ.

Caput XII



Voniã aures delicatas radere ſumus ueriti, nimio plus excreſcens caput diſſecuiſimus, in partesq; digeſſimus, ut quod uno impetu fuerat abſoluendum, membratim quali diſtributũ minore ſtudio hauitũ in uires abeat, & ſanguinem. Mitiora quoq; magna ex parte, & quæ iucũdius auidiusq; nõ ſomniculoſus lector percurrat, iam hinc cõtexere pergemus, niſi q; celeberrimos & reconditiſſimæ ſcientiæ Platonis annulos, auream illam Homeri catenã referentes, à uiaq; opificis uirtute, quali à uero lapide indomiti Herculis propenſos in tempus aliud miſſos facere nequimus. Sunt uero hi non aliud prorsus, quàm ordo, ſeriesq; rerum diuinæ deſeruiens prouidentia: ſeries, inquam, luminum partim quidem inuiſibilem, partim etiam uiſibilem. Et occulta quidem lumina intellectus ſunt angelici animalesq; manifeſta uero ſunt cæleſtia lumina. Eſt autem inter hæc mutuus & mirabilis nexus, quem dicere catenã poſſis, Sed ibi utiq; intellectualis nuncupabitur & aurea, ac prouidentia. Hic autem naturalis & argentea atq; fatalis, prouidentia prorsum obnoxia, cuius quidem poteſtate purior anima ſequeſtrari ualet à ſæto. Quod eſt à Platonis egregie confirmatum, nec magiæ diſplicet grauitati, ſancit & Hebræorum aſtronomia. Nam Areopagita Dionyſii placita uel ad minutiæ rerum diuinitatis perducunt prouidentiam, ut ſuum tamen animis relinquantur arbitriũ, & ſit uotis locus. Sed enim ſubtilitatis immenſæ relictiſ quaſtionibus Iarchæ annulos minime differamus: de quib; hæc ferme nobis obſeruata. Scribit etenim Damis, ſapientũ Indorum principem Iarcham tam ſcite, tamq; doctè annulos ſeptem cõpegiffe, qui & ſtellarum ſeptem nominibus eſſent præſignes, ut Apolloniũ Tyaneum dono acceptos ſingulis diebus ſingulis, iuxta dierum nomina eos diſtinguentem, geſtaſſe præditum ſit. Amplius Iarcham id quoq; Apollonio inſinuaffe, auum ſuum philoſophiæ myſterijs itidem initiatum, annum centeliſimum triceliſimumq; uiuendo attigiffe. Id uero annulorũ beneficio contigiffe, quamuis non ſatis conſtanter, grauiſſimi auctores interpretantur. Quinimmo Apolloniũ ipſum eodem munere iuuentæ nitorem prætuliffe, quamuis annum iam centeliſimũ exceſſiſſet. Batti uero annulus apud Cyrenæos gratitudinis habet, atque honoris argumentum, condita ab eo Cyrene, ex reſponſo, ſicuti Ariſtoteles quoq; commemorat. Quo nomine ciuitatis conſenſu conflatus eſt annulus, ciuium conditori ſuo, ueluti parenti, ſilphii offerentium nota, quod eſſe inter olera cõſtat pretioſiſſimum, comici ueteris aſtipulante uerſiculo, quo ille ait, Ne Batti quidem ſilphio adduci poſſe, ut faceret quod rogabatur. Sed & Ampeliortæ, gens Libyca, inter Delphicos theſauros etiam ſilphium dicandum cenſuerunt. Calculum adijcit nummi item ueteris ſcalptura, quod in Cyrenæorum poliſia adnotatum Ariſtoteles reliquit. Inuenio in literis, Eudamũ quẽdam profeſſione philoſophum annulos quosdam ſolũtum conſicere, quorum uis eſſet mira aduerſus dæmonia: item ſerpentium morſus, & id genus alia pleraq; inerat iſis quoq; contra faſcinationem uirtus præclara. Cuiusmodi poteſtatem ab iuuandi præſtantia Græci nuncupant ἀλεξήριον. Hoſce annulos dici phyſicos, comperiet, qui Græcorum monumenta adierit quandoq;. Id cur ſic, ne quem forte Lyncea minutiffima quæq; expendentẽ torqueat, ex mutis magiſtris ita accepimus, eſſe in anima noſtra γνωſτικὰ δυνάμεις, id eſt cognitiuas poteſtates tres: νόω, id eſt mentem: διάνοιαν, cogitationẽ, ſeu diſcurſum: δόξαν, id eſt opinionem. Rurſum, dum ſe naturæ æmulam anima faciunt: tria item exinde oriri, ἀδυσήμω, τὴν γνῶσιν, ἢ ἐμπειρίαν, hoc eſt ſcientiam, artem, experientiam: quæ ſint tribus analogæ uiribus, menti ſcientia, cogitatriçi poteſtiæ ars, opiniononi deniq; experientia. Nam ſicuti citra rationem ſeſe promit opinio: ita & experientia ſubiectarum ſibi rerum minus rationes tenet. Ex iſis uero illa conſequentur, primum eſſe magiam quandam, quæ ſit actiua portio ſcientiæ natu

naturalis. Eam aliud nihil omnino docere, quàm naturalium uirtutum adminiculo, ex mutua earum, & opportuna applicatione, opera ædere extra omnem admirationis caput. Quo genere Aethiopes maxime utantur & Indi, ubi herbarum cæterorumq; ad id ſpectantium facultas ſupperat in primis. Eſt ſiquidem in rebus naturalibus cognatio quædam, & ſympathia, id eſt (ut ſic dixerim) compaſſio, aut conſenſus, uel contagio, ut Ciceroni placet: uel etiam contages, ut alijs: aliorum ad alia, & manifeſtorum ad uires occultas. Eſt & antipathia, ſiue contrapathio, & repugnantia. Rerum periti per mutuam cognationem conducebant in unum: per repugnantiam expellebãt, purificantes, ſicubi uſu ueniebat, ſulphure atq; aſphalto aqua aſpergẽtes marina: quod expurgandi uim obtineat ſulphur, propter odoris planè acumen: aqua uero marina propter igneam portionem. Ad quam doctriam ſane Satyricum illud ſpectare contenderim:

Cuperent luſtrari, ſi qua darentur

Sulphura cum tædis, & ſi foret humida laurus.

Nam quod laurum adiecit, illuc forte tendat, quod eſt ab magiæ conſecratoribus perueſtigatum, ſufficere nonnunquam herbam unam uel lapidem unum ad diuinum opus. Sufficit enim cnebiſon, id eſt carduus ad ſubitam numinis alicuius apparitionem, ad curſtodiam uero laurus. Cæterum de hiſce rebus alibi hoc opere fuſius. Quod ergo uiribus naturalium rerum compingerentur annuli, factũ puto, ut ſcientiffimi uiri phyſicos nuncupandos cenſuerint, hoc eſt naturales. Legimus tamen eoſdem Pharmacitas item uocari, credo ab remedij præſtantia, quod pharmaci nomine intelligitur. Quancũ eſt ubi pharmacitem dici uentrem reperias, qui nunquam ferè cibus congeſtis expleri ſaburrari uequeat. Cuiusmodi à noſtris collatiuus appellatur. Magnum quippe turgidumq; ex Plauti Curculione Pompeius interpretatur, quod in eum edulia congerantur omnia. Sicuti eleganter dixeris ediuerſo apſicoros, qui ſimulac cibum attigerint, exurgunt faturi. Sed & apſicoron, uitam intelligimus uariam, mutabilem ſubinde inconstantemq;. Pharmacorum appellationem non uenena modo ueniunt, ac ueneno proxima, ſed ex cantamina quoq; & imprecatione diræ, ac philtra, & quibus plerumq; contabeſcunt homines, unde ſunt Alexipharmaca. In medendi ratione pharmaca modo intelligunt, quæ uiolenter corpus extergunt perpurgantq;, alimenti uero afferunt nihil. Ad quam rei naturam reſpectans uates eminentiffimus Aeneidos ſecundo ita canit,

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus,

Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat

Nunc poſitis nouus exuiſus. Et quæ ſequuntur.

Verum & Homerus Iliados uigeſimo, unde mutuatus creditur Maro:

βερβροὺς λικὰ καὶ φαρμακὰ, inquit. Quæ uero ea ſint, ex Plinio liquet, libro octauo, capite uigeſimo ſeptimo. Nec me fallit, Homeri interpretem ſic exponere, ut mala pharmaca intelligat βερβροὺς καὶ καὶ ἰοὺ ποικίλα, innui autem formicas & cantharos. Noſcendum tamen, foeniculum, de quo Plinius, inter ſymphyla recenſeri potius, quàm inter pharmacode. Sunt autem ſymphyla, quæ in quotidianum ueniunt uitæ uſum, ut menta, aniſum, organus. Sed de iſis quæ pharmaci uim habent, intellexit nimirum Virgilius. Pharmacites dicebatur & uinum Pramnium, ita à petra in Icaro quam Pramnion dicunt, appellatum: quanquam apud alios uaria ſit eius uerbi etymologia. Pharmaci uero, ut obiter & hoc pergam appingere, in literis interioribus ferè uocantur, qui ad ciuitates ſuo interitu expiandas educabantur publice. Erant uero hi ignobiles quidam, & inutiles, qui graſſante in ciues peſte, aut id genus morbo alio immolabãtur, ut ſi quid in numen eſſet offenſæ, piaculo eiufmodi paria facerent: ob idq; catharmata conſimiliter dicebantur, Græco uerbo expiationem ſignificante. Nam Catharſia ratione eadem porculos nuncupabant minutulos, quibus conciones & theatra luſtrabantur. Qui mos Athenienſium erat uetus. Id uero muneris obibant, qui ab re uocabantur Periftiarchi, tanquam circitores dicas, ut teſtis eſt Harpocratio. Sicut Peripolos in re militari nuncupant, qui curſtodia cauſa circueunt munimenta. Meminit Hiſtoria quarta Thucydidis interpres: nam Hidrymeni ferè intelliguntur, qui obſidentes nuſquã inde reuelluntur, ſed aſſident perpetuo. Sunt qui oxythymia pro catharſis accipiant, quæ in triuim deferebant, quum expurgarentur domus. Sed Ariſtarchus oxythymia eſſe putat ligna, quibus ſtrangulabantur

bantur aliqui, dicta *ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ* *ἢ τοῦ ὄφθαλμοῦ* *ἢ τοῦ ὄφθαλμοῦ*. Ea vero excidentes exterminabant comburebantq; Oxosma uero quidnam statuendum apud Hippocratem, qui eo lichenas tolli pronuntiat, incompertum ferè eruditus est: Ni, inquit, ex aceto concinnata intelligatur compositio, quoniam lichenibus ex confesso administratur. Cathariorum meminit contra Timarchum Aeschines. Catharmata Herodotus Historia septima, etiam entomata nuncupasse animaduertitur, quum Boream à magis placatum scribit, factis entomatibus, quæ infectiones modo interpret dixit. Cæterum ut ad annulos redeamus: Est in thesauris Iulij Pollucis, annulum qui minimo gestaretur, solitū nuncupari ob paruitatem acares, sicuti coriamon, quo index ornaretur. Acaridion quippe breuissimum, minutissimumq; Græci interpretantur, nata inde sententia bracteata, *ἀκαρίδιον ὁ ἀπὸ τῆς πινθῆς*, *ἢ μὲν ὀλίγου πινθῆς ἐστὶν ὀφθαλμῶν*. Latini æstiuum annulum materix leuioris intelligunt, quando leuissima quæq; & subtilissima recte dici æstiuia possint, quanq; apud Martialem æstiuia hora pro magna potius dicatur. Superiori uero expositioni succinit in Menæchmis Plautinus ille seruus, quum ait, Viaticati hercle admodum æstiuè sumus.

Sunt & Iureconsultis annuli dicti leues Digestis de damnatorum bonis. Nam ex Adriani rescripto, inquit Vlpianus, pannicularia causa quæ intelligi debeat, ex ipso nomine apparet: non enim bona damnatorum pannicularia significare quis probè dixerit. nec si zonam circa se habuerit, protinus aliquis sibi uendicare debet: sed uestem, qua is fuerit indutus, aut nummulos quos uictus sui causa habuerit, aut leues annulos: id est qui rem non excedunt aureorum quinque. Quod uero ad pannicularia attinet, obiter idem paulo mox: Pannicularia sunt, inquit, ea quæ in custodiam receptus secum attulit spolia, quibus quis indutus est, quum ad supplicium ducitur. Pannarios dicunt Iureconsulti pannorum uenditores. Pronubum dici annulum à Septimio Florente obseruauimus, quo sponsæ digitorum uir oppignerare consuevit. Annuli pars qua gemma sedet, pyelos uocatur, & pyellis: sicut meminit Lysias aduersus Euphemium, & in Heroibus Aristophanes, Harpocratio etiam sphragidophylacion appellauit. Nostri palam ferè dicunt, sicuti Cicero, & in Floridis Apuleius. At Plinius gemmas præstantiores funda claudi prodit, id est patentes, nec præterquam margines auro amplectente. Sed gemma carentem annulum *ἀπὸ ἑρῶνα* uocari comperio, quasi tu dicas, omni carentem sine. Qua in parte commonendi sumus, emaculandum esse Pollucis codicè, ubi scribitur modo, *ἀπὸ ἑρῶνα* uocari *λίθου δ' ἀκαρίδιου*, tu reponere *ἑλίου δ' ἀκαρίδιου*, ut annulum intelligas citra gemmam concinnatum: cui sint diuersi apud Liuium in Sabinarum historia, gemmati annuli. Apiros uero aliud quandoq; profum est, nam eo nomine tunicæ quoq; intelligunt exitu nullo. Quod scribit Horus, ut in Polyxena apud Sophocle: & meminit in Oreste Euripides. Eiusmodi missam Agamemnoni, concinunt poeta. Scribitur uero Græce *ἀπὸ ἑρῶνα*, uelut sine sine. Apiro uero annulus recte intelligitur uelut infinitus, quia sit rotundatio nis absolutæ, nec appareat unde initium sumas, uelut Homerus terram itidem dixit *ἀπὸ ἑρῶνα*, hoc est orbicularem, ut interpretatur Eustathius: & approbat in libro de Homericis allegorijs Ponticus Heraclitus. Apyron uero dicimus incoctum, unde uinum apyron, cuius meminit Athenæus. Annulos porrò apiros non nouit modo Aristoteles tertio Auscultationis Physicæ: uerum & qui intelligi deberent, exposuit, *καὶ γὰρ οἱ ἀκαρίδιος ἀπὸ ἑρῶνα φασί, ὅτι μὴ ἔχοντες σφραγίδην*: id est annulos uocant apiros, quibus funda non est. Sermo autem ea in parte contextitur philosopho de infiniti ratione. Auctor est historicus Dion, nemini ueterum Romanorum gestare aureum annulum præter senatores ac equites, fuisse permissum. Propterea libertis annulorum ius ab ijs modo datum, qui imperio forent potiti. Quo nomine, Sexti Pompeij libertum Menam ab Augusto aureis annulis ornatum idem prodidit Dion. Erat uero is transfuga. Porro quum idem Augustus cum uitæ periculo ægrotaret, iamq; conclamatus uideretur, saluti ab Antonio Musa est restitutus *ψυχροποσίας* & *ψυχρολουσίας*, quo nomine pecunia est ampliter donatus, & annulo aureo, quoniam erat libertus. Concessum & idem iuris non presentibus modo, sed & futuris, qui medicos se profiterentur. Cæterum Marcellus quum mox grauius afficeretur, non est tamen ratione illa sanatus ab Musa: unde coniectatum, felicitatem priorem non hominis fuisse, sed dei. Apud Iureconsultos ita lego, Etiam fœminas

nas ius aureorum annulorum impetrare posse: item eum qui aureorum annulorum ius impetrarit, ut ingenuum haberi. Ad annulorū autem rationē, nil (opinor) spectat, quod apud Aristotelem legitur, Veteres medicos implicamentis quibusdam, id est (ut ipse ait) plegmatijs digitos inserere consueuisse, quæ contexta forent, uelut acetabula & circumstantia in piscium quandoq; pedibus. Apud Aristophanem comicorum facetissimum dicenti uetulae, præ macritudine per annulum se posse trahi, irridens Chremylus respondet, Vtiq; si annulus foret Telia. Quo loco eruditi Telix nomine cribri circulum intelligunt, sicuti Horus. Quanquam eodem uocabulo dicitur item pegma, siue conseptum quadratum, in quo farina habetur uænalis: sed & tabulam, in qua tesseri, seu cubis ludimus, recte Teliam dixeris. Sed enim ut caput hoc iam nimio plus extuberans ad coronidem perducamus quandoq; obseruauimus, Romæ iuxta forum fuisse locum, quem Scalas uocabant annularias: quas eruditiores pro ingeniorum captu ita nuncupatas augurantur ab annularijs officinis, uel à propendentibus annulis. Aliorum coniectatio est sic eas dici, quæ in cocleæ formam effingantur, & orbiculata figura rotundentur: quod genus coclium dicitur, cuius commemorat etiam Strabo: siue coclides, quæ per circuitum scanduntur: sicuti & torcularia ad cocleæ similitudinē substructa, cocleæ dicuntur: & cochlea, lapis ex flumine rotundus. Coclis etiam capitis ornamentum uidetur, ab similitudine scalarum uel animalis uerbo corruato. Pollio Treuelli in Zenobia: Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per ultimam fimbriam, media etiam coclide, uelut fibula muliebri astricta, brachio sæpe nudo. Qui uero annulis digitos onerant, unguesq; impense perpoliunt, coma item non neglecta, confragoso uerbo in Nebulis Aristophanes sphragidonycometas uocauit. Annulum sigillaritium pro signatorio, apud recentiores comperies. Qua in re sciendum amplius, Sphingis imagine Augustum signasse primò, mox Alexandri, postremo sua: Qua, ut prodit Tranquillus, & imperatores alij postea usi. At Galbam excipit Dion. Hic enim signatorium habuit annulum maioribus suis familiarem, cuius erat sculptura, canis è prora sese proclinans.

Quo sensu accipiendum illud ex Aegyptiorū doctrina, Omnium rerum esse uicissitudinem. Prius cur plectantur posteri ex maiorū delictis, ratione Platonica. De animarum transitu in corpora diuersa, Adrastia quid. Super uisera scitu digna enotantur aliqua. Et illud, Eam cum murena coire. Cap. XIII

**E**gebam nuper Herodoti historiam primam super Croeso, qui ex rege, ut tum res erant, opulentissimo, Cyri seruus effectus, dum Persarū principatum oraculo deceptus sibi uendicare pergit, ubi delusum se sortibus animaduertit, Lydorum quosdam Delphos misit, deum sciscitatuos, Nunquid pūderet quod ab eo seductus Croesus tanto regno miserabiliter excidisset: ijs uero Pythiam sic fermè respondisse, Sortem fato destinatum euadere, ne deo quidem possibile: Croesum quintæ retrò ætatis crimen luere, hoc est abauit: qui quum Heraclidis seruiret, qui Sardibus imperitabant, per fraudem dominum interemisset, principatū uolenter arripuisset, annuli potestate, uxore illius constuprata prius. Scrutabar anxie, cuiusmodi foret suppliciorum hoc genus quibus plecteretur, qui ipse haudquaquam deliquisset, subesse uidebatur inuultu quippiam. Dum ista mustitarem, occurrit Platoniorum commentatio, à quibus, ut ipsi putant, tota facilitate quæstionis nubilum excutitur. Nos illorum sensa non grauabimur in hosce libellos, quisquis fuerit eorum genijs, transponere, non ueritatis causa, sed eruditionis. Quod in alijs itidem facturum me uel nunc præfari libuit, ut Theoninos dentes & Catonianam frontem obiter rejiciam, adhæsurus potius sanctissimis Christianorum patrum decretis. In primis ergo sciendum, placuisse id genus philosophis, quum & Homero uati, ut probare connititur Plutarchus: Animæ transitum in diuersa corpora pro ratione & meritis uitæ prioris, quanquam quid astrui ad hæcitem possit, alibi tractabimus abunde. Eiusmodi ordinis institutionem adrastiam esse pronuntiant, id est diuinarum legum inuitabilem potestatem, reque uera iudicium & iustitiam, sapientiamq; prorsus mirandam. Quamobrem, inquit, non decet præsentia tantum obseruare, sed dilapsa iam ad calculum oportet reuocare, quum & futuris circuitibus acrius intendendum. Inde nanque iuste rependi unicuique, facilis erit animaduersio. Nam qui prius principatu

patu potēbatur, mox, id est uita alia in ferusalem relabatur statū, si quid eiusmodi morum prauitate contraxerit, dum dominaretur. Porro qui partis nimio plus incubauerint, ad proletarios transcribuntur. Qui manus à sanguine puras non custodierint, talionem mox cogitur subire. Nil horum temere obuenire, firmiter asserendum. Qui olim matrem uolarit, uicissim à filio contrucidabitur in foemineam reuolutus naturam. Hęc uero ne quis forte ridenda putet, ueluti ab imperitioribus tradita, sciant doctissimi, magnū illum sanctorum literarum interpretem Origenem id CHRISTI euangelicum hac doctrinæ ratione enarrandum censuisse: Qui ferit gladio, gladio perit. Chabalista quoque in gente Hebræorum doctores celeberrimi placitis suis eiusmodi retaliationem sunt complexi. Sed animas in bruta non præcipitant. Quæ tamen penitus rationem excusserint, brutali affectui imaginationisq; relinqui non abnuunt. Ter quoq; nec amplius, huc reuolui animas astruunt, quoniam numerus hic probationi abunde sufficere uideatur, ut curabilia expurgentur peccata. Addunt, transformationes has mundani motus finem posse pertingere. Quem consecuturum sit felicissimum sabbatum, id est quies & beatitudo bonorum æterna, in quem sensum propheticum illud retorquendum opinantur, Immaculatum hereditas in æternum. Sed hæc illi uiderint. Nos uero ex ueterum scitis hoc genus colligamus, Esse hanc rerum uicissitudinem omnium, quam scientiarū parens Aegyptus, uti olim loquebantur, præceptis est complexa, tradidit Pythagoras, retulit Plato, nec in honorem transmissit Platonius nobilis Plotinus. Hęc illa est rerum uicissitudo, cuius argumentū rerum natura nobis obiecit uidetur in uipera. Quæ mirabili ratione ipsam hanc, de qua diu uerba facimus, talionem agnoscitur rependere, quoniam ex eo parentis utero prorumpit foetus, pœna, si credimus, iustissima. Nam coeuntis maris præ dulcedine foemina caput prærodere narratur. Quo nomine quorundam coniectatio est, antiquarum legum scito paricidis id irrogari supplicium, ut culeo insuti cum uipera præfocentur. Quanquam scio à doctissimis Plinij doctrinam in bruti huius natura fortiter conuelli lancinariq; etiam si in eo nec me fallit quos sequamur auctores haberi plures, & quidem quod miremur grauissimos præcipue, & clavis ferè primæ: sicuti in Theriacis Nicandrum, interprete quoq; adijciente calculum. Quos postea infecuti sunt, quorum nomini libenter assurgas, Plutarchus in libro quo loquaces taxantur, quos belonis uiperisq; perfimiles autumat, quæ pariendo rumpantur. Nam dum tacenda curiosius, quæ effutiant, uenari hinc inde student, erodunturq; ab ijs quæ nequeunt cōtinere. Idem approbasse Apuleius uidetur in Magia, nec tacuit Hieronymus. Suppetit grammaticorū astipulatio quoq; astruentium Echidnam inde ratione etymologica dici, *πῆγά το ἔχρη ἢ ἐαυτῆ τῶ γούλι ἄχρη θανούσας*, quod ad interitum usque foetum intus contineat. Præsto est magni item Basilij in Hexaemero sententia: Viperas, inquit, utero deurato, fama est, in lucem prodire. Comprobat & libro secundo Horus, Viperæ foetum scribens *ἐκβιβρώσιν ἡ τῶ γαστέρα ἢ μὴ τὸς ἐκπορῆσθαι*. Circūfertur & Græca sententia, sicuti uiperulæ arroso matris utero, lucem indispiscantur, ita & liuorem animam, in qua concipitur *ἀσπασσῶν*. Tamē ne quid dissimulem, sed quicquid obseruatum mihi est, publico bono ingenue promam, Apollonius apud Philostratum uiperam esse uisam refert, serpentes quos peperisset lambentē qualiq; expolientem. Non enim assentior, inquit, imprudenti eorum sermone, qui uiperarū foetum absq; matre autemant prodire. Id natura non patitur, nec recipit experientia. Obiter non in super habendum quod in Theophrasti lectum monumentis est, uiperarum morsibus tibicinem scite modulataq; adhibutum mederi, adeo non ita multa comperias, quæ utilitati ex musicis sese promenti præuertisse uelis. De uiperis illud amplius ex Galeni doctrina sciendum: Animantia, inquit, quæ frigidiori sunt natura, per hyemem ob frigoris uim perinde ac si mortua essent, latitare solent: atq; tum uiperas quoq; uideas, si manibus tractentur deferanturq; haudquaquam mordere. Nam per æstatem tum hoc animal, tum serpentes reliqui omnes, præsertim sub caniculæ seruore, quum uehementer æstuant, furorem præ se ferre uidentur, adeo ut ne exiguo quidem momento quiescere omnino possint. Id quod sciens optime Nicander, sic de Cenchrade cecinit:

Non temere offendas calcando Cenchridis artus,  
Dum rabiosa furit.

Aulico præterea cuidam à uipera mordicus arrepto

pto contigisse, obseruatum est, ut corporis totius color in porraceum demutaretur. Nec relatu illud indignum, quod & alibi non negligetur: uipera nequissimum genus bestiae, ac super omne quod serpenti generis est astutius, coeundi incentiuis exæstians murenæ præcognitam sibi copulam requirit, uel nouam instruit, progressaq; ad litus sibilo præsentiam testatur, & ad complexum illam prolicet coniugalem: quæ illecta non deest, ac uenenata serpenti expetitos usus suæ impertit coniunctionis. Quin ubi aduentare comparem senserit uipera, uenenum euomere narratur, marito sic reuerentiam quodammodo exhibens, ac nuptialem reuerita gratiam, quod tamen concubitu peracto reforescat mox. Vicissitudinem deniq; hanc indicat uetus prouerbiū ab Carthaginiensiu pueris in lusu iactatū: Gamma quādoq; insectari beta, & rursum beta persequi gamma.

Quæ sit ratio tarditatis supplicij ex diuina prouidentia. Aristotechnam deū cur dicat Pindarus. Item iuste ne plectantur filij ex eo quod parentes deliquisse comperiat. Interibi cur Cecrops Diphyes. Circumpadanorum lugubres uestes.

Cap. XIII



Nec artes omnes quæ bono aliquo præcellere conspiciantur, animæ medicinam uideri maximam, non ferè quenquam ex politioribus paulò esse opinor, qui non fateatur. Siquidem hac de causa Pindarū animaduertimus deū optimum maximum Aristotechnam nuncupasse: quo uerbō artificij significatur excellentia, quod is maximè omnium irrogandæ pœnæ opifex sit, & inenarrabilis magister. Sunt tamen qui plerunq; in diuina prouidentia tarditatem nimio plus cessantem demirentur, prorumpentibus illuc etiam quibusdam, ut hoc nomine ambigere sibi permittant, prouideat ne humanis illud, quicquid est, altissimum. Ceterum amplius inspicenti ratio potius summa uidebitur, quam cessatio in amplissima & exuberantissima dei bonitate. Est utiq; summus artifex, iustitiæ fons perennis in puniendo, ut ita dicam, segnior: eiusmodi enim est, ut inquit Euripides, *ἢ θεοῦ* natura. Nam & ueteri adagio testatissimum sit hoc, quo dicitur, laneos pedes habere deos, quādo Saturnus, ut scribit Apollodorus, testante in cœnis Macrobio, uiro memoriarum ueterum exsequentissimo nō citra dicendi mundicias, per annum laneo uinculo alligabatur. Id hoc sensu esse interpretandum, & grammaticus Porphyrio comprobare est uisus, ubi illud Horatianū enarrat Carminum secundo.

Deferuit pede pœna claudio.

Raro antecedentem scelestum  
Astipulatur & illud quo traditum est, Deorum molas tarde molere. Verum enim uero scire oportet primum, Nil esse omnino præstantius homini, quàm si totum se ad diuini boni imitationem tradiderit. Etenim sicuti Plato ait, deus in medio omnium se honestorum exemplar cōstituit. Ipsa quoq; natura uisum appēdit nobis, ut quæ in sublimi fiunt, spectantes, quamq; ordine ferantur, infusecamus incongrua fluitantiaq; odisse, apta uero ordinataq; amplexari. Infligit ergo deus nocētibus supplicia lente ac moramēto quodam, nō utique pœnitentiā ueritus, aut in celeritate peccatum extimescēs: sed ad ipsum id prouocare nos studet, ne ad puniendum indignabundi, animoq; amplius tumescente, ac seferationi furorē superinfundente proramus, quum mentis lumē extinctum, penè conticescit. Verum dato iræ spatio, clementer, lentoq; gradu illius imitati mansuetudinem dilationemq; ad pœnæ exactiōnē pergamus. Quippe turgidum ac impetu prærabido concitatū raptim ad ultionem præcipitari, prius quam sedato motu in tranquillum redigaris, perinde est, ueluti Socrates dicebat, ac si per intemperantiā ne ab cœnosa quidem, aut corrupta omnino aqua abstinere queas. Neq; enim ultioni propinquior iniuriæ perpeffio, ut Thucydides scribit: sed interstitio quopiam semotior disiunctiorq; par recipit, ac conueniens. Porro & illud diuinæ bonitatis maximè congruum, pœnam aliquandiu proferre, ut sit pœnitentiæ locus. Etenim rerum ille parens nō nescit, quantum potentia ad uirtutem habentes animæ, quātumq; innatæ generositatis in generationem prodeant. Ex qua nonnunquam educationis consuetudinisq; prauitate præternaturæ rationem progerminant efflorescantq; uitia. Quibus tamen si opportunam attuleris medelam, antiquus facile interdum redit habitus. Quæ ex causa lentior est ad ultionem deus. Quod si ita inoleuerit obdurata prauitas, ut manū haud omnino recipiat medicam, sitq; scelus inexpiable, abscindit protinus e uita, ne ita affecta anima ex diu

s turniore

turniore apud nos mora ceteris noceat multum, sibi uerò quàm plurimum. Circumspice, rogo te, quisquis ista qualiacunq; adeunda censueris, ex multiplici librorum & ueterum memoriarum aceruo, quàm multi tanquam iterum currente rota efficti, dum se melioribus recoquendos reformandosq; committunt, aut sponte promicantibus quibusdam naturæ igniculis, in bonam profecerint frugem. Equidem hac ratione Cecropa diaphyen, idest naturæ duplicis ueteribus cognominatū contenderim, nō ut modo creditur, quòd ex miti rege ac bono in feram, agrestem anguigenamq; abierit naturam, sed e diuerso potius: nam qui prius formidabilis incedebat omnibus ac truculētus, clementem induit principem, & ut Homericō utar uersiculo, *πατὴρ ὡς ἡμιθεὸς ἦεν*. Ita profecto est, ingenia sæpe magna clarissimum mox æditura lumē multa prius absurda promunt. Quamobrem, sicuti sancitam in Aegypto legem memorat, qua caueretur, ne grauidam mulierem morte mulctatam prius quàm peperisset, supplicio afficeret, pariter animam grauidam, ac uirtutum nouarum semina cōcipientem subinde, iamiamq; parturientem tollere, improperum nimis inauspicatumq; censendum est. Quid, quòd hyænæ fel, & phocarum coagulum, & pleraq; ferarum sauissimarum habent sæpe uim medicam? Sic nonnullos emendatione indigentes hac ratione castigat deus, ut iniecta tyranni effera uolentia, aut magistratu amarulento, Scythicum Cyclopicumq; inspectate, ad iustitiam redigat, & uitæ integritatem. Talem exhibuit Agrigētinis Phalarim: Romanis uerò Marium. Nōne uel Christianæ ueritatis assertores ita pronuntiant: Malos sæpe supplicij ac incommodi omnis exortes relinqui, ut per eos exercentur boni? An non & Homerum ita canentem legimus, Sæpe ex malo patre nasci filium, uirtutum claritate præstantem? Pericles ex scelestâ prodijt domo, tantus Atheniensium imperator, ac eloquentiæ magnitudine Ioui, dijsq; cognomento æquatus. Iam uerò Strabonem Magni Pompeij patrem eiecit exculcauitq; defunctum ex odio populus Romanus. Nō mirum igitur, si ueluti agricola, nō excidat deus spinam prius quàm inde asparagum præciperit. Porro si Heliodum audiamus haudquaquam, citra pœnæ diritatem abeunt inauspicata monstrosa q; ingenia. Astruit siquidem poeta is, non iniquitatis modo cōsecutricem esse supplicij grauitatem, ut statuit Plato, sed cœuam quoq; eadem protinus parte, immo uerò radice pullulantem. Sic enim ait,

*ὁ δὲ ἄλλω κακὰ τὸ ἔχει, εἰ καὶ ἄλλω ἡπικὸν τὸ ἔχει.*

id est,

Qui alijs meditatatur malum, suo ipsius iecori malum struit. Nam & cantharides ex antipathia quadam naturali antidotum habent in seipsis congenitum permixtumq;. Itaque moeror prauitatem iniustitiamq; non sequitur, sed cōcomitatur: nam synteresis illa, siue conscientia quali nam & quàm infesto perurget flagello? quia se iudice, nemo nocens absoluitur. Itaq; partem istam postremo sic possumus colligere, impijs sufficere ad pœnam ipsorum uitam assidue fluctuatam turbulentamq;. Cæterum ab hoc genus quæstione ne illud quidem distitum lōge est, quod nec tacuit Euripides, deos quæstus scelestorum errata sæpe filiorum supplicijs expiære. Quod sanè si parum attendas minusq; perspeçte rem totam expendas, nō ridiculum uidetur minus, quàm quod Syracusanorū tyrannus Agathocles Corcyrensis respondit, percontantibus quid ita ipsorum insulam hostiliter depopularetur, Quoniam, inquit, uestri maiores hospitio Vlyssēm exceperūt. Rursum quærentibus Ithacensibus, quod eius milites per incursiones pecora abigerent, At rex, inquit, uester classe in Siciliam appulsus etiam pastorem occæcauit. An non absurdum id item opinemur quod perficiebant Thraces, stigmata non parum diu mulieribus inurentes, ut Orpheo satisfacerent, quem ab illis olim fuisse discerptum, constans tenet fama. Risu item excipiendum, quod Circumpadanis diutius factitatum legimus, ut pullis lugubribusq; uterentur uestibus ob Phaetontis pœnam in Eridanum fulmine deieçti. Bion certe philosophus deum filijs ob parentum delicta multam irrogantem non uideri minus ridiculum asseuerabat, quàm si medicorum aliquis ob aui aut patris morbum filio potionem porrigat. Sed enim, o philosopho, ut protinus aliud sequamur quàm præcedenti capite afferre uisi sumus, propemodum fatemur nos quidem, causario rum neminem, dum alium quemuis inungi aut confoueri emplastris uidet, persanari. Verum aliam suppliciorum uideri rationem astruimus, quibus sæpe palam afflictantur nocentes, ut dum torquetur unus, emendetur alius; quare ab Græcis tuis pœnas quafdam

dam dici paradigmata, comperies, à nostris uerò exempla. Porro nōne manifestum illud quoq; solertem medicæ artis professorem filios plerunq; à parentum morbis auerisse, priusquam causæ prognosticum aliquod se promeret euident, & iamiam grassaretur malum, adhibitis opportune medicamentis, non neglecto corporis exercitio, & uictus moderatione, reieçtis etiamnum, quæ procliuem in morbum constitutionem præcipitatura mox uiderentur. Quare non absurdam rem facit, sed necessariam, nō ridiculam, sed utilem admodum, qui epilepticorum, siue comitialium filijs, aut melancholicorum exercitationes inducit, aut diætas accomodas, non tanquam ægrotantibus quidem, sed ne in ægritudinem omnino incidāt. Quippe ex male affectis nati nō utiq; pœna ulla indigent, at medela digni sunt, & custodia. Quod si ita est, sicuti nos rerum usus perdocet, rogo te o Bion nōne animis, tanto præsertim corpore præstantioribus, idem remedium, eandem curam censebis adhibendā? An in adolescente progerminantem naturali ratione, succrescentemq; consuetudine flagitiorum seminofam tabem, latensq; malum augescere sinemus, prompturum mox paulò pestiferum mentis fructum, ut dixit Pindarus? Cæterum hæc ipsa internoscere, clanculariumq; uitiorum seminum occipare, non est profecto homini obuium. Diuinam ista exigunt potestatem. Quamobrem optimus maximus deus intimorum inspector, scrutatorq; eorum, quæ in sensum cognitionemq; humanā non facile reciderint, paulò post eruptura flagitia non expectat: sed medela gratia in adulteria procliuem, ad auaritiam, & plus habendi cupiditatē promptiorem, & in scelera id genus alia remis ueliscq; currentē, sed clam, & inexplicabili modo, rationeq; ulciscitur multò ante, perimitq;. Nos autem per ignorantiam maximam ad disquisitionem quodāmodo deum uocamus, nulla q; non hora dicam illi impingimus, ac formulam scribimus, non perspicientes ita usū uenire interdum, ut futura ijs quæ facta iam sunt, occulta item, obductaq; manifestis peiora multò, terribilioraq; sint. Quod euenit sanè, quia causas conieçtare ratiocinando nequimus, quibus constet, quid ita prestat, iniurios, malos ue sæpe missos facere: quodā uerò ne iniuste quidem agentes quipiam occupare supplicio. Nam & medicamenta quandoq; ægrotantibus nil profecerint, nullam uerò affectionem sentientes, periclitantes tamen grauius, iuuerint.

Sententia diui Thomæ ad idem, ex prima secundæ quæstione octogesima septima, articulo ultimo. Pœnarum genus duplex. Cap. xv

**E**T quia quæ adhuc diximus, ab gentium libris mutuati sumus, tralatis ex Plutarchi Moralibus carptim, & commaticè quæ opportuna proposito censuimus, ab sententijs eius, & uerbis quandoq; non nihil abumcti, ut cōmodius est uisum: quod ipsum testari libuit, ne per imperitiā quis ad struendam calumniam cernulus factum cauillaretur. Nunc, ut pro uirili studiosis omnibus, quorum bono ista cōmentamur, amplius paria faciamus, sancti doctoris placita parti huic suppingemus, facturi operæpretium, sicuti remur, solitis in aliena castra interdum transire, non ut transfugis, sed exploratoribus, uersurā hinc inde facturis, quo ex usura mox fiat fors. Quum ergo quæritur, iustēne quis pro altero det pœnas, aut, inquit Thomas, de pœnis agimus, quæ medicinæ rationē habent, aut de spiritalibus. Si de prioribus, tunc astruimus planè, corporum intertrimēta uel diuitiarum inter supplicia censerī, quæ medica ratione irrogentur ad animæ salutem: quamobrē non incongruū est, ijs quempiam affici pro alterius peccato, uel à deo, uel ab homine, sicuti pro patribus liberos: item pro domino subditos obnoxios ue, inquātum bona illorum censentur. In spiritali uerò supplicio secus omnino est, neq; enim animæ bonum ad aliud præstabilius disponitur bonum. Quare in animali bono citra propriam noxam nemini pœna infligitur. In eiusmodi nanq; ut Hieronymus item astipulatur ad Auitum, uicariam pœnam nemo cogitur subire. Quippe quo ad animam filius non est res patris, quod illo prophetico abundè confirmatur apud Ezechielem domino pronuntiante, Omnes animæ meæ sunt. Porro puniuntur in filijs parentū admissa, quia à flagitiosis nati, & educati ad delinquendum procliuiore, magisq; lubrici euadunt, tum cōsuetudine, tum exemplis alleçti. Cōiunctos uerò sanguinis uinculo ferè puniri aduertimus, quoniam propinquorum damna in eos modo quodam redundare uidentur, qui peccarunt. Sed & domestica exempla, domesticaq; pœnæ permouent ualidius: nam innutritus sceleribus patris uehementius

imitatur. Quòd si illius supplicio minus deterreatur à malo, ut pertinax amplius uideatur plectendus.

Obseruata quæpiam de uipera legentibus futura non iniucunda. Marassius cur dicatur: itemq; de theriaca. Cuiusmodi animal sit, uulgò quod dicuntur thirum. Theria quæ dicatur propriè medicinâ professis. De Maris duobus locis. An uipera coeat cū muræna. Penitus Plinij locus de uipera. Ca. xvi



Voluentibus nuper Platonica quædã, ut est nostri moris, ingessit fortè se nobis Alcibiadis oratio, quæ pars ultima est ex Platonis Symposio. In ea quum alia pleraq; haudquaquam extrita, neq; (quod dicitur) ab triuio subnotauimus, quis instructor fieret supellex nostra: tum hoc non illepidum, aut inuenustum (ut opinor) de uiperæ morfu, quod & transposui. Quæ, inquit, adhuc protulimus, omnino citra uulgo ruborem passim enuntiarî queunt. Quod reliquum est, non profertur à me prius, quàm id uobis prouerbium subiecero, Vinum & cum pueritia & sine pueritia esse ueridicum. Porro non secus prorsum afficior, ac is in quem uipera mordicus incurrerit: hunc siquidem produnt, affectionem suam oblationemq; ips tantum uelle patefacere, quos eadem morbi uel quandoq; iactatos compererit, ceu hi demum, ut qui ægritudinis non sint expertes, ignoturi uideantur: si quid dictum factum uel sit absurdum, morbo uiolentius grassante conuellenteq;. Quamobrem ego quoq; sapientiæ stimulis couulneratus, quæ cæteris potentius ferit, inexplēbiliter quodammodo orationē eiuscemodī expetens, quæ ualidius quàm uiperæ denticulus insiguit, omnia statui conari, ut Socratem mihi asciscam, cuius è fonte siti arefcentia præcordia uberius queam rigare. Nec ista nunc promerem, nisi rem cum philosophiæ mysterijs diu initiatis esse mihi animaduertentem. Hactenus Plato, tralata (ut potuimus) nostris uerbis sententiã elegantissimã. Iam uerò quod ad uiperam attinet, quoniam piaculo transiliamus nunc scitissimam Cebetis doctrinam studiosissimo cuiq; iucundissimè amplexandam? Nullo, inquit, infestari nocumento potest, qui uirtutis munimento sese obuallari contempseritq;. Ea est aduersum uitia & mala, ceu antipharmacum potentissimū, non secus ac uiperæ potestas uenenosa contra id genus feras alias. Quippe ferunt *ὄφις ἰχθυόδεντρος*, hoc est morfu à uipera petitos, ab uenenatorum nullo attingi. Hæc Thebani philosophi placita fidem ips uendicant, quæ produnt naturalit̃ aliqui. Eos qui aliquando uiperæ iecur coctum hauserint, nunquam postea feriri à serpente. Rursum, nec capiti, neq; item uestibus eorum qui uiperis alantur, noxia corpori inesse animalia. Sed fortè ex ips quispiam, quos *ὄφις* uocant Græci, nos discendi cupidos dicere possumus, Quærat ex me nunc, quòd nam esse genus serpentis putem, quæ passim dicitur Latine uipera: in Græcorum uerò literis echidna; nam mas, echis nuncupatur. Ego quantum coniectura duco, Viperam suspicor uulgò dici marassium: quæ nomenclatura nec Barbara est, nec citra rationem excogitata, quippe à Marforum populis interpretatione etymologica duci nomen uideatur: quia id genus maxime confectarentur Marfi, circumferrentq;. Quod ne quis pro libidine confictum auctore nullo arbitretur, significat id maximus artis medicæ magister Galenus, uolumine undecimo Simplicium pharmacorum, necnon ad Glauconem. Innuit & poeta nobilis illis uersibus, quos & apposui:

Quin & Marrubia uenit de gente sacerdos  
Fronde super galeam, & felici comptus oliua,  
Archippi regis iussu fortissimus Vmbro,  
Vipere o generi, & grauius spirantibus hydris  
Spargere qui somnos, cantuq; manuq; solebat,  
Mulcebatq; iras, & morfus arte leuabat.

Marrubios uerò esse Marforum populos, nō ferè est (in literis modo assiduor, ut Varonis utamur uerbo) qui nesciat. Plinius quoq; auctor est, Marfos à Circes filio ortos, ob idq; affuisse illis ingenitam uim contra serpentes. Quin & angitios putant nuncupatos, quod oblucentes angent serpentes. Firmicus quoq; Matheseos quarto, in lunæ decretis: Si, inquit, in Saturni domo fuerit ista coniunctio, tortores aut carnifices faciet, aut Marfos tales, qui aspides uenari cōsueuerunt. Nec me fallit, ex eruditioribus quendam ædito etiam libello, Marassium à uipera disparasse: quo Nicolai Leonici uiri undecunq;

decunq; scientissimi placita uberius de huius animalis natura conuellat. Viperam t̃ero Arabes ex Græcorum lingua, ut assolet, uocabulo detorto deluxatoq; thiron uocant nō mine generis speciei imposito: nam *θηλειον*, id est therion, fera est, pudendo Magni Alberti errore; qui & in plerisque alijs huius scientiæ uideatur peccasse. Nam quos Galenus, Paulusq; trochiscos, siue theriacos pastillos appellare moris est: quoniam ex therio, id est uipera cōmiscentur, Auicenna in mentione Andromachi Theriaces, trochiscos Thiri uocat. Porro quæ à Serapione sunt de Thiro obseruata, de uipera recte pronuntiarî ex Dioscoride, Galeno ac Paulò recognoscimus. Adrianotheras in Myfia apud Spartianum, Adriani intelligimus uenatica. Quoniam uero medicorum pomœria aliquo modo sumus ingressi, pergamus porro in hæc commentationes congerere, quæ uellicatim hinc inde præcerpsimus, ut uarietas ipsa iucundiorē præstet, ac illicem magis, si Plautinè loqui non dedecet, nostram racemationem. Igitur in eorundem uiretis amœnioribus theriacam obseruauimus bifariam intelligi. Nam uno modo, ac proprie dici theriacam audies, quæ ex therio, id est uipera confici assueuit. Quod Therapeutices quartodecimo comprobatur Galenus, & ad Glauconem secundo in elephantis cura. Id uero primum omnium excogitauit Andromachus Neronis Archimedicus. Alteram uero sine permixtione id genus. Quando simplicia item Theriaces nomine uocari reperias: nam Auicenna secundo Canonis, capite de squilla: Theriaca est, inquit, aduersum uenenosa. Item de opopanax. Cum aristologia, inquit, pota theriaca est. In Collectaneis rei rusticæ apud Græcos, libri secundi sine comperi, uitem dici theriacam, quæ *πύρα* *ἢ* *θηλειον* *διημιαν* persanet. Quo autem fiat pacto theriaca uitis, aliubi in eisdem traditur libris: sed & Palladius commemorat libro tertio: antidoto uidelicet radicibus infusa. Sic & cathartice uitem excogitarunt agricolationis apprimè experientes, palmite scisso, & helleboro mox iniecto. Quæ uberius exsequitur Florentinus Georgicorū primo & secundo, qui & theriacam ficum nominat, ubi theriace linatur fructus. Sunt qui non ideo dici theriacæ putent, quia therion, id est uipera, permixtionem ingrediatur: sed quia aduersus theria, hoc est feras ueneno imbutas præsentissimum sit remedium. Obseruatum certe peritioribus est, *θηλειον* uniuersim quidem bestias indicare, sed medicinam professis capi modo pro uenenosis, quò argumento *θηλειον* dici, non à bestijs percussos, uerum ab uenenosis oblaesos, qua in re labi quandoq; Plinium, est animaduersum. Qui tamen libri uigesimali capite ultimo, theriaces confectioem describit, qua sit usus aduersus uenenata omnia rex magnus Antiochus, nulla prorsum mentione uiperæ. At libro nono & uicelimo, fiunt ex uipera (inquit) pastilli, qui theriaci uocantur à Græcis, ternis digitis, siue quaternis, ut alij legunt (nam & Galenus ad Glauconem secundo, id approbat fere) utrinq; amputatis exemptisq; interaneis. Et mox paulò: Significandū (inquit) uideatur, è uipera tantum hoc fieri. Alibi in eodem libro, Theriace uocatur excogitata compositio luxuriã. Fit ex rebus externis, quum tot remedia dederit natura, quæ singula sufficerent. Cæterum quod auctor hic de amputatione extremarum uiperæ partium tradit, id commentitium Dioscorides putat. Theriacos tractatus intelligunt Græci, qui de iobolis, hoc est animalibus concinnantur, quæ uenenum icu dentibus uel infundunt. Alexipharmacos autem, quibus letalium uenenorum ratio describitur. Tradit Galenus libro undecimo Simplicium pharmacorum: Viperæ caput amputari ratione ueneni in eo contenti: in cauda uero nil esse eiusmodi. Postremò cōmonendos impensius studiosos remur, ne quid omnino ueluti cōnuentes quod usui sit legisse, transiliamus, Esse qui Plinio negotium facessere pergant, in uiperæ natura libro decimo, ubi sic legimus: Tertia die intra uterum catulos excludit, deinde singulos diebus singulis parit uiginti fere numero. Aristotelicæ (inquiunt) sententiæ, unde mutuatur Plinius, minus ista consentiunt. Cuius hæc ferme sunt uerba ex libro quinto De animalium historijs: Viperæ è serpentibus una, animal ædit, quum intra se ouum peperit: id unius coloris est, ac molle, ut piscium, foetus supernè consistit, nec cortice cōtinetur, ut nec piscium quidem: parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpantur. Euenit interdum, ut qui in utero adhuc sunt, abrosis membranis prorumpant. parit una die singulos: parit autem plures quàm uiginti. Hæc aliquo modo inter se diuersa non congruere satis, non ferè est qui non uideat. Si quidem nasci uiperulas philosophus sentit, membranis inuolutas, ueluti



infantes nostri ijs, quas hysteras tanquam posteriores Græci, nos secundas dicimus, quibus tridui spatio à partu conceptis disruptisq; tanquam senectute deposita nitidæ tandem conspiciantur. Nam (inquit) euenit quandoq; ut ipsam hanc membranã abrodant exuantq; prius, quam utero excidant. Plinius uerò membranã illam disruptionem intra uterum, non extra (inquiunt) fieri autumat, quod ex Aristotele nō uidetur uerum. Ego uerò uerba illa, Tertia die intra uterum catulos excludit, nō ad membranam refero Aristotelicam, sed ad eruptionem ex ouis: in quorum superiore parte foetum consistere, fatetur Aristoteles. Quod excludi, siue excudi, propriè rectèq; à nostris dicitur. At inquit, unde fit tertiæ diei cōputatio? Respondeo, Peragi exclusionem hanc ex ouis ante quam promant se ex utero uiperulæ, siue echidiæ, per triduum, maturato iam partu. In quo nil sanè absurdum uidetur in tanto præsertim numero. Numerentur itaq; dies à momento quo adulti catuli promunt se ex ouis, ad id tempus quo mox ex utero erumpunt. Quod si Aristoteles id nō dicit, nil fuerit mirum: potuit alios sequi Plinius: quod ut recipiam, illo ducor argumento, quod inibi infertur mox, Itaq; cæteri tarditatis impatientes perumpunt latera, occisa parente. id quod apud Aristotelem nō inuenias: & tamen à multis nō diluta auctoritatis comprobatur. Et nobis non incuriose locus hic paulò antè est pensitatus. Deniq; quia uiperam dici uulgò marasium docuimus, ab Maris, quibus id genus multa contrectare, frequentissimi fuerit moris: hinc homines eos medicorum facile post Hippocratem princeps Galenus *θηριότροφος* nuncupat, & *ἀσπίδοτροφος*, id est theriotrophos ac aspidotrophos. Apud Firmicum sic adnotatum item inuenias: Oriente autem ophiucho, inquit, nati qui fuerint, Maris erunt, qui scilicet pestiferos angues, sopitis ac mitigatis aculeis opprimunt. Prodidit Archelaus, prodeuntis in siccum murænas cum echie congregari: uerum id coarguit Andreas, quando nec exeat muræna, nec in mari obuersetur echis. Id & ambiguum sit Nicædro in Theriacis. Quod ijs quæ antè paulò super hac re commentati sumus, adnecti debet: nec uitio nobis uertat nasutior quispiam per nostras líneas incedentibus, id est eadem quandoq; iterantibus, modo lucelli accedat nō nihil. Auctor libro undecimo De simplicium pharmacorum potestate Galenus, in Asia contigisse, uti quandoq; messoribus afferretur uas odorati uini, id tementè positum arreperens uipera quum intrasset, ac uino distenta perisset, acceperunt mox & rustici sitim expleturi: uisa autem mortua uipera, rem auersati, uinum cuidam in proximo elephantia iam computrescenti sunt elargiti, conclamatum esse hominis uitam arbitrati: at is nil eorum quum rescisset, ita sese uino proluuit haustu frequenti, ut morbi atrocitatem protinus euaserit, cutis modo decussa superficie, pellicula eiusmodi subsistente, qualem in cancris uisimus, testa excussa. Id ipsum & prope Pergamum euenisse iterum, prodit idem auctor.

Comica facies apud Lucianū quæ sit. Comicus item risus. Didascalii. Enarratur interim locus Ciceronis ex Epistolis familiaribus. Persarū uoracitas. Item de Phania, & Comædiæ ara, nec nō Misericordiæ. Personæ inuentor; Mæson quid, & scōmata Mæsonica. Marmessus. Mefora. Tertitæ. De Alexandride comico. Comicus apud Spartanos iusus. Dicelictæ. Phallophori, Autocabdali. Aram parare quid.

Cap. xvii

**C**omicam faciem apud Lucianum, illum quidem cognomēto blasphemum, ut qui nec dijs nec hominibus pepercerit, quod inquit Lactantius, sed doctissimum tamen atq; ingeniosissimum, inuenio positam pro exporrecta, iucunda hilariq;. Vbi frons nec matutina est, nec striata, sed renidens & læta. Eius uerba si quis forte requirat Latinitate donata subsignaui: Nil, inquit, iniustius opinor, uel omnino feruilius, quam mordētem labra bilem subalere, & oclusum odium augere, unum quidem mente agitantē, aliud uerò proferentem, & comica facie hilariq; atrocem meditari concipereq; tragœdiam. Eiusmodi figuræ rationem ex multis quidem licuit expiscari: sed à se nō facile ambigentes dimiserit Lucianus, apud quem alibi sic lego propemodum: Comœdia, inquit, Dionysio ubi se tradidisset, in theatro obuersabatur, colludebat, risum uenabatur, scommatibus non parcebat. Equidem Comœdiæ finis non ferè alius erat Græcis, quam lætitia & hilaritas. Quod adeo uerum est, ut in libris obseruatum sit, & testis in Nebulis Aristophanes est, interpretis item accedente calu-  
lo, risus

Io, risus gratia plerunq; scortea pudenda graphicè expressa, & id genus alia non pauca produci consueuisse: adeo ut comicum risum proverbij uice usurpari quandoq; compererim. Cui quoniam inesset sæpe morsus aliquis, & principum fœda sugillatio, comicorum sales uenenatos dicit Seneca. In Plauti milite, comœdicè positum uidetur pro sua uiter & iucunde. Gellius Noctium Atticarum decimo, comœdiarum nuncupat festiuitates, quibus congruat breuitas orationis uenustasq; & mundicies. Theodorum tragœdiarum histrionem legimus, Comicum satyrum hoc dicto percussisse, risum spectatoribus mouere non est res ita mira, sed fletum. Hinc prodit illud quoq; ex Plutarchi Moralibus: Videtur polypragmosyne, inquit, malis iam inueteratis non sanè lætari: sed recentioribus, ac (ut sic dicam) feruescentibus, & nouas grate tragœdias spectare. Comicis uero; & paulò hilarioribus non facile se immiscuerit. Addamus & eruditius aliquid ex Demetrio Phalereo: Ex hyperbole, inquit, in primis gratia, uenustas risusq; comœdijs comparatur: ridicula enim maxime ab impossibilibus ueniamur. Sicuti in Persarum uoracitatē inexplibilem inuectus quidam, hyperbolice dixit, eos in faucibus boues gestare. In eisdem Aristophanes, Cribanitas boues pro panibus assare pronuntiat. Ex istodem manat fontibus, *καλαρότης & ὕψος*, magis caluus serenitate. Colocynthe sanior. Idem Phalereus alibi de comœdiæ proprietate, ubi de glaphyro dicendi genere præcipit: Gratiarum, inquit, & uenustatum alia maiores sunt, ac grauiores poeticæ: alia humiles, ac magis comicæ scommatibus assimilēs. Cæterum quæ de comico lepore ac uenustate diximus adhuc, ad Græcam rationem magis spectant, quoniã nostros inuenias sæpe trunca quædam ex Græcis transferentes & conlascinantes uerba tragici tumoris. Ita Græcarum, quarum effingere uirtutes nequiuertunt, facetijs atq; luminibus obsolescunt. Ita est, in comœdiâ maxime claudicamus, tamen (ut Fabij uerbis utar) Varrō Musas Epj Stolonis sententia, Plautino dicit sermone locuturas fuisse, si Latine loqui uellent. Vix leuem consequimur omnino umbram. Non recipit sermo Romanus illam Artisticam concessam tantum Venerem, quando ne Græcos quidem potuisse, satis constat; alio lingua genere eandem exprimere. Sciendum uero comicos poetas, item tragicos ac dithyrambicos à Græcis didascalos nuncupari, id est *διδοσκαλός*. Nam & Antiphoni ait, *ἐλαχὺ πνευματικῆ διδοσκαλοῦ*. Ex ijs quæ dicta hæcenus obseruataq; nobis sunt, comonemur, ut iam hinc omnibus unguibus, totisq; cuneis Ciceroni opem feramus. Nam si, ut Luciani monumentis proditum est, claudos auersamur & bacelos & eunuchos, atque item simiam, si matutino prodeuntibus forte occurrerint, quid statuemus in principe oratore, qui in arce stetit Romanæ eloquentiæ, extra omnem ingenij aleam positus, cuius familiares epistolæ candidatis eloquentiæ, & ad procinctum tendentibus, ceu prægustatio dulcior, initio ferè solent enarrari? Nonne si quid inauspicati, & omnino sese ingerat, auertemur, & nihil ad nos pertinere, more seruantium de cælo præfabimur? Ecce in illis ipsis tam scite, tam doctè concinnatis epistolis initialibus ita sæpe claudicantes, immo uero per prona deruptaq; labētes sese offerunt enarrationes, ut tam classici auctoris nomine, sit nulla non die quod erubescamus. At inquit scioli, nescio qui, ac tenebriones pullati, esse inibi nonnulla peritè admodum & appolitè explicata. Sed o bonæ lamæ non illud Græcanicū nouistis, Simiam quidem semper esse simiam, etiam si aurea habeat symbola: Sed redeo unde in hæc diuertit. Locus est ex secundo Familiarium epistolarum non enarratus ad hanc diem, sed omnino exculcatus, & offusa caligine, incitiæ tenebris ita obuolutus, ut in Cicerone Cicero subinde quaeratur. Verum oratoris uerba iam subsignemus: Mea uero officia ei non defuisse, tu es testis, quoniam *λαμῖος μάρτυς*, ut opinor, accedit Phania. Male feriati comicum testem Phaniam augurantur, ex uetere comœdiâ repetitum, in qua Phania testis introduceretur, referuntq; ad Cæliū ipsum. Qui sensus, ut male conceptus, mirè friget, Ciceronis elegantia indignus: immo nec coit, etiam si uiolenter omni pede confabricatis inuentis nugilibus ad eam uerba retorqueas, pensitent modo legentes. Est quidem frequentissimi M. Tullio moris ex ueteribus pleriq; aduocare obscurius, cuius ferè modus est ad Cælium illud, Repente uero incessi omnibus lætitijs. In quo Latina quidem rei literatores, quid afferant, minus constitutum habent. Ex Cæcilio uero esse ea, liquet ex Ciceronis secundo De finibus: ut scias non esse hic arietini oraculi ambagiosam historiam. Inibi aduocatur & Trabea,  
s 4 ut in

ut in Thufculanis quoq; de quo arbitror itidem fenfiffe Familiarium nono Ciceronem, etiam fi grammaticis inſcita inauditaq; eſt nomenclatura. Septimum habet inter comicos faſtigium, quod ex Volcatij Sedigiti apud Gellium uerſiculis liquidò agnoſcas. Verum ut à diuerticulo fabulam repetamus, ego in Menandri comœdia fuiſſe Phaniam, obſeruafſe uideo apud Plutarchum in commentatione quæ eſt De tranquillitate. Cæterum id ad propoſitam modo quaſtionem nihil. Nam Phaniam hunc Ciceronianum non alium accipio, quam Appij (de quo ibi intelligit Orator) libertum. Sicuti comprobant Ciceronis uerba epiftoła prima tertij libri: Quem hic comicum teſtem dicit, non uti opinor, quia uetus comœdia Phaniam habeat, ueluti fidei inuiolatae nume ſanctius: id enim proculdubio commentum eſt uaniſſimum, & ad libidinem concepta diuinaſio. Sed quod libertus is ingenio eſſet lætiore facerofocq; minime ſubdolo aut inuidio, & proinde iucundo admodum & amœno. Expende Ciceronis uerba, ex ea quam modo aduocauimus epiftoła, in noſtram ſententiam remis ueliſq; eundum cenſueris. Is ergo apud Cælum æquiſſimè Appij naturam, Ciceronis in eum ſtudia & merita ſuauiſſimè & ueriffimè aperuerat, quod ultro citroq; creberrimè, ſicuti mos fuit temporù illorum, & nil eſt notius, commearet. Quoniam uero in comica uerſamur pragmatia, relatu dignum haudquaquam omiferim: Mæſona fuiſſe comicum hypocriteſem, patria Megarenſem: qui perſonam excogitarit primus, quam de eius nomine Mæſona item uocant: quod Byzantius Ariſtophanes prodit in commentatione De perſonis, ab eo inuentam ſcribens ferui perſonam, necnon coqui. Scommata quoq; quibus id genus homines præcipue ſcortici mordacesq; utuntur, Mæſonica uocantur. Ac ne quid omittam, Mæſona item dixere ueteres urbanum & elegantem coquum. Peregrinum uero & inurbanum tertiga, id eſt cicadam, Marmefſus autem Mars eſt, Romanorum lingua, ait Lycophronis interpres. Barbarus autem hic, inquit, haud contentus alijs, etiam Romanè ſcribit. Nam Romani & bellaces Marmefſos dicunt, ſicuti memorant uel Diodorus uel Dion: neq; enim ſuccurrit nunc ad fidem auctoritas. Meſora Græci, id eſt μεσώρα dicunt, quæ pedibus congruunt, arma. Fuit & comicus in ueteri memoria nomine Anaxandrides: erat is corpore ſpecioſus magnusq; decori accedebat longior coma, nec purpura deerat auro ſimbriata: uerum idem hic moribus inamœnus ferè amarulentusq; animaduertebatur, ad eo ut in commiſſione poetarum ni abiſſet uictor, non ad incudem reuocabat opus, qui pluribus mos eſt, recoquebatq; ſed indignabundus medicinam facitantiſſibus conſcindendas dabat male uigilatas chartas, & ſalariorum pueris cordillis obtegendis tuniculas. Fuit quod ſcitu dignum eſt, apud Spartanos comici luſus ſpecies, uerum ſtudij non magni, frugalitatem in eo quoq; affectante ciuitate, dicendi prætenſus erat formula, argumentum non aliud ferè, quam pomorum furta, & id genus pleraq;. Qui eiufmodi ludos obirent, ab Laconibus Dicelictæ nuncupabantur, uelut Scenopœos dicas, & Mimetæ, id eſt imitatores. At pro locorum diuerſitate conuariant horum appellaciones. Siquidem Phallophoros Sicyonijs dicitur: Autocabdalos alijs: quidam item Phlyacas. Thebani, quibus frequens eſt diſparata ab alijs nomenclatura, Ethelontas. Erant in genere eodem Ithyphalli quoq;. Sed enim iam iam coronidem impacturus facturum me opera pretium ſum opinatus, ſi auctarij quippiam adieciſſem huic lucubrationi. Id autem eſt de comœdiæ ara, cuius meminit Hieronymus, ad quam ſi quis confugiſſet, tanquam ab Cæſaris ſtatua, reuelli eum inde, nefas habebatur. Scribit Pollux, in ſcena aram fuiſſe, quæ Halieus diceretur ante fores: & menſam item, quæ bellaria, aut res aromaticas haberet, ac Theoris diceretur, ſiue Thyoris, quanquã ſit item Theoris uaticinatricis puellæ nomen, cuius meminit Demotheus contra Ariſtogenem, quæ impietatis rea perierit. Eodem uocabulo nuncupabatur & nauis ab Athenienſibus, quæ quotannis Delum mitteretur. Noſtri produunt in Apollinis honorem aram conſtitui ſolitam ab ijs qui comœdiam celebrarent. Eum uero Apollinem à Menandro Caſſium dici. Sunt qui ſcribant, in ſcena duas poni ſolitas aras, dexteram quidem Liberi, ſiniſtram eius dei honori, cuius ludi celebrarentur. Hinc aram parare legimus in approbatiffimis dici, ſicuti apud Terentium: Nemo te accuſat Syre, nec tu aram tibi, Aut precatorem pararis. Ouidius id ipſum agnoſcit eo uerſiculo, ex quarto Triftium, Vnica fortunis ara reperta meis.

Aſtipu-

Aſtipulatur & M. Tullius pro Roſcio Comœdo, aras fuiſſe ſanctioris aſyli loco: Sicut in aram, inquit, confugit in huius domum. Et in libro De ſuperſtitione Plutarchus: Eſt ſeruo ara, ad quam confugiat. hæc ab illo Græcè dicitur φεβίμ & Βωμός. Miſericordiæ aram fuiſſe Athenis, in Rhetoricis teſtatur Apſinus. Sed & Libanius Declamatione ſecunda, ubi Demotheus de ea tollenda effingitur actio. Meminit Laſtantius grammaticus: deq; ea Terentium intellexiſſe, ſcribit. Papinius nec omiſit; Urbe fuit media nulli conceſſa potentum Ara deum, mitis poſuit clementia ſedem, Et miſeri fecere ſacram.

Qui ſint apud eruditos Phaniæ, & Phaniò: necnon quid Phaniò, ac Panium, & Phana: item Phanos, ſiue Panos. Helana, lophnia, grauium, pharſos, grone, gronia, lophnis. De lychnuchis pluſcula. Suetonij locus in Cæſare perpenditur. Lychnados ciuitas cur. Lychnitis. Muroꝝ, ſeu mœnium ſuſtructio, à quibus excogitata primum. Tyrſis quid. Tyrrheni cur dicantur. Moſſyni quid. Candelabrum Tarentinum. Xylolychnuchi. Lychnocautia. Lychnocaiia. Embaphia. Tyrrhenorum in artibus præſtantia. Helene uas. Caput xviii



Via uero paulò ante pro ingenij captu, quantum nobis non incurioſa lectio adminiculabatur, enarrantes Ciceronis gryphum, ſuper Phania orationem contexuimus, ſubit nunc, ut quæpiam non ita diſſita uocabula explicare iam hinc pergam. Quod ne riſu fortè Momi aliqui excipiant, quibus alabaſtrus unguenti plena putet: ſciant eruditi, à Græcorum ſcientiffimis eſſe in literas promptum, ſapientiæ partem conſtitutam uideri in animi uirtute, partem uero in uocis uſu, ut rem quanq; ſuo nuncupemus uocabulo, & uerborum proprietates minime nos fugiat. Id quod illuc demum tendit, ut quæ conceperis animo, nulla hæſitatione ualeas enuntiare. Quoniam, Ariſtotele prodente, uoces ſunt earum quæ in anima reperiuntur, paſſionum nota. Verum in ijs & omnibus quæ ædituri ſumus publico bono, ſatis ſuperq; fuerit doctorum trutinatio & examen ſyncerum. Vitiligatores iſtos nihil moror. Sed nos inter ſari deſinamus. Igitur Phaniæ inuenio dici omnes, qui inopes ipſi diuitias ſummas habere ſe tamen ſimulant, atq; ita credi uolunt, à Phania quodam, qui congeſtas ſe opes domi recondidiſſe ementebatur. Quod ultimo Odyſſæ libro teſtatur reliquit Euaſthius. Phaniæ item Zenobius meminit, ſiue is ſit Zenodorus, quem Damon fuiſſe ſcribit oboloſtatem. Quæ uox apud Hyperidem & Lyſiam ſceneratorè indicat. Sed in Zenobio ſcribunt aliqui Phanium, non Phaniam: ſicuti Sudas. Eius uxor per tegulas admittēbat adulteros, quod à uiro nimis cautè ianua obſeruaretur. Phaniem Auguſtinus in Epiftołis dictum prodit boni pedis hominem, cuius aduentus afferat felicitatis aliquid. Panium loci nomen eſt ad Iordanis initia: cuius meminit Egeſippus, ubi mons altitudinis excelsæ ad latus umbroſum habet antrum, ex quo mephitis euaporat ſeuior. Nam Phanos, ſiue Panos, à tragicis lampadas facesq; dici obſeruauimus. Eſt & Phanos, qui res ſignificat nuntiatq;. Pharſos ciuitatis portionem indicat, ut quum ſcribit Herodorus libro primo, Babylonis quam interluit Euphrates, eſſe δύο φάρσα. Sed & fragmentum rectè dicitur Pharſos. Apud Ariſtophanem in Auibus, phanæ dicuntur conſciciones, quod comica mordacitate in Athenienſes prolatum eſt, qui in iudicijs aſſidue comparerent, uterenturq; lycophantijs. Sunt & Phanae in Chio regio quædam. Sunt ex gloſſographis, qui ab Athenienſibus lampadas dici phanos interpretentur, quas helenas quidam appellant quoq;. Nam quæ de corticibus cõpingitur, lophnia uocatur pleriq; ſeu lophnis. Sicuti grauium, id eſt γρῶνιον, uocāt ilignum quernum uel lignum, quod conſciſſum ſuccenditur, uti agentibus iter præluceat. Gronè autè Græcis nunc petram indicat, nunc (ſicuti Lycophroni) petræ cauſitatem, παρὰ τὸ γρῶν δὲ ξέω καὶ σείω. Gronia uero, id eſt γρόνια, Stephano, in Phocide ciuitas eſt. Porro ab Lycophronis interprete dicitur lophnis, maior lampas, etymi argumento, λιοφνίς τις εἶσα, quod eſt λίαν φαίνεσθαι, ualde collucens. Deniq; ut nil per incuriam prætereatur, ſunt qui Phaniem putent faſciculum ex lignis quibusdam conſciſ. Sicuti helanem calamorum faſcem intelligere maluit Nicander. Illud obiter adnotaſſe, putò, nil obſuerit: Sicilię tyrannum iuniorem Dionyſium

nylium in prytaneo Tarentino candelabrum dicasse, in quo totidem succenderentur lychni, quot in anno numerentur dies. Xylolychnuchi apud Alexin consimiles uidentur ijs quos obeliscolychnos Theopompus dixit. Auctor Suetonius est, triumphantem Casarem ascendisse capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra & sinistra lychnos gestantibus. Quod interpolantes nonnulli, lychnuchos legendum prescribunt. Id sum miratus: quando id agens, Dion quoq; ita scribit, *πλῶν δὲ ἐλεφάντων λαμπύρας φερόντων ἐκ τῆς αἰθέρης*. Nec lychnuchus lucernam indicat planè, sed ferculum cui affixa lucerna gestatur: an, rogo te, ceruchus cornu significat, ac non cornutum potius: Sic & sceptuchus, non pro sceptro capitur Homero, sed pro rege sceptrum ferente: quod scribit Sudas. Quod si uetus lectio lychnuchos praeferat, non damnem, modo superstitiosus nouitates non captemus. Lychnúchi meminit ultimo libro Athenæus: meminit & Pollux, qui quod phanon modo dicimus, lychnuchon item autumat dici apud Aristophanem. Phanon, sunt qui laternam interpretentur. Omnino tam hic quam Athenæus, uno uerbo res duas intelligi uoluit, ni legentes caecutimus. Illud autem festiuus multò, quod epigrammate complectitur Chrestodorus, Lychnadon Illyrij ciuitatem ab Cadmo esse conditam, unde sit Lychnus heliconius: quoniam literarum lumen Græcis Cadmus intulisset primus. Lychnitida paludem in eisdem locis agnoscit Diodorus. In Armenia nomenclaturæ locum eiusdem Stephanus. Lychnocacia, id est lucernarum succensio, festum erat Aegyptijs apud Sain, lucernis sub die tota nocte ardentibus. Lucernæ autem, inquit Herodotus, erant embaphia, id est ollæ profundiores: quod uerbum ab interprete neglectum miror. Lychnocautia est planè, quam lychnasiam uocant, ubi accenditur lychnus. Scribit Dion, redisse ex Græcia Neronem, ac capitolium conscendisse, coronata ciuitate uniuersa, *καὶ πᾶσις λυχνόκωντῆσις*. Lychnia, id est candelabra, Tyrrenorum commendationis uidetur habuisse plurimum: quippe Tyrrenos laudant Græci, ut *Ἰελοτέρας*, id est artium studiosos. Nam & moenia susstruere, id est *τεχεποιίαν*, excogitasse omnium primi feruntur Tyrreni: quod scribit Lycophronis interpres: unde factum, ut pro muro dicatur tyrsis. Quin, inquit Dionysius, ab Tyrrenis densius extructæ domus uocantur tyrses: quod obseruauerunt Græci quoq;. Sed & hinc conciliatum Tyrrenis nomen, produnt nonnulli, ab tyrsium munimētis: uelut Mossynæcis in Asia, de turribus ligneis quas mossynos dicunt. Tyrses nominat Xenophon quoq;. Quod de helana diximus, aduertendum amplius, esse item helenen uas, quo continerentur factorum arcana, in ijs quæ uocant helenephoria.

Coronarum duplex origo. Annulorum initia prima. Decertare drama ad corollas. Declaratur Plutarchi locus perperã tralatus. Apio indigere quid sit. Timoleontis historia. Stephane cur dicatur corona. Choronos. XIX



Vi fabulosa consecrati, suis ea uoluminibus complexi sunt, coronarum in ludis eam fermè originem tradidere. Prometheum, quum Ioui Parcarum sortem patefecisset de Thetidis filio, quem patre illustriorem amplioemq; futurum cecinerant, ab eo uinculis liberatum: ea tamen ratione, ut annulum lapide & ferro compactum gestaret: ne omnino pœna uideretur exsolutus, quod & annulorum initium agnoscitur primum. Simul etiam coronam habuisse scribunt, ut se uictorem impune peccasse ostentaret. Quo factum sit, ut in maximis latitijs uictores coronis insignes uisendum caput circumferrent. Id quod in ludis conuiujsq; licet animaduertente. Initio ergo tam tenui illuc etiam progressa ambitio est, ut non h modo qui in gymnics certaminibus certarent ac uincerent, corollas acciperent: sed & præcones, quum cæteris coronas imposuissent uictoribus, eorumq; nomina magna uoce pronuntiaissent, quum & ipsi ante ludorum missionē corollis itidem donari solerent, alium adhibebant præconem, ne sua uoce se ipsi uictores pronuntiant. Quin & scena quoq; honoris eius exsortem se non diutius est passa: quando & qui maximè placuissent, actores coronis afficiebantur. Id quod significat etiam festiuissimus Comitorum Latinorum Plautus illis uersibus ex Amphitryone:

Sive ambissent qui palmam histrionibus,  
Sive quoiquam artificii, seu per scriptas literas.

Verum quo' nam hæc tam multa tamq; conquisita curiose super corollis dandis? Nempe, ut

pe, ut Plutarchi locum restitueremus ciuitate Romana, uel iure Latij incuriosius donatum: qui ne deinceps peregrinitatis queat postulari, ipsum prius Græcè, mox me interprete Latine sonantem audiamus. *ἡξιοῦν δὲ τὴν ἀρετὴν Ἰλιάου σωάρχου καὶ σωδοικίου τοῦ ἀριστοῦ ἀνδρῶν τῶν πολιτείᾳ, ἢ δ' ὡς ποικίλον τὴν ἀρετὴν, καὶ πολυμῆδες ἀγωνισαμένῳ μέλει σε φάνου δὲ δόξας, ὡς ἐπεὶ δὲ τὴν πόλιν ἐλάβομεν, ἔδωκεν εἰς τὴν γυμνασίῳ τὴν ἐν δὲ τῷ πολυπράγμοντι ὁποῦν παραβλαπομένη, τὸν λοιπὸν χρόνον ἐν ἰσοῖς ἰσχυρίαν ἀγοῦσα μετὰ τῷ Ἰλιάου καὶ οἰκίῳ δετέλων.* Exigebant (inquit) ciues ab Aretaphila, ut unà cum optimatibus rempublicam capefferet imperaretq;: ea uero, ut quæ uariū ac multiplex drama usq; ad corollas se decertasse opinaretur, postea quàm liberam animaduertit ciuitatem, confestim in gynæceum se coniecit, ac ne curis in reliquum agitaretur, ad telam se cum familiaribus agens dedit. Hæc tenus Plutarchus. Ad hæc uero quàm aspirauerit interpretes, uolentium fuerit iudicium, mihi certè minus arrisit, proptereaq; aleam non reformidauimus subsignando statim auctoris uerba. Quæ acris iudicij lector expendens sine ampliatione alterutrum damnet incitæ. Nos certè quod scitu non censemus indignum, inde eruditum perelegansq; elicimus adagium, Ad corollas decertare: quo recte utemur, ubi quis in primo haudquaquam deficiens puluere, nec ueluti cantherius in fossa, patienter integrum rei cuiuspiam laborem subit, nec desinit prius, quàm umbilico summam addiderit manum, Sicuti histrionibus dramate iam absoluto, datur postremo corona. Sed & metaphora honestissima idem Plutarchus in Parallels: Demetrii uita iam absoluta, decertato (inquit) Macedonico dramate, nunc commodum est Romanum inducere. Dicitur autem ratio est, quia tragœdiæ imaginem quandam exhibuit Demetrii & M. Antonij rerum gestarum series. In hac autem coronarum mentione non prætereamus uanitatè priscæ experimentum euidentis. Auctor in Parallels, sed & in Symposiacis Plutarchus, ingruente periculi magna uis, solitum dici, Apio esse opus: quod monumenta defunctorum ita cõfessent ornari. At scribit Diodorus: Timoleonta pro Syracusanis in Carthaginienfes depugnaturum, quum fortè apij uis magna extruendis torris subuectaretur, uictoriæ omen inde concepisse, quoniam Isthmiaca corona contexit apio cõfesset: proinde milites sic iussisse omnes coronari, moxq; insigniter hostium copias concidisse. Lego apud eruditos illud quoque: Ab Iano bifronte coronas excogitatas primum. In Græcia tamen earum auctorem primum fuisse Stephanum: quo argumento etiam Græcorum lingua, rei sit conciliatum nomen. Nam in nostris literis dicit ab choro coronas rentur, quoniam & choronos Apion grammaticus à choro dicitos putauit.

Quibus uitijs infestentur oculi, ex medicæ scientiæ hortulis floridioribus. Ptila. Ptili. Pennarum distinctio. Insitionum genera. Tranquilli locus. Oculis tumentibus spectare, quid. Caput XX



Vum paulò ante curiosus medica uolumina inspectarem, indeq; mihi feligerem, quæ hæc lectiones adiutum irent, inter alia sanè haud parum multa, ingesserunt se de oculorū concinnata uitijs, quæ protinus deflorata huic adglutinauimus loco: ut si quem ad legendū prolectarint nostri libelli, ne parte quidè hac abeat omnino inanis. Igif ita habet, Oculū utiq; uniuersum hisce diuexari affectionibus, quarum Græcè nomina sint hæc: Taraxis, ophthalmia, epiphora, *φλεγμονή* id est inflammatio, *οἰδημα*, tumor, *εμφύσιμα*, inflatio, scirrhosis, chemosis, id est *χημωσις*, anthrax, strabismus, spasmus, palmus, myopiasis, gangræna, ulcus; *σπρωδών*, siue putredo, *στέγνωξις*, id est fistula, xerophthalmia, *προπίπτωσις*, id est prociencia, atrophia. Tunicularum uero intelliguntur affectiones hæc, *εὐφεία*, *διωβρωσις*, *διότρασις*, anastomosis, *παχύτης*, id est crassitudo, densitas, *ρύσσωσις*, rugatio, ecstasis, raritas, siue *ἀραιότης*. At intra palpebras inoriuntur fere hæc: Trachytes, id est asperitas, pachytes, sycosis, siue *σύκωσις*, sarcosis, pyriasis. Extra palpebras ista: Hydatides, lithiasis, phthiasis, meliceris, gangræna, phymata, *κωλοβάματα*. In stephanè uero, id est corona: Crithæ, posthia, trichiasis, distichia, tristichia, pyrosis, ptilosis, id est *πτίλωσις*, (de qua paulò mox, uti est Therapeutices quarto decimo: unde & affectos ita, ptilos uocant, ubi genarum excidunt pili. Quanquam uela, item ptila dici comperias, *πτερὰ τὸ πτερον*. Sunt & molliores pluma, ptila: ex quo & deplume appellant aptilon. Vtiq; inter pennas aliæ nuncu-

nuncupantur ptila, alia uero ocyptera. ) pforialis, madarotes, paralysis. Illa uero ad totas pertinent palpebras: Paralysis, proptosis, ectrope. At in canthis, hæc sese affectiones promunt: Encanthides, ancyle, pterygium, rhyas, prosphysis: exterius autem ægilops, anchilon. In alboris ambitu fit psydracium, ulcus, hypophagma, apostalis, χίμωσις, κωλάμωα, pterygium, phacosis, icteros, πῶρϙ. Irin infestat argemon, nephelium, achlys, epicauma, ulcus, bothrion, phlyctis, myocephalum, staphyloma, hypopyon, leucoma, κωλάμωα, proptoma, onyx, pyosis, helosis. Concipitur porro in pupilla hypochoylis, glaucosis, id est γλαυκωσις, mydriasis, pthylis, synchylis, platycorialis, amaurosis, rhytidosis, nyctalops, hemeralops, myopielis, diapyesis. Cæterum & in poris contingit ἀπιρρῆσις, paremptosis, symptosis, ulceratio, id est ἐλκωσις. Sciendum autem, epiphoram in oculo dici quidem proprie, ubi se ostentat inflammatio, & fluctionis multitudo, inoriturq; tumor, ac difficilis est oculi motus: quandoq; & super nigrum consurgit, quod albens est. Communius tamen epiphora in corporis parte reliqua dicitur epiphora, φλεγμονῆς σφοδρῆς ἀπὸ φθόρου, καὶ ἐν μέρει τῶν ἰσχυρῶν ἀπὸ φθόρου. Ut uero protinus quæpiam explicemus eorum quæ transeunter prolibauimus, xerophthalmiā intelligunt, quando canthi ulcerosi asperioresq; sunt, ac pruriunt rubentq; palpebræ, demanat falsior lachryma aut nitrosior. Proptosis dicitur, siue procidentiam, ubi oculus motus procidat cum inflammatione. Sycolis est, ubi intra palpebras succrescit quippiam carunculae imagine, ac protuberans, consequitur & oculi totius difficilior motus. Mydiesis uocabulum omnibus congruit putrefactione enectis corporibus. Euenit ipsum hoc & palpebris, tumen tibus quidem, sed & manantibus assidue. Crithen etiam Posthiam dicunt, ubi hordeo simile quiddam suppuratū innascitur palpebrarum coronis. Sed & in medijs item palpebris consurgit crithe, uerum grandior. Lithialis est, quum in palpebris gignuntur albicantia quædam, & aspera lapidis modo, oculumq; perpungentia. Διτριχία dicitur oculus, quando sub naturalibus pilis prorumpentes alij oculum pungunt, ac fluctionem proluciant. Quod si subnascantur quidem hi, defluant autem illi, aut fracti infestent, uocatur πηλωσις. Phalangosin, hoc est φαλαγγωσις nuncupant, si subnascantium fiat διτριχία, uel τριτριχία, siue in superiore palpebra, siue inferiore. Encanthida uocant, ubi ex ulcere ad nares caro protuberet: id quod patiuntur præcipue οἱ βαλαουρροί, id est in mari laborantes. At si lachrymas continere canthus nequeat, tunc rhyada uocant. χίμωσις intelligitur, quum inflammatione uehementiore ita afficiuntur palpebræ, ut oculus ob tegere totum minus ualeant. Proprie tamen chemosis est, ubi ab utroq; iridis latere albi or accendatur, atq; inibi sinuetur ad imaginem chamæ. Sunt uero eo nomine ostrea. Sed & oscitationem hiatumq; indicat χίμωσις. Nephelion ulcus, est ἀπὸ πύλου, argemo maius paulo, albicansq;. Myocephalon dicitur, ubi ex ulcere tunica prima iam erosa iridis loco, sequens procidat tunica, ut muscæ caput præferre uideatur. Hypopyon uocant iridis suppurationem: unde hypopyos nuncupari oculos, in medicinae libris obseruatum. Mydriasis est, quum pupilla præter naturam latitudinem accipit maiorem, colore nil profum demutato, uisu autem hebetato. Paremptosis intelligunt, ubi ἀπὸ ἀναστροφῆς, id est per ualis apertionem profluat humor in meatum, à cerebri productum basi, ut sit uisus uirtutis uectabulum: symptosis uero contingit meatu eodem arctato, ac concidente ex resolutione, aut atrophia, estq; πῶρϙ διουσία. Inter oculorum medicamina sunt quæ uocantur κωλάμωα διασμυρνα, quoniam ferè myrrha consistunt. Illud postremo ex abundantia adiecit, nil puto obfuerit: inoculationē Græcis dici φθόρου μίσησιν, sicut alia proprie uocatur encentrifmus, ac rursus alia ἐμφυλλισμός, quum inter lignum & corticem φθόρου inseritur. ἐμφυλλίζειν autem est id agere. ὀφθαλμίου Græcis non oculis modo laborare est, uerum & amanter puellam inspectare: neq; enim statum suum seruant tunc oculi, sed sunt perinde ac amore ægri. Ad quod, ut alibi fufius enarrabitur, forsitan respexit in Tiberio Tranquillus, eum tumentibus oculis Agrippinam ex occurfu inspectasse prodens.

Lodouici

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVAVVM  
lectionum libros ad clarissimum philosophum & medicum  
Hieronymum Florentiolam Bononiæ profitemtem  
Præfatio septima.

217




Ingularis tua me uirtus, & ingenium exactissimum, mox & morum probitas, in paucissimis alioqui animaduersa, tibi ita deuinxit, quum ad me uiseres ægrotum, & quod medici censetur proprium, non cito solum me in integrum restituissem, sed iucunde quoq; cum securitatis proposito: ut nil mihi ad hunc diem fuerit antiquius, nil uotis expetitur magis, quam ut quoquo modo meritis, officijsq; tuis, & si non paria, quippiam saltem rependere ualerem: ne omnino ab tam excellentis doctrinæ uiro sentiret ingratus: quod huic generi omnia inesse uitia uiderer audisse. Nulla uero, ut nunc est, oportunitas sese ingerit maior, aut aptior, quam ut animi mei sensum uniuerso retegam terrarum orbi, tui nominis amplitudini unum hunc laboris nostri, ut sic dicā, curriculum consecrando. Sic enim fiet testatus tibi propositum meum: quo non usq; ad aras modo, sed uel ultra tuis me, dum hominem agam, emolumentis uideor, & dignitati, ac gloriae accommodaturus. Et bonarum literarum candidatis omnibus hac palam ratione est futurum, in te non præcellere modo ingenium excussum præcipue in referendis explicandisq;, dum in celeberrimo, ac eminentissimo terrarum Bononiensi gymnasio profiteris, quæstionum inuolucris, usq; ad tenebras uel cimmerias sæpè impeditis: discutiendoq; ex philosophis, medicisq; auctoribus nubilo, nūquam non fere caliginoso, uerum eminentissimæ item sapientiæ morum eximiam coaptari, connectiq; claritatem. Adulari nescio: nec, si maxime scia, uelim. Sua sit deprauatis ingenijs, & in malum obduratis coniectatio: animi tui spectrum effulsit mihi nitidissimum, ac conformatum expressius longe, quam ut ambiguitati reliquus fiat locus omnino, quum me pretium officiosissimi laboris offerentem reieceris, testatus homini literato gratuitam, benignamq; præstitisse operam: siq; usū ueniat, præstiturum etiamnum: proinde ne uererer, si quid obrigisset, accersere. Quantum, rogo te uir præcellens, oneris mihi hac tua iniectum benignitate arbitrare: Equidem nunquā pressum me grauius sensi. Nec id pecuniæ, quod foret sordidissimum, nomine uno. Inexpectata bonitas, & incomparabilis humanitas tanti uiri sic me transuersum rapuit, demulctum, peruinctumq;, ut hac una tua uirtute in gratas uidear moriturus. Nec præsentī nuncupatione ulla in parte forsitan paria sunt, quando tuarum potius magnitudine uirtutum libellis meis uideo non parum autoritatis accessurum: quippe ideo pretiosa uidentur multa, quoniā sunt templis dicata. Quid ergo sit reliqui: Nempe ipsum id literarum nomen, quæ tibi infularum loco sunt, ut nullo præterea, quod Greci dicunt, schematismo esse opus uideatur, imbecillitatis meæ uicem subeuntes, quod possunt, id tibi demum rependant cumulatissime. Valé.

t Lodouici

LODOVICI CAELII  
RHODIGINI LECTIIONVM ANTI-  
QVAVM LIBER VNVS, QVI ET SEPTIMVS.

Poetices laus. Poetarum apologia aduersus Eratosthenem. Fabularum ratio. Cur etiam theologia uetus fabulas admiserit. Virgiliana Aeneidos sensus allegoricus explicatur, ratione ab alijs diuersa. Duos esse in nobis motus. Virtutū distributio. Cur Aristarchus dictus sit mantis, id est uates. Oratori poetam esse finitimum. Poesin esse insaniam quandam. Furoris species. Caput



**P**OETICAM facultatem, non me fallit à plerisque acris conuelli. Nam secundo Legum, Atheniensis ille hospes apud Platonem multa perturbate, ac sine ratione commiscere dicit, ac risum mouere, Ob idq; Orpheus item significat, poetas in primis delectamenti gratiam uenari. At qui ueteres diligentius euoluerit, omnino diuersa recognosceret, ac sentiet. Certe doctissimum quenc; sic de poetica prodidisse animaduerto, ueluti sit ea prima quaedam philosophia, quæ nobis ab incunabulis quodammodo uite rationem commonstret, quid agendum, quid ue declinandum musica iocunditate præscribat: adeo ut nonnulli postea dicere minus addubitarint, poetam solum esse sapientem, Quo nomine Græcorum nobilissimæ ab ineunte ætate sic instituebantur, non quia uoluptatem toto impetu captarent, sed ut optimis statim imbuerentur: quoniam esse se morum magistros mulici profiteantur. Idq; cum Pythagoricis comprobatur Aristoxenus, Sed & Horatius:

Os tenerum pueri, balbumq; poeta figurat,  
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem,  
Mox etiam peccus præceptis format amicis.

Asperitatis & inuidiæ corrector, & iræ: & quæ sequuntur. Nonne & Homerus literarum parens, ac tropæophoros, antesignanusq; cantores σφρογισαs, id est castigatores quosdam putat in Clytemnestræ custodia: ut qui philosophi sint, ac ex Musis omnia sciant. Id quod pluribus comprobatur Athenæus quoq;: quin & sapientiæ magnitudine etiam uaticini censebantur. Certe in Græcorum doctrina ἀείδειν, id est cantare, inflecti uidetur ab α, particula intendendi uim possidente, ac εἶδεν, id est cognoscere, ueluti omnium planè scientiam sibi uendicarent poetæ. Quod non inficiabuntur Ἰνδῶν ἀβελήων ἤνδρς ποδιρῆαντιελῶν ἡγνισμοῖσι, ut Pontici Heracliti utar uerbis: nec simplices adeo, ut Enniani possint cicures uideri. Diuinationis argumentum erat in Rhapsodorum manu laurea Apollinis uirga, dum cantarent. Significat & Pindarus quum ait, μαντιόμοσα. Ennius uerò etiam sanctos appellauit poetas, quòd quasi deorum aliquo dono atq; munere cõmendati nobis esse uideantur. proinde minus mirum, si non alium esse poetam, quàm uirum bonum, statuunt prudentiores. Adeo uerò multiplex poetarum eruditio est, adeo necessaria, summis coniuncta emolumentis, ut nec desint qui solutam orationem poetices uideri imitationem, argumentis astruere nitantur: ceu poetæ prodierint primum, mox qui metrum soluerint, Cadmus, Pherecydes, Hecateus. quod prima in Homerum commentatione scribit Eustathius. Et quia genus id orationis magnitudinem habet ac sublimitatem, estq; ἵπποχου, id est equo uehitur: inde quæ talis non est oratio, ex humilitate pedestris dicitur, ut quæ ex alto in solum sit delapsa paulatim. Ita ut rhetoricæ eloquutionis, & artis dicendi fons, sit ipsa poetica, uerum florulentior, ac (ut sic dicam) picturatio. Sed & ille ipse Plato tertio Legum, poetarum genus esse diuinum scribit, & dijs agi. Quo tamen loco Platonici peritiores poetis à philosopho stimulos additos interpretantur ad diuina concinenda. Illud constat utique, Sophrona Mimorum poetam tantum à Platone æstimatum, ut moriens libros eius capiti subiectos narretur habuisse. Iam illud quale est, quod apud eminentissimū quenc; poetarum sub-

inde

inde legimus, in regum principumq; symposiis deorum, heroum, & omnino uirorum excellentium, qui lucem nobis suis uirtutibus peperere, laudes suauiter concini: Nonne præsignis est & efficax maxime ad bonam frugem exhortatio? An Iopas ille Virgilianus, quum canit errantem lunam solisq; labores, altiores item scientias, physicenq; totam carminibus insertam, non perdocet manifeste? Proindeq; non esse poeticen, uti somniauit Epicurus, ὡσαυτ ἀλέθριον μύθων δέλεαs. Quod si fabularum inuolucris res profundæ conuelantur, obtegunturq;, & fere sanctarijs secretioribus reconduntur, id scire conuenit, esse poetices germanum, & ueteribus quoq; illum irroboraſſe pridem confingendi morem: quem Plato ad eo comprobauit, ut qui allegorice Platonem non putarit interpretandum, nunquam sit futurus Platonicus. Quo fit, ut risu sonantiore ineptissima Eratosthenis sententia sit excipienda, quem non puduit, Poeticen, ἡρώδης μυθολογίαν, id est anile quoddam fabulamentum definire. Neq; enim Ephecticos hic philosophos imitabor, ut cunctanter quod sentio proferam, aut quo iure, quac; iniuria oberantes toto (quod aiunt) caelo, tuear, Nam & Ponticus Heraclitus, si absit allegoria, Homerum plane uisum iri Salmonea scribit, ac Tantalum ἀκόλαστον γλώσσαν ἔχοντα, ἀχρῖς ἡ νόσον. Dignus uero Eratosthenes, cuius amplexemur doctrinam, cuiq; tanto nomine assurgamus, qui ne illud quidem perspicere quiuit, non poetas modo, sed & clarissimas ciuitatum quandoq; fabulis uſas: nec non legum latores multi imperitiorum multitudinem hac ratione ad bonum eliciuisse deprehenduntur. Iis uero in primis tenerior ætas formanda delineandaq; (ut sic dicam) uidetur: quoniam animal hoc prouidum & sagax, rationis compos, quem uocamus hominem, intimo quodam imperu scire desiderat, estq; cognitionis audidum, cuius fomentum primum fabula est, eo in primis argumento, quod indicta inscitiaq; alias profert. Sumus autem, ad id nos prouehente naturali quadam ui, nouitatis omnes perauidi, quod prædulcis hæc sentiatur, & iucunda, nec admiratione careat. Quæ res quàm præpotenter ad discendum animos rerum imperitos prolechet, & ueluti heraclius quidam lapis perducatur, neminem fere puto quem lateat. Hinc Africano eximie charum fuisse Ennium scimus, adeo ut marmoratas laudes sibi cum poeta, cõmunes facile demum pateretur: Sylla etiam malum poetam præmio dignum putauit, quamuis ex præscripto, ne quid postea scriberet. Quid quod cum Aetolis qui bellauit Fuluius Martis manubias Musis dicasse, honestissimum sibi est arbitratus: Adeo inanis est Epicureorum assultans uelutatio statuentium, Esse in poetis solidæ utilitatis nihil, ac puerilem modo sentiri oblectationem. Sed & apud ueteres Romanos paulo impolitiores agrestioresq;, dum bellica modo sapiunt spirantq;, nullius prorsum dignationis fuisse poetica, author est M. Cato in libro cui titulus Carmen de moribus: Nam, inquit, si quis in ea re studebat, aut ad conuiuia sese applicabat, grassator uocabatur. Quærat hic curiosior aliquis, qua potissimum ratione, quæ de dijs & de anima traderentur à prioribus & poetis præcipue mysteria, non fere uelamentis careant: ob idq; ita recondita, ut ad eorum scientiam paucorum possit peruenire curiositas: tanquam in Heracliti antro plane obseptæ deliteſcant, ne quis, quod dicitur παράπρόσδασ, arbitretur poetica esse omnia, quæ nonnunquam ex asse incognita iacent. Nimirum est hæc naturæ maiestas, cui nuda aperta q; nimis arcanorum detectio inimicatur. Quæ sicuti inscitæ multitudini intellectum sui mirabiliter subduxit, operimenta rerum multarum obijciendo: consimiliter à scientissimis, quæ in eius potentia reconduntur, inuolucris figurarum promi in literas concupiuit: quibus arcanorum altitudo posset ab uilitate defendi, paucissimis modo, interprete sapientia, subtilitatis immensa participibus. Deniq; Numenium philosophum, memoriæ proditum est, offensus numen sensisse, quod sua interpretatione sacra Eleusina in uulgus dedisset. Sed de re aperta nimis multa. Quod si spaciari libeat parte hac, facillimum fuerit ostendisse, semina scientiarum fere omnium, & disidentia inter se pugnantiaq; philosophorum dogmata poetis numeris comprehensa. Inoleuit tamen pernicioſa ingenijs sententia, ut prætexui, nil scitius doctusq; extra fabulas & Hiberas nescio quas naznias, à poetis tractari. Id uero sciolorum culpa inscitiaq; contingere animaduerto, qui illotis pedibus, Minerua pinguiore, animo stupido, & tantarum rerum splendore, noctuæ modo caligante, nobile opus suis nugamentis contaminant in triujs, Nam quotus quisq; est, qui Virgilianæ

Aeneidos secretiorē scopum intelligat: Satis interim superq̄ est male feriat is, pessimeq̄ isto nomine dere Latina meritis, ut est illorum os, si pueris suis effutiant, Intentio Virgilij hæc est, Homerum imitari, Augustum laudare à parentibus. O inauspicata ingenia, & supellestem multo inauspiciorem. Nil malim scire, quam in hunc usum didicisse, ut tum ijs nugis uitæ tempus impendam, quæ triualibus tamen trabali fixæ clauo creduntur, Sed quod dictum est olim, Similem habent labra laetucam: asello carduos comedente: ac ut Hieronymi utar uerbis, Dignum patellæ operculum accedit: tum quod grauius multo est, reliquos ad meliora fortassis natos in eandem perducam tendiculum. Ego uero, si id nunc agam maxime, meusq̄ (ut aiunt) hic sit stilus, tota facilitate probarim, doctis præcipue, atq̄ aurem mordaci lotis aceto, Maroni scientissimo, & Platonicijs mysterijs non leuiter imbuto, non aliud fuisse propositum, quam Philosophi definitionem suis uoluminibus facundissime, ac aliud agendo explicare. Quando hunc Plato non ferè alium, quam Dei amatorem intelligit. Eius uerò in libro De philosophia, esse officium scribit, diuina optime, ac quantum ratio patitur, nouisse: mox uerò humana etiam non destituere, uerum interim disponere, ac ad prudentiæ examen reuocare. Pars prior theoreticam habet: sequens uerò practicen. In primis igitur sapiens diuinam boni naturam, duce sapientia, contemplationi subiicit: mox ad id bonum, uelut ad finem, humanos actus dirigens, hæc gubernat inferiora. Cæterum ipsa hæc dispensatio duobus indiget præcipue: alterum est, ut nouerimus, qualis nam sit hæc humanior natura, quæq̄ ratione ad bonum queat perducere, & ab malo reuelli: alterum, ut nostræ sic contemperentur affectiones, ut ad bonum facile omnia prodeant. Quod morali uirtute constat clarissime, quam uniuersam uno iustitiæ nomine intelligit Plato. Etenim duos comperies in nobis motus: primos intellige, externo impulsu quoquam coorientes, antequam rationalis anima ad rationis reuocet examen, uel per imaginationem aduertat, petendum sit, an reclinandum: secundos autem accipe, ubi assensum præstat anima. Quæ igitur hocce comprimit uirtus ad sensum procliuus, politica est, ac dicitur. Quæ uerò non amputat modo, sed conuellit radicitus, purgatoria nuncupatur. Demum quæ non hos perdomat solum, sed & primos quoq̄, quantum humana patitur ratio, aut tollit, aut contemperat, Animi iam purgati, uirtus appellatur. Ciuilem uirtutem Plotinus moderationem uocat, et mensuram. Quin & dispositionem potius ad uirtutē, quam omnino uirtutem. Cogita ergo, primis quinque libris non ferè aliud agi, quam quo pacto sapiens ab humanis interim sequestratus animum politicis ac purgatorijs emaculet uirtutibus. Hoc ipsum significat atrox in primo tempestas, Didonis conuiuium, in quo rationalis anima obrutescens corporeis fomitibus & uitiorum incentiuis rationis luminibus sese ingerentibus, illa penè restincta sui obliuiscitur, & ad corporea reuoluitur tota. Aestuationes hæc sunt animi ad procinctum tendentis, & ad originem properantis. Quod illa uerba abunde significant:

Per tot discrimina rerum

Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas

Ostendunt.

Ego Latij nomine, statum purgati animi intelligo, qui defecatus & à mundana aspergine presse pureq̄ deterfus est. Cuius illa sunt munera præcella, ut docuit grauis auctor Plotinus, Sola nosse diuina, cupiditatum obliuisci penitus, perturbationes ignorare,

Vt si fractus illabatur orbis,

Impauidum feriant ruinae.

Postremò, cum mente diuina ita connecti, ut nulla fiat inde conuulsio. Sextus uerò liber tanquam Virgilianæ doctrinæ thesaurus longe clarissimus, mortalis naturæ continet rationem, & sub poetico figmento animi origo declaratur, & qualitas: nec sine argumento: nam & Plato, dum per uestigia singula deum inquirat, in animi speciem subinde diuertit, Quod in eo, tanquam speculo, diuini uultus imago collucescat. Qui ergo deum nosse cupit, seipsum antea nouerit, necesse est. Liber ergo is Aeneæ ad inferos descendentis specie, animam contemplatur in mundi partem hanc, quam inferos & Ditis concaua Platonici putant, delabentem, Cui suffragantur carmina illa:

Ibant obscuro sola sub nocte per umbras,

Perq̄ domos Ditis uacuas, & inania regna.

Veterum

Veterum quippe obscurior theologia spelunca nomine mundum intelligi dedit, quod nos supra indicauimus, & significat in antri Ithacensis descriptione poetarum maximus: quippe humecta in antris natura, & ut Homerus inquit, *ἡ σκοτεινὴ*, id est obscura, eorum quæ mundo insunt hyles ratione typum habet, ac symbolum. Nam & inuisibilium potestatum antra indicium habere coniectant, quia ut hæc tenebrosa, sic & *ἡ σκοτεινὴ* *ἡ σκοτεινὴ* *ἡ σκοτεινὴ*. Animas speluncam subire approbant Perlarum sacra, ut Pythagoreos taceam. Antrum hoc *διθύρα* Homerus dicit, id est bifore: sicut Ianuarum altera Borealia respectet, Austrum altera. Per illam sit animarum ingressus, per hanc ascensus: propter duas solis portas cancri & capricorni, de quibus alibi nos affatim. Reliqui porro libri philosophicū implent officium, quantum ad politicas pertinet uirtutes, quia sociale animal homo est. Tumultuatur tamen etiamnum Aeneas, quoniam à purgatorijs uirtutibus ad eas, quæ animi iam purgati dicuntur, commigratio struebat. Humana uero desideria, quæ militant aduersus animam, extrudere uirum hinc conabantur. Hoc enim significant orientia bella. Mox uero iam in Latio confirmatus animus Turnum perimit. Conticescere tumultus cogit, humana negligit, totus in deum sese transformat, quod approbat Mercurius. Sed & Plotinus, Anima (inquit) iam purgata species, ratioq̄ euadit, ac penitus incorporea intellectualisq̄, ac tota diuina, unde fons effluit pulchritudinis, cognataq̄ omnia talia. Et alibi Plotinus idem, Anima per uirtutem adeo particeps fit dei, ut fallat, deus apparens, suspicionemq̄ inducens, ac totum dei hoc sit. Propterea nil aliud uates diuinus censuit addendum, quia coronis perfectissima proposito clarissimo iam eras feliciter impacta. Hoc qui nō uident, imperfectum uideri opus, subinde insulse pronuntiant. Troiæ autem nomine non infantiam intelligo, quod suspicantur nonnulli, sed regionem mundi inferiorē, propter illud Platonici ex Theateto: Fieri non potest, inquit, uti mala extrudantur penitus. Nam esse aliquid bono obiectum semper, necessum omnino est. Illis uero apud deum haud esse potest locus. Quo nomine mortalem obuallant, constipantq̄ naturam. Proinde adnitem dum, uti hinc illuc primo quoq̄ tempore confugiamus. Fuga uero est, ut pro uirili deo euadamus per similes. Hoc autem præstiterit affatim prudentia primum, mox iustitia, sanctitas denique. Ipsa quin hæc interpretatur, ut solet, Plotinus: Corporea, inquit, hæc imagines sunt, uestigiaq̄, & umbræ. Propterea ad illud confugiendum, cuius esse hæc noscitantur simulacra. Nam si quis nostra hæc, perinde ac uera, pergat capessere: quæ profum uelut imagines in aqua, uisitacionem faciūt, idem patietur plane, quod est ab mythicis proditum, illi obuensis: qui umbram captans, dum sese in aquas mersat, male perijisse traditur. Quam ob rem inclamare altius licet: Agite, abeamus hinc amici, in patriam confugientes dulcem. Cæterum insurrexerit forsitan aliquis, Quæ nam o Plotine fugiendi ratio? aut qua potissimū uia Circes ueneficia, & Calypsus reclinabimus? An paranda classis? aut qua omnino fuga? Corporeo, inquit, uisu clauso, alter huius loco assumendus: quo præditi sunt omnes quidem, utuntur tamen pauci. Est autem hic intus anima oculus, quem rationem dicimus cōtemplatricem. Cuius lumen intellectus est animæ proprius, sicuti intellectus diuinus est luminis huius lumen. Bonum denique ipsum lux est, ac luminū pater. Vnde in se conuersa rationalis anima non euadit solum luminosa, sed plane lumen. Hinc præpotens Saluator, uigilandum monet, ne dormientes deprehendat nos Dominus. Quin perspicue amplius: Surgite iam hinc, & abeamus. Expergisci porro non fere aliud censendum, quam agnoscere, in sensibus se somniare. Hinc liberior exoritur coniectatio, non esse cuiuslibet, poeticam attentare doctrinam, quando & Aristarchum grammaticum Panætius philosophus mantin uocabat, hoc est uatem, quod uelut uaticinans poeticos proueret sensus: ut præteream esse oratori finitimum poetam, numeris tamen astrictiorem paulo, uerborum licētia liberiolem: at multis ornandi generibus, ut Cicero inquit, socium ac pene parem. Quanquam nostrum id forte parum iuuerit argumētum, quod uelut astrologiæ ignarus Aratus, ut illi uisum est, & Leontius non inficiatur, non exacte ueritati astruens respondere, Arato de Astris euigilata, quantum ex Hipparcho licet ac Ptolomæo perdiscere. Aratus inquam, cultissimis uersibus celestia complectitur, & stellas: sicuti ab agris remotior Colophonius Nicanander rustica præcepta: sic & orator de ijs eloquentissime pronuntiat, quæ ad tempus

cognorit. Totam porrò poësin esse infaniam quandam, Platonis produnt oracula, sed diuinam. Quamquam philosophos etiamnum quodammodo insanire, scribit in libro Problematum Aristoteles. Citra furorem non fieri magnum uirum, inter Democriti placita est. Furoris autem diuini nomine intelligit Plato animæ abstractionem à corpore, ac nisum quandam. Quo sanè deo plena ad superos trahitur, ac adnititur uehementius. Furoris species quatuor existimat, poëticū, mysterialem, uaticum, amatorium affectum. Esse uerò à Musis poësin, à Dionysio mysterium, uaticinium ab Apolline, à Venere amorem. Poëticum furorem in Phædro esse sancit, quandam ab Musis occupationem, quæ lenem sortita animam & insuperabilem, excitat, & per cantilenas exagitat, aliamq; poësin ad humanum genus instruendum. Addit porro, eum qui citra furorem Musarum poëticas adeat fores, esse inanem, ac eiusmodi poësin esse nullam: ueluti omnino tantum ea sit, uti sine dei propensiore radio possit haudquaquam comparari. Dei autem nomine Apollinem opinantur significari, Musarum uerò globorum mundi animas. Esse quippe Iouem dei, Apollinem animæ mundanæ mentem. Ab Ioue autem Apollinem & Musas, ab Apolline Musarum duci chorum: quoniam illa mensurata ab Ioue illustratur, ita & mundi animas globorumq; illustrat. Vaticas mentes extimulant Musæ, rapiuntq; inspirati uates suos afflant interpretes, ab ijs auditores excitantur. Constat nimirum, diuino instinctu ab interpretibus, quos & Rhapsodos nūcupant, alienam enarrari poësim.

Fingendi modum non esse unum. Velleris aurei allegoria. Chemia ars, quæ alchimia. In quo damnandos censuerit poetas Plato, Qui ne Homero quidem pepererit. Poetarum laus exquisita. Refutatio negantium in Marone allegorias. Artem plerumq; placere, artificem minime. Cap. II

**N**unc uerò posteaquam non parum multa dicta nobis sunt, quæ artis præclarissimæ laudes habent, ipsa quidem re longè inferiores, pro uiribus tamen excogitatas ad uerum, descendendum illuc est, ut quia fingendi rationem ferè communem philosophis & poetis esse diximus, dispiciamus modo, sit ne unum formis comminiscendi modus, an dissideant potius, longeq; abeant à poëtico instituto sapientiæ studiosi. Vbi id quoque expendendum erit, ecquid Platonis calculo damnetur poësis: Vel, quod quidam prodere etiã est ausus, Homero ne pepererit. Igitur quo fiat res tota illustrior, in classicis authoribus illud comperio primum, fingendi formam non esse unam, nec simplicem. Est enim ubi tota res fingitur, nilq; prorsum argumento inest ueri subsistentis. Est uerò ubi ueritas adest, sed figmentis conueltitur laterq; quam uocant fabulosam narrationem, fabulam uerò minime: cuiusmodi sunt Hæsiodica carmoniarum sacra, et Orphei quoq; quibus de dijs agitur, ac mystica Pythagoreorum explicantur. Cæterum ipsa hæc narratio fabulosa, uel honesto calle incedit, nec ulla turpitudine inficitur: sed res altas stola figmenti contegit, nugas omneis abdicat: Sicyonia nequaquam inducit, & id genus alia reijcit mollia, & decora parum. Quæ pars philosophicæ grauitati, ac sacrarum rerum magnitudini congruit sanè, quamquam & in eandem figmentorum rationem ueniunt leuiores quoq; ueluti est Iasonis χρυσόμαλλον δέρας, id est uelleris aurei pellis. Quo nomine intelligi librum uoluere, ueterum more in pelle conscriptum, quo auri conficiendi scientia contineretur, arte quam χημείαν uocant: cuius libros quum diligenter conquississet Diocletianus, exussit *ὅλην τὴν νεωτερίστην ἀγγυπίαν, πῶς δὲ μάλιστα πλοῦτον ἐκάνοις ἐκ τῆς τοιάυτης πρὸς γίνεσθαι τέχνης*. Artificium hoc genus, uerbo luxato alchimiam dicunt, uel archimiam, puto quasi ἀργύρου χημείαν. Sed ad poëticen redeo: Vel ita cōminiscendo fingendoq; uera adumbrata refert, ut plurima insit fœditas, non absque maiestatis rerum sugillatione, quod suum esse uidetur poëticæ licentiæ, sed abdicatur ab sapientiæ sanctitate, idq; totum nescire mauult. Hoc autem eiusmodi habetur, si inter deos adulteria confingas, qualia sæpe poetarum celeberrimi suis inferuere uoluminibus. Item Cælio patri Saturnum pudenda abscidisse, quem mox eadem impietate regno exegerit Iupiter filius. Habent quidem hæc allegoricos sensus profundiores, fatemur. Sed pullatus circulus, in tanta præsertim enarrantium inscitia, eo quod audit, & se intelligere opinatur, afficitur, ac in errores labitur, aut ridet. Quam obrem animæ clarissimus expiator & medicus Plato, quamuis deorum filios poetas uocasset

castet libro secundo De republica, nihilominus in eodem poëticam detestatur impietatem, turpia de dijs fingentem. Sed recte fecero, si uerba Socratis apposuero: Vincula, inquit, Iunoni à filio indita, proiectionemq; Vulcani à patre, quum is euerberata matris opitulaturus accurrisset, aut deorum pugnas, quotcūq; Homerus scripsit, minime in ciuitatem recipere debemus, siue per allegoriam dicta hæc sint, siue sine allegoria. non enim adolescens internoscere ista potest. quæ uero ea ætate accipiuntur, inhærent alius, & difficillime post conuelluntur, quare danda opera est, ut hæc fabellæ quas primas audient, optime ad uirtutem instituuntur. Rursum quia concitatos affectus crebro imitatur poeta, in decimo De republica Socrates idem, eiusmodi pestem, iucundam quidem, sed maxime uenenosam perdit, ne ipsa nos perdat, quamobrem ne Homero quidem suo parcat: imo uero huic uel in primis derogat, ut principe poetarum defecto, ne cæteros quidem putes stare. Quod si quis ambigit, adeat eum quem modo aduocauimus librum, ut iam sciat, maximo risu explodenda quæ prodidit nescio quis, poëtarum propugnacione suscepta, astruens haudquaquam Homerum à Platonica ciuitate reijci. Confirmatur uero quod tradimus non modo Dionis Chrysostomi autoritate, sed & Maximi Tyrii sermone, hac ipsa de re concinnato, ubi edocet, laude uideri dignum Platonem: sed ita, ne sua careat tamen admiratione Poeta nobilis. Nam si cui minime sit opus medico, non inde porro colligas, ridendum uideri Hippocratem. Sed in ijs illud impense animaduertendum, nec damnari prorsum à Platone poetas: siquidem quantum ubi perturbant, aut turpia fingunt, reijciendos putat, tantundem amplexatur, exosculaturq; si ad bonam frugem hortentur, laudibus heroum aut deorum hymnis elegantanter facundeq; concelebratis. Sic enim eodem libro Socrates ait: Scito, inquit, hymnos in deos & in optimos uiros laudationes duntaxat ex poësi in ciuitatem admittere oportere. Hinc in Lyfide adeo poetas admiratur, ut eos sapientiæ patres nuncupet, ac duces. Et in Ione, uti attrigimus, carminis excellentis poëtam non arte fieri scribit, sed afflatu diuiniore. Imo uero, inquit, Musa diuino instinctu concitat poetas. Concitati poëta alios furore corripiunt, ut fiat annulorum quodammodo mirus ordo, qualem creditur Magnes efficere. Addit & mox paulo, Nil esse aliud poetas, quam deorum interpretes, dum afflantur furore. Quæ ratio facit, ut ineptissimi homines sæpe stupendum effundant poema, imo uero etiam insani: qualem fuisse Homerum legimus, aut Lucretium. Aut etiam rudes, quod in Hæsiodo animaduertimus. Porro idem in Phædro scribit Plato, non hominum esse inuenta præclara poemata, sed cælestia munera. Argumēto illud est, quod nemo, etiam si orbem illum doctrinarum obierit accuratissime, excellens euasit poeta, ni cælestis ille uigor & concitatio accesserit feruentior: ut uera fiat illa assertio ex fastorum sexto,

Est deus in nobis, agitante calefcimus illo;

Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Diuinitatem poëticā, quam & Democritus astruxit, id quoq; amplissimè comprobabit. Poetas legitimos, quales credimus Orpheum, Homerū, Virgilium, Pindarū, suis libris innumerabilium prope artium, scientiarumq; semina insperuisse, tanquam plane omnia scierint, etiam si in singulis artibus alioqui uix longa annorum serie singuli euadere celebres potuerunt. Adde, ne quid sciens omiserim, quod in Cratylo scrutatus Plato idem qui sint uerorum nominum doctores, sophistas irridens, poetas censet aduendos, nec quoslibet, etiam ex truiuo, sed diuinos. Ceu ab dijs hi plane didicerint nomina rerum uera, apud quos ea demū comperiantur. Nec illud quæso neglexeris, quod prodit idem Philosophus, Homeri poësin allegoricam esse, etiam sicubi ab historia unguem latum recedere non uidetur, id quod in nominibus per allegoriam concinnatis significatur euidentiū. Hoc uero huic parti appinximus gratissimè, siquidem insigniter nobis arrisit, propter ceruicofos nescio quos, in literis parum Lynceos: qui, sicuti audio; nostram hanc in allegorico Maronis sensu curam, tanquam nimiam & inanem, explodendam arbitrantur: quum in Homero idem hoc tantus in doctrina uir constituerit. Sed ualeant Libitina infestiuiores. Nos exequemur reliqua propositi, si illud non contempserimus, Natura sic comparatum, ut operibus afficiamur quandoq; artifices facile negligamus: uti in unguentis ac purpuris, quando ijs oblectamur plurimum, uiles tamen, ac

contemptibiles ducimus infectores unguentariosq̄. Nec ingenue imbutus quispiam Plutarchus inquit, Iouem intuitus Olympicū, Phidias ut esset, expetiuit: aut Argiuam Iunonem, Polycletus. Non item Anacreon, uel Philemon, aut denique Archilochus, etiam si eorum poemata iucunditatis habeant plurimum: quare inquit, *ἡ δὲ διώκεται τῶν βέλτιστων, ἢ καὶ θεωρεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ τρέφεται τὸ θεωρεῖν.* Attamen apud Gallos tanta habentur existimationis poetæ, ut inter confertas acies, ac uolantia tela, micantesq̄ gladios irrumpentibus ijs, non amici modo, uerum & hostes à pugna confestim temperent.

Poetas quo pacto citra noxam legas. Interim quæ dicantur amethysta: & quid pædagogia. Pædagogiani pueri. Pædisca: pædiscium: pæderos. Item de polypo, deq̄ mādragora scitu digna. Porro cuiusmodi sit poetica imitatio: necnon de crepidis Demonidæ claudii. Cap. III

**S**atis superq̄, opinor, demonstratum ex ijs quæ diximus, in quibus poetica doctrina uideatur respuenda. Rursumq̄, in quibus admitti citra morum noxam possit tutissime. Et quia non sum nescius, iuuenes bonam ætatis partem sepe lectioni eiusmodi impendere, quod magna pars studiorum amœnitates quarimus: & inter philosophica, ea maxime expetimus, quæ minus philosophiam sapere uidentur: sicuti poeta Philoxenus dicere solebat, Ex carnibus eas esse iucundiores, quæ carnes non essent: & ex piscibus, qui non pisces: quia palatum illi, quàm cor longe esset sensilius, quemadmodum dicitur solitum Catonem accepimus: Operæ pretium me facturum arbitratus sum, si iuniores, rerum non admodum peritos identidem summonero, Non in conuiujs modo decere nos seruare compositos, & id genus uoluptatibus alijs, sed impendio magis in audiendâ legendiq̄ allecantibus delinimentis modestiam modumq̄ asseruare consentaneum fuerit. Quid enim ciuitatis portas summa cura occlusisse profuerit, uel etiam cataractas demississe, si ipsi hostem admittente aliqua statuerimus: Itidem quid futurum tandem remur, si in reliquis eximiam adhibuerimus continentiam: aurium uero fores uoluptatum agmini perinde ac hostili manu patefecerimus: Vetus est non in itineribus modo, sed amplius in lectitandis, quæ priscis uiris sunt euigilata, ducatu nos, quem aptissime uocent Græci *παιδαγωγία*, indigere. Nam sunt obiter & pedagogiani pueri Ammiano Marcellino: In pædagogiani, inquit, pueri speciem purpureis opertus tegminibus. Apud Plutarchum in Pompeio, est pædagogium, pedagogorum ludus, & (ut sic dicam) harena. Sed de hoc mox paulo. Pædisca uocant Græci ancillas, sed & prostitutas: hinc pædiscium, id est *παιδοκεία*, impudicarum locus. Pæderos, est unguenti genus, quo Demetrium uti consueuisse linendo faciem, Græci scribunt. Solent plerunq̄ discumbentes, dum largius sese inuitant, ne forte prouehantur longius, ita ut nec pes, quod ille ait, nec manus satis officio fungantur, adhibere quædam ebrietatem prohibentia, quæ significantius consignantiusq̄ dicuntur ab eo quod præstant, amethysta. Eiusmodi quippiam excogitandum item nobis est, dum ingenium prolecat poeticum lenocinium. Habendumq̄ illud in animo semper, polypodum capitibus sicuti ille ait, unum inesse bonum, unumq̄ item malum: nam in cibus præseruata sunt, uerū somnos præstant turbulentos, occurrentibus (sicuti aiunt) miris rerum imaginibus. Eodem modo de poetis asserendum est, Insunt pleraq̄ iucunda grataq̄, & quæ teneriorem animum alant plurimum. Cæterum nec pauciora sunt quæ obturbent, ac tumultu omnia impleant, ac externent mētem, ni peritus assistat dux, præcauens ne quid impingamus. Eo quidem grauius, quod quo quis minus stupet, ac sapere plus uidetur, tanto irretitur facilius. Propterea Simonides quærenti, quid ita ex omnibus Thessalos non deciperet: Indoctiores (inquit) sunt, quàm ut falli à me possint. Et tragœdiam dixit Gorgias esse deceptionem, in qua non decepto sapientior sit deceptus. In canonicis porro Decretis relatum scio, non debere Christianum hominum poematum lectitare fragmenta, quia per oblectamenta fabularum nimis excitetur mens ad libidinum incentiua: non enim thura solum offerendo, dæmonibus immolatur, sed & eorum dicta libentius capiendo. Quam obrem intentissima cura ad prociuctum tendentibus arbitror expendenda, quæ in hoc scriptorum ordine, uel fictionis impietate, uel affectuum, rationis lumen obscurantium, imitatione deprauata transuersum animum rapere ualeant, decurrendumq̄ ad philosophiæ non ignaros: qui antipharmaçū propinent

pinent, explicatis per allegorias fabulamentorum uelaminibus, adhibitaq̄ præceptorum salubritate, quibus uoluptatum adlubentia quodam uelut sufflamine reprimatur, atq̄ item deferuescat perturbationum impetus, qui lectione tanquam exemplo proposito, plerunq̄ concitator ingerit sese rationi, & illa exculcata latius affectat dominari. Quo fit, ut ridendos censeam, qui à philosopho uitandos putant poetas. Id præcipiendum fuerat potius, ut in poemate philosopharemur. Nam ueluti mandragorâ produnt rerum periti, uitibus adnatam trāsmittere in illas potestatem somnificam, ut uinum ex ijs bibentibus facilius procliuusq̄ in soporem collabantur, Nam & mandragoram potu haustam insequitur caros, inquit Paulus, & cataphorica affectio præualida: sic & poetis commentis permixta philosophia tum lenem tum gratam amabilemq̄ efficit disciplinam. Nam si his quæ absurde finguntur, assensum præstiteris, tanquã ueris: ibi uero in præceps pessimo pede nulla tardatus sapientiæ suffrenatione prorsum fereris. Quod si memor fueris poe sin in mentiendo esse goetiam quandam, & machinamentum Lynce magis uarium, nil graue patieris omnino, aut credes temere. Porro quum audis, poeticam esse artem imitatricem, & sicuti picturam loquentem: nam picturam esse poe sin dicimus tacentem: id nunquam dederis obliuioni, Rem non laudari, cuius fiat imitatio: ut si exprimatur graphice Medæ facinus perimentis filios, aut Orestis paricidium, & id genus apud poetas non pauca. Verum artificium parere admirationē, quo expressio congruenter uidetur pertractata adumbrandis informandisq̄ rerum imaginibus. Nam & eodem fere modo lacertam aut simiam commode ad ueritatem pictam laudamus, non utiq̄ ex pulchritudine, quam esse nullam in eiusmodi animalibus scimus, sed ob similitudinē. Sic & suis uocem auerfamur, at si quis imitetur apte, lætamur, applaudimusq̄. Imitationes postremo hæ, in quibus multa proferuntur non tanquam honesta, sed ut subiectis apta personis, propterea sunt plerunq̄ ueluti Demonidæ pædotribæ claudicantis crepidæ, quas quum furto amississet, imprecabatur extente, ut furis pedibus maxime congruerent. *ἔβη φησὶ ἐφαρμόσασαυ τοῖς τῶ κλέπτου ποσίγ.* Erant uero hæ non rectæ, nec accommodæ: illi tamen pro pedum deprauatorū ratione in primis aptæ. Præterea etiã si poeta effundit pleraq̄ summa laude digna, non tamen quicquid in poemate legimus, admiratione debemus excipere, alioqui impura uanaq̄ comprobare uidebimur. Neq̄ enim Platonis gibbum amplexamur, aut Aristotelis balbutiem. Credamus ergo esse inibi aliquid, in quo auditor uel lector citra damnum aliud agat.

An poeta nascatur, orator fiat, sicuti receptum uulgo est. Neminem unum posse in multis excellere. Poetices origo. Fabij lectio restituitur. Poetarum genera. Quid monodia. Monodica grammaticis quæ sint. Poemata pro filijs. Nofocomi. Gerotrophii. De Luciano obiter. Maronis laus. Poeta unde dicatur. Vergilius dicatur, an Virgilius. Cap. IIII

**S**Aepe & anxie quæsitum inter doctiores scio, naturæ adminiculo clarior poetâ fieret, an doctrinæ beneficio, accedente mox assidua & pertinaci scribendi consuetudine. Vulgo certe iactatur, Nasci poetam, oratorem fieri. Nos uero non sollicitius, quàm fortassis par fuerit, quæ ultro citroq̄ argumententur ingeniosi, indagabimus. Horatij sententiam ex Arte poetica, & quorundam præterea paucorum, quia unum tantum testi nec Catoni creditur, satis habuimus apposuisse: prius ergo sic, Natura fieret laudabile carmen, an arte, Quæsitum est. Ego, nec studium sine diuite uena, Nec rude quid proficit uideo ingenium: alterius sic Altera poscit opem res, & coniurat amice. Iam Ciceronis autoritatē nec differamus, qui pro Archia poeta sic scriptum reliquit, Etiam illud adiungo, sæpius ad laudem atq̄ uirtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura ualuisse doctrinam. Atq̄ idem contendo, quum ad naturam eximiam atq̄ illustrem accesserit ratio quædam, confirmatioq̄ doctrinæ, tum illud nescio quod præclarum ac singulare solere existere. Paulo infra etiam sic: Atqui sic à summis hominibus liberalissimisq̄ accepimus, cæterarū rerum studia & doctrina & præceptis & arte consistare: Poetâ natura ipsa ualere, & mentis uiribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu



ritu affari. Architectum ingeniosum exigit Vitruvius, & ad disciplinam docile. Neque enim ingenium sine disciplina, aut disciplina sine ingenio perfectum artificem efficere potest. Apud Ciceronem in primo De oratore Crassus: Sic igitur (inquit) sentio, Naturam primum, atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam. Iactata tamen quaestio est in pluribus, iactata & in medicina. Caeterum si in poeta par esse momentu studij, & naturae contenderimus, unde nam fieri astruemus, ut carminis Venus tam paucis contingat? Imo & indoctis plerumque, tantumque non elementarijs. Vel cur M. Tullium uatissima eloquentiae flumina destituerint in poetica, sicuti multis fere placuisse uideo. Nimirum in naturae maiestate recondita haec sunt. Nam quod in Cicerone mirari non desinimus, imo uero ab risu saepe non defendimus, publicum id esse infelicitatis genus, exactius introspicentes agnoscemus: quando ingenia praecelsa, & omnium, ut sic dixerim, capacia in uno tantum opere gloriam uix indipsici potuere. Expende Maronis felicitatem in soluta oratione, ridebis. Qualem putas in orationibus Thucydidem? Eius eloquentiam multi admirantur: & recte id quidem: sed ad eum oratorem, quem quaerimus (inquit Cicero) nihil. Orationes quas interposuit, multae enim sunt, soleo utique laudare: imitari neque possim, si uelim; nec uelim fortasse, si possim. Iam in sapientiae studio quantus est Plato? At eius apologia pro Socrate nec patrono magnopere digna est nec reo. Ita est, magnum quiddam & uarium eloquentia est: nec adhuc, ut Seneca uerbis utar, ulli se ita indulsit, ut tota contingeret: abunde felix, & praecclare actum cum eo uideri potest, cui portio contigit honesta. Nec id putaris in hoc tantum genere ab natura datum, statutumque. Comoedia Pyladem habet eximie clarum, Bathyllum tragodia. muta uices, neutrum noueris. Perspectum id, obseruatumque & in corporis robore: siquidem legimus quosdam corpore quidem uescos fuisse, sed uiribus eximij. Tritanum Varro prodit, itemque eius filium, & rectos & transversos cancellatim toto corpore habuisse neruos, uirium elatione prodigiosa. Leontiscus ex Sicilia Mefenius, ex argumento Acrocherites cognominatus, summis aduersarium manibus corripiebat, fractumque non prius dimittebat, quam deficientem sentiret. Iam inter pyctas illi compar non reperitur, Alius carpenta manu comprehensa retinet, obnixius etiam si contra tantantur iumenta. Ille pondera immensa pedibus, manibus, humeris contra scalas fert. Age, bruta excute, hoc ipsum recognoris. Parua enim magnis, ut M. Tullius inquit, saepe rectissime conferuntur. Equos quantumuis celeres ac praestantes sint, putas ne omnes curriculis accomodos? Ex canibus alios nouimus uenaticos, nec tamen usquequaque: alius a pro, ceruo aptior alius: ille lucernarius, hic molosicus. Attendenda uero parte ista uehementer Origenis dogmata primo Contra Celsum libro, & *τὸ ἐξ ἀρχῆς* tertio, Esse spiritales quasdam energias, id est uirtutes latentes, quos daemones uel deos secundos nuncupent Academici, qui sint uelut magistri. Si quidem id agere, quod pro arbitrij sui potestate sibi delegerint, unde profluat inter homines sapientiae diuersitas. Quippe esse energiam quae poeticam inspiret, item quae geometriam, ac deinceps disciplinas alias. Proinde uulgatum inter Graecos, iactatumque, Poesin citra insaniam non contingere, ac afflatum quendam, quo diuinaculos ferme corripit etiamnum animaduertamus. Quin pueros, magica disciplina daemonebus ascitis, poemata praecinerent stupenda. Sed & hinc forsitan Musarum ratio prorepsit, etiam Platonicis approbata, & Augustino quandoque: at Retractionum primo postea spreta, reprehensaque. Ptolemaei uero sententia est in Centum enuntiatorum libro, Animam quae sit cognitioni apta, ueris plus assequuturam, quam qui extra modum studijs inuigilarit. Ea uero censetur, quae a stellis concitatur, & insita supellectile instructa in procinctum pergit. Calliopes inuentum esse poesin, scribit Ioannes Grammaticus: nam & Clio historiam comperisse traditur, plantandi artem Thalia, tibias Euterpe, cantum Melpomene, choream Terpsichore, nuptialia Erato & saltationem, agricolationem Polymnia, astrologiam Vrania. Quo argumento & nunc inuentis claros dicimus Musicos, mulieres autem Musas quoque. Tamen si uocatur Musa, non naturalis, & per se acquisita cognitio, sed ex institutione comparata. Caeterum ijs omisisis, redeo ad poetas, de quorum origine magna esse quaestionem aduerto. Ante Troianum bellum uiguisse quosdam, historica fides abunde testatur. Celeberrimus e Graecorum authoribus Pausanias, Olena quendam poetam primum

num agnoscere uidetur. Carmen tamen heroicum Pythio Apollini deberi, Plinius auctor est. Quod ipsum nec Pausanias tacuit, & Plutarchus in Moralibus obseruauit, nec praetermisit Eustathius, Phemonoem primam id genus cecinisse prodens, quod per exochon dicitur epos, uel quod *ἔπονται τὰ παρωγμάσια τοῖς χηρμαῖς*, id est quod responsa res consequantur. At Fabius: Poema, inquit, nemo dubitauit perito quodam initio fuisse, & aurium mensura, & similiter decurrētium spatiorum obseruatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Verum, ut quod sentio, quodque obseruatum mihi est, non dem in latebras, aut recondam in arcanis, quod bibliographi faciunt, sed id totum publicam materiam pergam facere, lego apud Quintilianum, Imperito quodam initio fuisse, ex Aristotelis doctrina: qui ubi poesin ex imitatione natam primum ostendit, quoniam imitandi studium sit ab ineunte aetate homini innatum, & eo ab brutis differat, mox subdit, Ad metrum natura procliuus maxime, paulatim poesin produxisse, ac genuisse *ἐκ τῆς αὐτοχρηδισμάτων*. Quod mihi non aliud profecto sonat, quam ex rudi principio. Ex hac uero imitandi ratione, unde poesin ortum ducit, diuisa, disparataque ars est, ac abiit quodammodo in membra plura. Nam pro cuiusque natura & moribus imitandi studiū proferebatur. Honestiores enim pulchras honestasque actiones sibi imitandas proponebant; tenuiores autem humilioresque uiles itidem & ignobiles, & primo quidem uituperationem complexi, sicuti hymnos alij & laudes cocinnarunt. Ialemum namque & Hymenaeum tradit Ioannes Grammaticus, creditos Clius filios, id est historicae cognitionis, quoniam flebiles cantus alter excogitarit, epithalamios autem & iambicos Hymenaeus. Poetarum itaque quosdam inuenio Monodos nuncupari, hoc est *μονοδούς*. alios uero Lyricos, qui & Melici nuncupantur, quod alibi probauimus: sicut epicum Cicero Ennium uocauit, id est heroicum, ut Diomedes probat, de quo genere mox. Aliquos comicos, quidam tragici uocantur: aut alio modo alij. Sunt qui excellentia quadam proprietate, nullo utique peculiari insigniatur nomine, uerum communi appellentur Poetae. Et Lyricorum quidem indicium, quo ab reliquis secernuntur, & dicitur a Graecis *γνώρισμα*, id est praecipuum, quod ad lyram eorum concinuntur carmina, ut Pindari nouem Lyricorum principis. Constabat ijs cyclicus chorus hominibus quinquaginta, quod Lycophronis interpret scribit, ijs item taurus fuit praemium. Monodorum uero peculiare est, sub una tantum persona argumentum explicare quodlibet, quod illi dicitur *μονοπροσωπῶς ἐφηγηθῆναι*. Proprij tamen horum epitaphij censetur cantus. Est enim monodia cantus lugubris: nam in tragodia omnes e scena cantus, luctus sunt: sed monodia dicitur, quando unus aliquis ab scena cantum profert, & non chorus simul. Monodicum uero poema est, cuiusmodi in Alexandra concinnauit Lycophron. Sunt & sua grammaticis monodica, quo quidem uocabulo solitaria fere intelligunt nomina inflexus ratione, cuiusmodi far, quod in obliquis solum R geminat: item cor, in genitiuo solum cordis faciens, D recepto: sic & s geminato, as afflis. Epigrammatographi, seu anathematici statuis, aut id genus alijs templo dicatis, epigrammata ascribunt: quod in phiala Homerus fecit. In hoc genere Simonides inclaruit antiquior, cuius commemorat Herodotus. Iunior Alcaeus, Vespasiani tempestate, ac Titii Atheniensis Proclus, Palladas, Agathias, innumerij alij. Asmatographi, & *ἄοιδοί*, ad barbiton uel citharam, aut musicum organum aliud cantica conscribunt, cuiusmodi fuerit (ut Phalerius prodit Demetrius) Automedes, Demodocus & Lares Corcyraei, ac Ithacensis Phemius. Epithalamiographi ratione habent manifestam. Claruit inter eos Pharsalius Agamestor. Sed & Heliodus epithalamium cecinit Peleo & Thetidi:

*Τρισμύχαρος ἀκασίδης, καὶ τρεῖς ὄλιβη πηλεῦ,  
ὅς τοις δὲ σὺ μεγάλῳις ἱερῶν λέχῳ ἀσυναβαίνεις.*

Comicorum risus est proprius cum choris & personis, sed apud Graecos tantum: ut apud Aristophanem, Eupolin, Pherecratem. Tragicis familiaris est miseria & calamitas, sicuti Aeschilo, Sophocli, Euripidi. Eos uero qui peculiariter insignitiusque Poetae uocantur, quatuor in primis cognobiles faciunt: metrum heroicum, fabula allegorica, historia, dictio cum dignitate ac heroica, metro in primis accommodata, non extrita, nec depressa. Hinc epos dictum carmen id genus, tamen si uocatur eo nomine *ἑμιτρος λόγος* proprie. Epica digne omnium primus scripsit Liuius, qui decem & octo libris Romanorum

norum res gestas perſcripſit. Inter hæc ſciendum tamen, & repetendum ſubinde, propter quaſtionem de Lucano uulgatam, uiro utiq; cum pleriq; dicendi honeſtamenti erudito concitatoq; ac *νεως εὐκατόφρου*, id eſt iuueniliter ſubinde exultanti, & quodam uelut ferrumine fucatori, id poetarum genus uere germaneq; ſicuti Ioannes Grammaticus ſcribit, & Ariſtotelis ac Plutarchi in Homeri laudibus autoritate comprobatur, fabula internoscitur allegorica. Hoc enim eſt horum *χαρακτήρισμα*, id eſt informatio; nam & character, Latine dicitur forma. Cuiusmodi Homerum apud Græcos recognoscimus, in noſtris literis Maronē ueneramur, colimus, in oculis geſtamus, ex æquo fere cum Homero ſuo ſtantiem. Tantū debet Latina res Mantuano cælo, ſub quo eloquentiæ ſpecimen longe clariffimum & natum & parte quadam educatum eſt. Et quo uno poſt illa M. Tullij fulmina longe lateq; coruſcantia, aduerſus Græcæ gentis fremitum, nimio plus ſæpe inſonantem, coorimur, obſiſtimusq;. Poetæ uero nomen inde propagatum ſcribit Eufthathius, quod *ποιῶν* ſignet, *ἑμμετρως* cantare uel ſcribere. Virgili meminit idem Eufthathius, in nauium catalogo apud Homerū, ſed Vergiliū inibi ſcriptum comperi. Ethnographus Virgiliū maluit, ſicuti & in Græcis plerunq; epigrammatis. Nam & Collectaneorum ſecundo, apud Græcos item in ruſticis præceptis ſic comperi adnotatum: *Ἐπιγίλιος* inquit, quiſquis author fuit, ſemina nitro cōſperſa laudat, & aqua inſuper. In fragmentis Cæcilij Minutiani Apuleij, ueteris grammatici adnotatum comperi: Virgiliū ab uirgis eſſe cognominatum, inter quas ſit natus: propterea primam habere *ι*, non *ε*. cui ſuffragetur illud Calui,

Et uates cui uirga dedit memorabile nomen

Laurea. Huic ſententiæ Prifcianus item calculum adijcit. Fatetur tamen idem Apuleius, in alijs Vergiliū ab uergilijs inſlecti. Antheas Lindius poeſin ex compositis nominibus excogitaſſe dicitur primus, qua poſtea Aſopodoros Phliaſius ſit uſus. Poetam poſtremo animus ab omni cura uacuuſ excitat mirifice, nec ſine entuſiaſmo & alacritate quadam. Poemata pro filijs etiam Græci accipiunt quandoque, quos item Noſocomos uocant, & Gerotrophos.

Quæ hymnorū ſint traditæ ſpecies. Hyporchema. Profodia. Cur Bacchus Dithyrambus. Dithyrambici poetæ. Cyclicus. Encyclia. Hymnos dici etiã ſoluta oratione. Epãni, & enconiſ diſcrimina. Periautologia quid. Picam eſſe Baccho ſacram. Thriãmbus unde. Cap. v



Nter ea quæ docte pieq; ſolent à poetis tractari, & eſſe faciēda præcipit Plato, hymnos ſæpe legimus, tum ab Homero & Orpheo, tum ab alijs mirifice concinnatos. Vnde & hymnologi uocantur Firmico; nam hymnodici alijs ſunt. Quoniam uero non aliud hymnus eſt, quàm dei cuiuſpiam laus: ſicuti rhetor deſinit Menander, etiam ſi apud poetas pro cantu modo dici hymnū cōperias, ex quo & hymnopolis uocant, qui & acedopolis. Dū ſcrutarer, ecquid ſcite docteq; ſuper his mandatum literis foret, quod hæc lectiones noſtras antiquas ſaceret locupletiores, in Græcorum penu, quod eſſe opulentius ſolet, & omnifariã rebus inſtruitiſſimum, hæc ſunt comperta mihi. Cantus diuinis accommodatos laudibus dici quidem uniuerſim pæanas & hymnos, priuatim uero non unam eſſe eius rei nomenclaturam. Siquidem Dianæ hymnus dicitur hypingos: Apollinis hyporchema, uel pæan, qui maxime concinebatur, ut peſtis latius graſſantis reprimeretur uis. Vnde etiam factum nomen etymologici argumentantur, *ἔπι κατὰ πᾶσι τοῖς λαίμαρσι*, quia ſedet peſtem: quanquam & eadem ratione Apollo item dicatur Pæan, ſiue à feriēdo quoque, quod *πάειν* dicitur, Veſtalibus ita indigitantibus, Apollo Medice, Apollo Pæan. Dianæ uero & Apollinis hymnus, profodia nūcupatur, Dionyſij Dithyrambus. Sed & ipſe Dionyſius Dithyrambus uocatur, ueluti Lythirambus, ut eſt apud Pindarum, quod Iupiter illum aſſuiſſet femori, ac mox eo in lucem prodituro, inclamaſſet *λύθι βάρμυα, λύθι βάρμυα*. quod perinde eſt ac ſi dicas, Solue futuram, ſolue futuram. Vel quod ſecreta promens os dithyron faciat: nam eidem loquacitatis ratione citta, id eſt picam eſſe ſacram prodidere, ac baſarrheum dicunt, *ἐκ τοῦ βάλλειν*. Et inde poetæ Dithyrambici nuncupati, quibus quum frequentiffimi eſſet moris ita exordiri, *ἀμφιμοι ἀνάξ*, inde Amphianactes facetiſſime dici cōperere, quin & *ἀμφιμανκτιζέειν* pro eo quod eſt *πρωιμίαι* *ζέειν*

*ζέειν*, uſurparunt multi. Pericles uero Lesbius dictionem dithyrambicam ceciniffe fertur primus. At Mileſius Melampides dithyramborum libros ſcripſit plures. Ex ueteribus nonnulli ita de dithyrambis exiſtimarunt, ut qui muſicam corrumperent. proinde Callimachus de ijs, *νόθοι δ' ἠνθοσαν ἀοιδῶν*, id eſt, ſpurij floruerunt poetæ. Ipſorum peculiare fuit, uerbis uti compositis *καὶ πολυπλόκοις*, id eſt nodofis implicitisq;, ſed & tumentibus: unde dithyrambicus intellectus de obſcuro dicitur, nec cuius peruio. Dithyrambicos dici quandoq; inueni cycliodidafcalos, quoniam encyclia doceant. Appellantur uero ſic interdum quæ hypotheſin habent eandem. Dithyrambum item cyclicum nonnulli interpretantur chorum. Quem dixerit Pindarus *βουλάττην*, id eſt boelatem, quod uincenti præmium foret bos, uel quia cum clamore perficeretur, *ἐκ τοῦ βοῶν*. In Naxo primitus compertum, cecinit alicubi idem Pindarus: at dithyrambum primò, apud Thebas: in Olympijs etiam Corinthi, Arione Methymnæo ſtatuerit initio, mox & Laſſo Hermioneo. Thriãmbum credunt dici ab *θροῶν καὶ ἰαμβιζέειν*, quo nomine in bellicis triumphis cauillantes inconditis iocis & anapaſtis plurimū utuntur. Ab Arione primū eſſe concinnatum nominatumq; dithyrambum Corinthi, hiſtoria prima author Herodotus eſt. Sed ad hymnos redeo. Cereris hymnum uocant Iulum. Linus uero & Litiſes, agreſtium ſunt cantilenæ. Venerios hymnos inuenio appellari eroticos, ranquam amatorios dicas. Nam eſt & ſuus uinolentorum hymnus, cuius Ariſtophanes commeminit in Ranis, diciturq; cræpalocomos, quia cræpalen uocant uinolentiæ tremorem. Comon uero comeſtationem, ſiue ebrietatis & imtemperantiæ feſtum. Porro hymnorum inuenire eſt amplius intuenti ſpecies multiplices variasq;. Alij quippe cletici dicuntur, apopemptici alijs, aut phyſici, mythici, genealogici, ficti, euctici, apeuctici: quidam uero mixti. Cletici uero appellantur, qui deorum habent aduocationes: cuiuſmodi plures apud Sappho comperias, & Anacreontem. Productiores hi aliquanto, uberiusq; apud poetas ſuſi, quàm oratione ſoluta. Apopemptici peregrinationem dei alicuius complectuntur, ut apud Bacchilidem. Cleticis ſubaduerti ſunt hi, quoniam emittunt: illi uero inuitant. Poetis quoq; familiares tantum apopemptici, quibus argumentum ſuggerit locus, è quo migratur, & ruruſ qui petitur. Phyſici habentur, qui Iouis, aut Apollinis, aut cuiuſuis naturam explicant, ueluti ſi ab ſole non eſſe diuerſum Apollinem ratiocinemur, quæq; ſit eius ſyderis uia eſſeramus. Propterea ſi phyſiologicos item dixeris, non multū aberraris. Eiuſmodi reperias apud Parmenidem & Orpheum, & in primis Empedoclem. Vuſus eſt Plato etiam in Phædro, Mythici, ut nomine apparet, fabulis conſtant, & per tenuem progrediuntur allegoriam. Genealogicos cum mythicis eodem putauere quidam, diſcernuntur tamen interſtitio certo. In genealogicis parentes recententur, ueluti ſi Latonæ filium dicas Apollinem. Peplafimeni, ſiue ficti, quando conſingimus deum aut deorum uel dæmonum prolem, quemadmodum Auriū dæmona Simonides uocauit: alijs Onum, & quidam alium quempiam: & apud Platonem Porus & Penia: item Amor, nunc ante terram progenitus, nunc Veneris filius. Ruruſ Pauſanias medicæ arti præſidere amoris uim prædicat. Item Ariſtophanes conducere in unum ſemiſacta corpora. Euctici uotum habent, & preces. Sicut reiſcientis deprecationem, qui uocantur Apeuctici. Sed duo hi poſtremi alijs ferè adglutinantur. Nam qui unum aliquem ex dijs collaudarit, mox decurrit ad preces. Exempla paſſim ſuppetunt ex poetis. Sed & apud Platonem, O amice Pam: & quæ leguntur in Phædro. Sed ſcitetur fortè ex me aliquis, ſint ne hæc conſeſſa poetis ſolum, an ne reiſcientur quidem ab hoc genere laudis proſe orationis conditores? Verum qui Platonis non ſciendi modo, ſed dicendi etiam magiſtri eminetiſſimi ſacraria quandoq; adierit, illum comperiet, tum in Sympoſio, tum in Phædro his uſum omnibus. Haſtenus de hymnis. Quos quia laudes deorū cōplecti diximus, adiciamus auſtarij loco id quoq;, laudem hominis in Græcorum doctrinã dici quandoq; epãnon, aliàs encomion: ſed diſparantur à nonnullis hæc, ut in artibus docuit Menander. ſiquidem epãnon uocari aiunt teſtimonium, de aliquo ab ſingulari uirtute, ueluti quum Ariſtidem luſti cognomento decoramus, Encomion uero ex uirtutibus cōpingitur omnibus. In hoc per omnia excurrimus, genus commemorantes, nec non educationem, geſtã, & id genus alia. Nonnulli ſic diſcreuiſſe malunt, ut dicatur epãnos, ubi quem ita laudamus, ut iur-

dicio consensuq; nostro laudandum censemus. Encomion uerò laudem habet, sed non utiq; assensum animi uerum: ueluti si ollam laudes: uel ut Lucianus, muscam: aut calcutios, ut Polycrates: non quia hæc admireris, sed ingenij uegetandi exercendiq; gratia. Qui dam ita finierunt, Epænon esse orationem uirtutis magnitudinem explicantem, encomion uerò gesta præclara illustrare. Encomion, id est ἐγκώμιον dici interpretantur, πηγὴ δ' ἀδιδεῖται ἢ τοῖς λόμοις καὶ συμποσίοις, quod in conuiujs concineretur, & Bacchanalibus, comestationibusq;, quas dicunt Comos. uel, ἔστι δ' ἢ τοῖς κώμοις ἀδιδεῖται, id est quia in uicis caneretur: quod tunc uicatim habitaretur Græcia. Periautologiam uerò statuunt uocari, ubi quis seipsum laudat: ut est illud Achillis apud Homerum, ἔχ' ἔβας, οἷο' ἐγὼ λαλῶς τε μέγας τε. Nonne uidēs quàm pulcher ego, & quàm magnus? Sed & Maro noster,

Sum pius Aeneas fama super æthera notus.

Quia uerò multa hæcenus dicta de poetis nobis, erat animus impingere capiti huic quiddam ex Dionysio olim obseruatum. Sed secutus præstitit, ne planè fiat apologus Alcini, ut est apud Pollucem. Et qui subinde iter iungunt, serius quidem aliquanto, sed magis uegeti diuertunt.

Cuiusmodi sit in poemate uitium quod dicatur logoidia, id est λογοιδία,

Item qui sint etiã in Latinis literis logi. Interibi orationis genera duo. Nec nò quid logopæus, logion, uel logia, logisterium, logistoricus. Oraculorū uocabula. Gellij locus expenditur. Megabyzi. Logographi bis. Numerarij, Alogia. Alogistia. Logisteria mensa. Logodædali. Logarium. Tabularij Diribitorij. Diribitores. Pædagogia. Pædagium. Logades. Logij. Item obiter quid abacus, & abaculus. Poetam nò dici nisi summum. Epiphylides quid. Epiphyllocarpi. Rhyades quid.

Cap. vi

**D**ionysius Halicarnassæus nò historicus modo præclarus, sed eorum quoque quæ ad dicendi rationem spectant, obseruator nò incuriosus, quum præcepta conderet, quibus metrica oratio compar soluta euaderet, postmodum sic infert: Nec uerò suspicetur aliquis, ignorasse me, uitium quoddam in poemate nuncupari logoidiam. Neq; me ita rudem putet, uel imperitum, ut quod transuerso ungue sit dissecandum, inter uirtutes poetarū aut orationis censeam cōnumerandum. Audiatur autem, quo pacto digna ab indignis arbitrer seiungenda. Orationum species duas nouisse uideor: loquacem unam, & prorsum nulli rei: alteram uerò politicam, siue ciuilem, quæ multiplici cultu splendida est, & artificiosa maximè. Quemcunq; igitur ex poetis prius illud genus expressisse aduerto, ridiculum iudico. At qui, quod posterius, hic mihi & studio & æmulatione dignus uidetur. Hæcenus Dionysius. Ex quibus perspicuum fermè arbitror dici logoidiam, non tam ubi uersus soluta ferè oratio uidetur, quàm quum futilem nugacemq; imitatur. Quod eo procliuus adnotatum uolui, quia & in nostris authoribus, & apud Ciceronem in primis, logos inuenio positos pro ridiculis cōtemnendisq; dictis. Nam in quadam oratione sic scriptum ab eo legimus: Ego te certè scio omnes logos, qui in ludis dicti sunt, animaduertisse. Logopæos utique uocant Græci, qui falsa comminiscuntur, & inuulgant. Hinc in Nicia Plutarchus, tonitrem scribit ad rotam alligatum, uelut λογοποιόν, quod Siciliensem cladem temere magistratibus obnunciare ausus foret, ab peregrino in tonstrina exceptam. Contra megabyzij logi, intelliguntur magni & elati: de Persarum rege mutuata dicendi formula. Sunt qui Barbaros interpretentur. Duces quoq; regis Persici, Megabyzi nuncupantur. λογοποιονα certe confictum de re aliqua sermonem dici comperio. In Hephæstionis enchiridio lectum est logædica, id est λογοειδικά, nuncupari dactylicam quædam, quæ in regionibus quidem alijs dactylos habeant, postremam uerò syzygiam trochaicam. Logia, neutro genere, uocant oracula quæ soluta æduntur oratione: nam quæ metrum habent, ἔχουσιν dicuntur. Logiam uerò in Epistola ad Corinthios interpretatione Chrysostomus conuentum uel cōgregationem exposuit. Quod si logion scribatur per a diphthongum, id est λογαίον, ex Græca ratione, qua nomina in εον producta à uerbis in ω, circumflectuntur in penultima, & diphthongum recipiunt: locum signat in orchestra, aut orchestra ipsam, in quam comicus induceretur chorus, quanquam est crateris item species, logion. Quin & eodem nomine dicasterium intelligunt, hoc est iudiciale forum

forum. In sanctis literis logion inter sacerdotalia ornamenta, rationale interpretantur. Logistas Aristophanis interpres pro ijs accipit, quos prius agoranomos dicere, moris erat. At hinc alij sunt, quàm ædiles. Putant alij logistas fuisse decem numero, sorte lectos, qui Athenis expenderent, quæ in magistratu quisq; gessisset: cuiusmodi nunc syndicos uocamus. Logisterium uerò locus erat, ubi cōsiderent hi, ut Pollux etiam scribit. Nam supputandi peritiam, logisticen Plato uocauit: simplex uulgus abacum dicit, puto, quia calculis uterentur in disputatione ac numerorum supputatione ueteres, quos Plinius uocari abaculos prodidit. Logistoricum dici Varronem, obseruauimus apud Sardonium. Seruius in libro Aeneidos quintum: Salue, inquit, & uale, secundum Varronem in Logistoricis, synonyma sunt. Et Macrobius in Cœnis libro tertio: Varro, inquit, in Logistorico qui in scribitur Martius de fortuna. Inde forsitan in Gellianos codices turpè irrepsit mendum libro ultimo: Sculnam autem scriptum esse in historico M. Varronis, qui inscribitur Catus. Idem Leuinius admonet, reponendum, In Logistorico qui inscribitur Catus. Erat autem de liberis educandis lucubratiō, ex Gellio libro quarto, capite decimonono. Alogias, pro fatuitatibus usurpat Seneca: Citius, inquit, mihi uerum, ne tibi alogias excutiam, dicit. Tabularium pro supputatore accepisse Vipianus uidetur, ubi ait: Ego etiam aduersus tabularium puto actiones dādas, qui in computatione sefellit. Sunt qui eo nomine tabelliones intelligant, aut scribas logographos, qui publicas conficerent rationes, qui & numerarij dicantur. Militare logisterium inuenies apud Strabonem, quod an diribitorium dici Latine queat, ambigunt eruditi. Id ex diribendi potestate nominatum uolunt, hoc est distribuendi: quia locus esset, in quo recenseretur exercitus, & militibus stipendia numerarentur, quanquam est & diribitorium, ministratorum quoq;, id est locus in quo obuerfantur ministri. Qui quoniam Græcè dicantur pædes, pædagium Plinio item uocatur in Epistolis: Puer, inquit, in pædagio mixtus pluribus dormiebat. Dion in Caligulæ uita: Si acrior, inquit, solis incubuisset uis, diribitorio theatri uice urebantur. Ab eodem in Tito, deflagasse diribitorium, traditur. Diribitores, sunt qui putent eos nuncupari, qui suffragia candidatorum in digito mitterent. Pædagogia Vipiano Digestis de fundo instructo legato, sunt ministeria planè: Si instructum, inquit, fundum legasset, ea pædagogia quæ ibi habebat, ut quum illuc uenisset, prestò essent in triclinio, legato cōtinentur. Diribitores nominantur quoque Ammiano Marcellino, ni fallor, decimo & octauo libro. Logographos interpretatur Sudas, qui δίκωνικὸς λόγος γράφειν, id est acta in iudicialibus causis perscribunt: sed & qui rationum libros, quibus præerant, quos logistas dicunt. Quanquam est hoc item nomine iudex & inquisitor uel curator rei publicæ, ut primo Codicis. Logisteriam mensam legimus apud Pollucem, ubi & Tarpen dicit ex uiminibus contexti solitam. Proagogia sunt qui Græcè opinentur dici aquarum deductiones, uel poros, meatusq;. Alogistiam dicunt, ubi reddendarum rationum necessitas laxatur, remittiturq;: unde emendatur luxatum uerbum Iurecōsultis, Digestorum uigesimosexto, ubi tutores leguntur analogisti, pro eo quod est analogistæ, uel alogistæ, qui rationis calculum non subeunt testatoris uoluntate. Apud Galenum Therapeutices primo, medicorum nonnulli analogistici uocantur. Logodædalos putat dici Hieronymus sermonis ingeniosos architectatores: Respondeant, inquit, logodædali & fastidiosi æstimatores omnium tractatorū. Scio quid ex Platone super eo uerbo proferant alij. Logotheta magistratus erat imperatorum Byzantij. Logades sunt in Græca historia, quos inter milites Liuius delectam manum uocare solet. In Epigrammate, logadas oculos quidam interpretantur. Herodotus etiam apud Persas fuisse scribit, quos appellat logios. Id uerbum Græcis tum prudentem, tum eloquentem significat. Logarium, liber est domesticarum rationum. Quia uerò paulò antè affines esse oratoribus poetas astruere sumus uisi, id utiq; non negligendum. In poetis requiri perpetuò magnificentiam, altitudinem ac excellentiam quandā præsignem. Proinde scienter Horatius,

Mediocribus esse poetis,

Non homines, non dii, non concessere columnæ.

Sed & M. Tullij laudatur illud doctissimè enuntiatū: Singulis uix seculis bonum poetam inuentum. Hinc facetissimè loquaces incessens poetas Aristophanēs, ἀνθρωπίδες

u 2 inquit

(inquit) sunt, ac *σωμολαίαι*. Dicuntur uero epiphyllides, botryunculi maioribus incumbentes, qui & botrydia nuncupantur. Callistratus tamen ab alijs sequestratos intelligere maluit. Appellatur autem sic quia folijs obtegantur. Alij quæ adnascuntur palmittum cacuminibus in superna foliorum parte, hoc nomine accipiunt. Quod autem is sit Aristophanius sensus quem prætexuimus, facile quæ cōsequuntur declarant, *χελιδόνων μυσία, λωβητά τεχνη*, id est hirundinum musea, artis cōtumeliæ ac dedecora. Epiphyllocarpos autem arbores intelligūt, in folijs ferētes fructus, author Theophrastus. Rhoades in uitibus dicuntur, quæ fructum cōtinent, *ἡ δὲ τὸ βίνδα*, sicuti expositum inuenimus quinto *ἐκλογῶν πρὸς γεωργίας*. Sunt qui eo nomine psinadas intelligant, hoc est debiles, fluentesq̄. Psinadis uocabulo utitur Theophrastus. *ψινάδες* dicunt Græci *ἀρρήτων καὶ φλογοφόων*. Mali indicia sunt, folia subficca & albertia.

Temperantiæ nomē quā late pateat. Zamolxidīs doctrīna de animæ medela. Quæ magica excantatio. Cur temperantia dicatur Græcis sopherone.

Cap. VII

**S**crutabar sollicitē admodum & curioso nuper, quid ita Aristoteles libro De moribus sexto, & ante hunc Plato in libro quem Cratylum attitulauit, Temperantiam dici à Græcis *σωφροσύνη*, quia prudentiam seruet, literis mandasset. Quumq̄ in hanc me quæstiunculam totum cōiecissē, comperinter legendum nō illepida, ut reor, nec sordentia quæpiam. Ea, quod exploratis auribus arrisura sum opinatus, etiam ascribere non grauabor: sic enim habet, Temperantiam præcipuē quidem in compescendis, inhibendisq̄ & infrenandis quodammodo uoluptatibus uersari, plurimumq̄ in ea re infumi operæ ab temperato, ut libidinum incentiuis corporeis oblectetur, obsistatq̄, quæ nobis cum brutis esse communes, traditum est. Verum amplius etiam fufiusq̄ id sese nomen propagare: siquidem pulchritudinem rectē dixeris, ex lineis coloribusq̄ apte ac grate contemperatis consurgere: necnon corporis habitum naturalem ex membrorum & humorum cōspiratu conflari moderato. Iam nec animum aliter quoque tantæ agnosci cōpotem uirtutis, Temperatum esse hūc siquidem prædicamus, ubi coorientes aduersus rationis modum titillationes ac impetus uiolentos sedat. Imò uerò & in cognoscendi potentia temperantiam concinnē locum sibi uendicare, non latet: ubi attemperatē intelligentia ijs quæ intelligit, coherent adglutinatur, & ueluti consonat. Ut commodè prorsum, & quodammodo diuinē Pythagoram dicere solitum legerimus, Inter uirtutes omnes habere temperantiam principem in salubritate locum. Atq̄ una ea tum priuatim, tum publicè humanam societatem coalescere, ac stare. Apertius id noueris, si apud te ratiocinari uolueris, nec iustitiam quidem à temperantia reuelli. Quando est ea commutandi distribuendiq̄ modus congruēs. Iam & oratione eadem fortitudinem quoq̄ in timoribus & audaciam rectē temperantiam dixeris. Nec secus de liberalitate. Imò uerò hac singularis & inenarrabilis potentia uirtute cuncta consistere, fatendum est: quoniam disponit parens ille rerum Deus cuncta suauiter, & in numero, pondere, mensura. Porro scribit Plato, Zamolxidīs Thracum regis doctrīna traditum, Omnia uel bona uel mala in corpus ab anima demanare: proinde illam in primis, adhibita remediōrum salubritate, curari oportere. Animæ uerò medelas esse incantationes quasdam, quibus temperantiam sibi uendicet anima, qua cōquisita, assistentēq̄, nullo negotio corpori uniuerso contribui sanitatem. Cæterum quæ nam aut quales sunt incantationes hæc? Nempe quod præcipit Socrates, Vis qua in seipsum conuersio fit, omnium est efficacissima excantatio. Etenim quise, id est animum, iam coeperit accuratius cōtemplari, simul per ipsam temperantiæ ideam innatam menti, humanam recognoscet temperantiā: simul rationem illam intuēs, qua ab optimo maximo Deo rationalis animæ uires inter se fuerint attemperatæ, paulo momento qua ui motiones possit aut debeat animorum inhibere, ne insolētius efferantur aut prouant, peruidebit. Quamobrem impense obseruandum, quod lectum in libro De natura, nostrum hoc propositum eximie fulcit. Si modulatē cōspirent inuicem animæ partes, rursusq̄ ipsa corpori contemperetur, futuros totius nos felicitatis compotes. Taceo quod grauissimi authores prodere sunt ausi, Motibus tum corporeis, tum animalibus cōpositis & restinctis, fore ut perpetua utriq̄ cōtingat sanitas, corpori uerò etiam

etiam uiuendi prolixius spatium. Id Pythagorici grate amplexantur, & cōprobat in nostris literis doctissimus Censorinus. Plato itaq̄ magicam appellat incantationem orationem, cui in sit uis à deo, & ab philosophia ratio, ut audientibus temperantiæ amorem ingenerare queat. Hæc temperantiæ potestas illud item parit incōparabile, ut animus ex trita perturbationum uellicantium caligine, in seipsum cōuersus uera in se omnia speculetur: quoniam ut Platonici putāt, uerorum omnium lumina humanis animis insunt ingenta, quæ solis diuini fulgoribus illustrata, & serena iam mente nitidius promicantia sapientiæ usum restitunt, mox & prudentiam pariunt. Propterea rectē Plato sopheronem dici temperantiam autumat, *ἡ π σωζα τῆμ φρόνησιμ*, quia prudentiæ salus sit, atq̄ conseruatio.

Frugū uictus laus ex poeta Hesiodo. Alimos. Adipfos. De asphodelo pauca. Exempla ad id Alexandri, Iuliani imperatoris, & Scipionis. Item de Antagora. Quæ sint opsonia apyra. Apyrenon quid. Item quid psycter, psycteridion, psygeus, psychia. Apyrocalos. Ineptus an Græcè ualeat exprimi. Interim de lisyra carptim.

Cap. VIII

**P**osteaquam de temperantia, cuius uim diximus ratione peculiari in cibi potus tactusq̄ titillationibus uersari, abunde actum à nobis est: nunc in quadam historicas amœnitates diuertere collibuit, ut legentium, si qui tamen hi fuerint, animi laxius indulgentiusq̄ tractentur, ne nostræ lucubratiunculæ quocunq̄ genio prodierint, multum habere ablinthij credatur, mellis parum, sicuti iam inter fati sumus alicubi. Fiet autem ab poetæ Hesiodi uersiculis initium ex agricolationis libro, quibus docuit sapienter, Dimidium esse plus toto: magnumq̄ haberi emolumentum ex uictus parsimoniam, si malua uescaris & asphodelo, delicatiora uerò & ganata, ac salaria negligas. Hesiodi uersus hi sunt, *νάπη, ἔδ' ἰσασμ ὅσω πλεον ἡμισυ παντός, οὐ δ' ὅσων ἢ μαλάχη τε καὶ ἀσφιδέλω μέγ' ὄνειαρ*, Eum locum Proclus Diadochus nō incelebris inter Græcos Grammaticus explicans: Viliissimorum, inquit, commemorat parte hac Hesiodus, unde alii possumus, maluæ scilicet & asphodeli: ex ijs enim succus exprimebatur, parabaturq̄ in cibi usum: ex quo utilitas profluit maior, quàm ex sumptuosioribus per iniustitiam conquisitis. Aut certe, inquit, ex obuiuo uictum significauit. Epimenidem tercio Legum Plato scribit, modico, & interim utilissimo cibo interdum fuisse contentum. Constabat is ex asphodelo & malua, quæ illum seruabant alimon & adipson, hoc est ab fame procul & siti. Hactenus Hesiodicus interpres. Quod si quis nosse amplius cupit, cuiusmodi sit asphodelos, legat uigelimum secundum Naturalis historiæ Plinij. Græci putant Proserpinæ sacrum, & omnino inferis dijs. Rhodij certe deam illam, & Dianam asphodelo coronant. Sed quod polliciti sumus, pergamus aliquid ex historia contexere, quod usui sit legisse, & lectoris frontem exporrigat. Siquidem memorabile id est, quod de Alexandro Magno clarissimi rerum conditores tradidere. Nam quum illi Carum regina Ada scitissima subinde, ac adipata mitteret opsonia, & bellaria exquisitius condita ab eius artificij hominibus, meliores peritioresq̄ habere se opsopeos & coquos pronuntiauit. Quippe ad prandij apparatus, quæ appetentiam conciliet, præstō est nyctoporia, id est nocturnum iter. Ad cœnam uerò, quo fiat appetibilior, oligaristia, quam prandium præparatum rectē dixerimus. Hinc uirtus illa promitur clarior, qua fretus Alexander, aenea cōcha brachio supposita, extra cubile protentō, quum se quieti traderet, pilam tenuisse argenteam, ut quum neruorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus cœptam abrumperet quietem. At Iulianus imperator nullo adiutus instrumento, ubi uoluit, euigilaui: & nocte media (ut Marcellinus inquit) exurgens, non ē plumis, aut sericis stragulis, ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete, ac lisyra, quam uulgaris simplicitas surnam appellat, occulte Mercurio supplicabat, quem in mundo uelociorem sensum esse, motum mentis suscitantem, theologica prodidit doctrina. Cæterum in hac mentione ingerit se mihi Antagora in poetica non ignobilis festiuissimum responsum: hic enim gulæ non nihil impartendum ratus, congrum intentius coquebat: admonitus super ea re Antigonus, illiq̄ assistens retrō, leniter retractum interrogauit: Puras ne, inquit

quit, ó Antagora, Homerum Agamemnonis & Græcorum rebus carmine celebrãdis distentum, quo pacto congru melius saperent, pensitasse? Fuit illi ingenium in numero: & regegens conuictum, An opinaris (inquit) ó rex, Agamemnonem, cui tantarum rerum onus incumberet, sollicitius perscrutatum, ecquis in exercitu congrum coqueret? Scipio autem Aphricanus iunior, ut inter nostros hunc nec inhonoratum transeamus: quum in Romano exercitu apud Numantiam, milites luxuria diffuere ac delicijs comperisset, insuper & superstitione corruptos, confestim diuinaculos inde & sacrificulos omnes ac productores exigendos curauit: abstulit & uascula omnia, ollis modo remissis, ac uerui, & fictili poculo, etiam argenteo, modo libras duas non excederet. Lauandi usu interdixit. Qui ungi uellent, ipsos sibi operam præstare iussit. Nam, inquit, iumenta, quia manuum usu diminuta sunt, alterius opem indiga requirunt. Stantes quoque prandere coegit, cocti nil apponentes ex opsonijs quæ Græci ἀπύρα uocant, ut quæ igni non sint admota. Ipse sagum fibula substrictum, ac pullum gestans, exercitum lustrabat, submurans identidem, ob militum ignominiam esse se in luctu. Apyrenon obiter aliud, quàm apyron est: nam sic malum uocant punicum, cui minimus adest nucleus, quem πύρα dicunt. Sunt ex ueteribus, qui dulce sic malum intelligere. Anguillam Archestratus apyrenon esse piscium solam cecinit, uelut exolsem ac spinarum exsortem feret: quod reculit Athenæus, ἐγγέλως, ἢ φύσα δὴν ἀπύρον, μόνον ἰχθύς. In Catone seniore apud Plutarchum, ἀπύρον legitur ἀφελὲς καὶ ἀριστον ἀπύρον. Aurum apyron in Herodoto, rûde, intelligit interpres. At Diodorus Bibliothecæ quarto, suapte ui purum. Apyros, id est ἀπύρον, in expertum indicat. Vnde apyros, insolens: ac, ut uolunt, ineptus. tamen non habere Græcos putat Cicero, quo modo ineptum exprimat. Nō temperabo mihi, quin adijciam illud quoque Scipionis eiusdem: qui quum iumēta Memmij tribuni militaris deprehendisset, psycteras gemmatas, & thericia subuectantia: Mihi, inquit, dies triginta, & patriæ: sed totum tibi uitæ tempus, quum sis talis, uanum & inutile profum fecisti. Est uerò psycter, uas ad mensæ usum celebre: meminit libro decimo Pollux, sed citra nomenclaturam nihil. At nos uocabuli ratione etymologica, coniectamus id propemodum recte dici quod Sudas scribit, refrigerandi commoditatibus fuisse destinatum: cuiusmodi uasis etiamnum maximis æstatis ardoribus utimur hac tempestate passim. Meminit in Symposio etiam Plato. Apud Alexin est item psycteridion. Vocatur psygeus quoque, sed & psycteria. Psycteres tamen apud Nicædrum, nemorosa intelliguntur loca, & umbræ multæ, dicata dijs, quod in ijs frigus liceat captare. Psychia nuncupat Athenæus, subterranea loca frige factandæ aquæ æstu anni accommoda. Apyrum uinum interpretatur Athenæus non coctum, quando & coctis ufos priores, annotatum scimus.

Intemperantiæ detestatio. Corpus humanum esse tartarum quædam & pistrinum, ac mortuorum cõceptaculum. Microtrapezi. Centenariæ cœnæ. Italica mensæ quæ intelligantur apud Platonem. Item Italica philosophia. Græcia magna quæ fuerit. Porro de Tarentinis & Sybaritis pauca & uellicatim. Item Siritis, & Polseum ubi. Mitrochitones qui. Necessarij cibi in Plutarcho cuius sint modi. Cap. I. x



Vi intemperantiã brutalemq; prorsus gulæ explendæ uoluptatem amplius grauiusq; infectati sunt, ij mihi appositissimè uidentur fecisse, quo ab insita lædãq; percolandi, ut Seneca uerbo utar, esculenta & posculenta nos cupiditate sequestrarent seuingerentq;: tamen nil me fallit, nec pardum uarietates mutare, nec pellem suam Aethiopem: quum huic affectioni mæcipatum corpus esse ueluti tartarum scripsere: in quo fluctiones graues infestent, & perflatus tumultuentur nō absque æstuosis ardoribus: sitq; planè mortuorum conceptaculum, ac uerius sepulchrum. siquidem uiuentes uiuis neq; alimur, neq; augetur, uerum animalia perimentes, à quibus hæc nobis præstantur, etiam iniurijs efficiuntur, omnimodum illis afferentes interitum, quæ ab eo quod nata erant, in alimentum transmutantur alienum. Adijciunt & illud authores sanctissimi, Multorum animas corpore, tãquam mylone quodam, hoc est pistrino esse obuolutas oclusasq;. Quibus illud rectè insurraris, dignas quæ tanquam ad Mithridatis literas planè omnes eradantur, ut in reliquum ne mu quidem faciant

ciant. Inde fit, ut præclare cum humanis rebus actum iri putem, si quantum naturæ ratio patitur, Aegyptium nobis institutum proposuerimus imitandum: etenim gentibus illis esse ueteris in re funerea moris accepimus, ut cadauera dissecantes, interanea eximant, efficiantq;: reliquum uero corpus iam quodammodo depuratum, abiectis quæ maxime feculenta sunt, condimentis curent, & odorem inferant: etiam si uiros modo eos putant nonnulli, qui & uorare plurimum & bibere ualeant: sed hoc est Barbaris peculiare, ut inquit Aristophanes. Certe alimentorum hæc uix interuallata ingestio, dum Megarensium ritu obsonamus, perinde ac die crastina morituri, mihi uidetur non uitæ modo, ut ferè creditur, esse uaticum: sed magis multo mortis ipsius. inde enim maxima aegritudinum uis, ut non minori sit nocumento explendi studium, quàm illa ipsa inanitio. Nos uero non fecus uentri intendimus nullam non naturæ partem depopulantes, in qua modo comperiat, quod intermorientem appetentiam excitet, ac si una hac dempta cura, consilij inopia uideamur otio immorituri. Nec illud saltem succurrit, eden di, bibendiq; uoluptatem angustissimum in corpore locum habere, & dictum factumq; (quod aiunt) transuolare. At bone deus, apparatus quantum habet negotij, quantum molestiæ? Agnoscamus hoc licet, uel ex Homero, qui deos ideo immortales demonstrare uidetur, quia nec uinum bibant, neq; item cibus uescantur.

ὄν γὰρ σίτην ἐδούσ', οὐ πίνουσ' ἀδοπα σίνοι,  
τὸν δὲ ἀναιμόνεις εἶσι, καὶ ἀβλάμα τὸν καλεῖονται.

Veteres certe Græcos non fuisse in epularum apparatu ualde curiosos, argumento esse Antiphanes potest, qui non citra morsum μικροτραπέζους uocat eos: qui mox in deliciarum chaos sese demiserunt. uelut centenarias taxat apud nostros cœnas in Apologético Septimius Florens, ab centum impendio festertiorū, quando & in lances etiam num tota producebantur metalla. Dum ista commentarer, occurrit mihi Platonis ad Dionis amicos epistola quædam, cuius & Thufculanarum quinto meminit M. Tullius. In ea quum alia multa uitæ in primis conducentia, tum illud obseruauimus, Non fore prius ut malis agitari desinamus, quàm si respublicas capessere cœperint philosophiæ innutriti & probe & recte: aut qui iam administrationi manus admouerunt, uerè philosophari ingrediantur. Qua, inquit, mente Italiam Siciliamq; mihi ad eundam censui. Eò quum appulisse, uitam quam beatam uocant, Italicarum Syracusanarumq; mensarum non potui non summopere improbare. Mos enim illis est iam receptus, bis die saginari epulis ac distendi, noctu uero libidinis socium adsciscere: & id genus alia perficere, quæ uitæ sunt eiusmodi ueluti propagines. Nemo enim omnium ita ab ineunte ætate connutritus, etiam si ingenio sit mirus, prudentiam sibi queat uendicare. Hactenus ex Platone, ut potui, est à me tralatum, in quo philosophi censuram iucundè sum exosculatus. Sed quòd Italicas mensas peculiarius taxat, quarum libro primo meminit Athenæus item, adnumerans Chias quoque, ut de Syracusanis taceam: etenim ciuitatis eius opes, uel pro uerbis fuisse iactatas, Straboni credimus: fateor, mihi stomachum mouitac uelut redemptor & maniceps, toto mihi standum pede pro locato, id est patrijs focis arisq; animaduerti. Suspiciatus sum initio quidem, aliquid uirulenti, & dicacitatis Græcæ subesse uerbis illis. Mox ut me collegi, in eam ipsam gentem facile conuictum retorqueri, conspicatus sum. Iam omnium primum ueterem Italiæ frugalitatem passim ab Græcis & Latinis commemoratam, quis non nouit? Nullo magis argumento Barbaræ gentes, etiam tempestate hac, qua in summum luxus increuisse uidetur, in nos ueneno suo irruunt, proficissa subinde conuiuiorum tenuitate, quæ apud illas missum numerofitate mirè gan eata, & impendij magnitudine, & condiendi anxietate, delicijs distillant. Author ex Posidonio Athenæus est, Italos ueteres ita frugalitate insignes fuisse, ut ad Posidonij tempora, aquam ferè biberent: ac quicquid obijceretur, esitarent: sapiusq; filium interrogaret parens, Apios in cœna cuperet, an nuce? nec pluribus uescentes quieti se traderent. Adde, quòd Archestratus opsophagorum, Hesiodus Theognis ue, lupum laudans Milesium, quem θεόπιστα uocat, non admittendum ad id genus obsonium Italos monet, quoniam in condiendis piscibus insciti præcipue habeantur: etiam si legimus bis die sumptuosius Tyrrhenos mensam solitos instruere, puellulis etiam nudis ministrantibus, ut prodit Timæus, & commemorat Diodorus parte

quadam. Taceo ueteres Romanos, de quorum continentia nemo non differit in libris. Quid disciplinam tetricam ac tristem antiquorum Sabinorum commemorem? Quid transpadanam Italiam hac præcipue insignem uirtute, Plinij Cæcilij astipulatu? Sed testibus res non eget. An igitur tam grauem, tam sanctum, tam præsignem animorum medicum Platonem mentitum uideri uolumus? Absit id à me piaculum. Ego Italicas menses apud eum non alias accipio, quam Græcas; quod si quis forte sciolus, aut Sallustianus Calphurnius risu excipiendum putat, ab derisu non abesse se intelligat. Nonne clarissimum est, philosophiæ quoddam genus Italicum dici? Vnde nuncupationem hanc credimus irrepsisse? An quia id excoluerint Itali? Atqui eius author fuit Samius Pythagoras, quod ex Augustino didicimus, & ante hunc Laertius docuerat. Amplius per Græcorum tantum capita uagata est, desinit in Epicurum. Cur ergo Italica? Audi Plinium ex tertio Naturalis historia: Græci, inquit, de Italia iudicauerunt, genus in gloriam sui effusissimum, quotam partem ex ea Græciam magnam appellando: Audi Trogum explicatius scribentem: Ab Græcis non partem, sed uniuersam ferme Italiam fuisse occupatam, urbibus multis post tantam uastitatem Græci moris uestigia ostentantibus. Quod ipsum comprobat Athenæus quoque libro Dipsosophistarum duodecimo, ni ementitus est librorum ordo & numerus. Quippe Adriam Illyrico mari adiectam, urbem esse Græcam. Item in Apulia Harpos. Postea oram ferè uniuersam à Græcis occupatam circumductu tantum non perpetuo Pisas usque, nec non intus quoque partem haud contemendam. Inde igitur nomenclaturam ducit Italica philosophia, ut quæ à Græcis in Italia parte celebrari cœpisset. In hanc se contulisse Platonem scimus, dum disiectam quodammodo sapientiam sectatur. Architam siquidem adiit Tarentinum, item Timæum ac Philolaum Pythagoreos in Locris. Iam Tarentinas delicias quis non nouit? quando & primo Legum apud Platonem Megillus ciuitatis uniuersa uinolentiam in Bacchanalibus se uidisse, non inficiatur. Thurion, siue Sybarin eo tractu sinui Tarentino adiacere, ex Ptolemæo scimus omnes. Horum uero incomparabilem molliciem quis non legit? Sybarica certe uocant Græci omnia impendij maioris. Parthicam sybarim in Crasso dixit Plutarchus, & ab eo mutuatus Appianus, apparatus spectaculi lasciuum prurientemque inter pellicum seriem numerosam, & id genus alia complura. Sybariticam mensam Zenobius glisceram intelligit, & ut Plautus inquit, ritu barbarico operam. Scribit in Moralibus Plutarchus: Illud fuisse ueteris apud Sybaritas moris, ut conuiuia celebraturi anno prius per uocatores foeminas inuitarent, quo luxuriosius gemmis, auro, unguentis, uestibus exquisiti impendij cultæ omnium in se ora conuerterent. Artes porro, ait Athenæus, quæ sono constant, ab ciuitate reijciunt, ne quæ ratione interpellentur quies, quin gallos quoque in urbe connutriti recusabant. Habere in delicijs & staturæ exiguæ homunculos & scopaos quoque, ut inquit Timon, qui ab quibusdam stilpones uocantur: ac cynaria Melitea, id est catellos Melitenses, quos uel in gymnasia consecrarentur. Iuniores æstiuos transfinitunt ardores per delicias maximas apud nympharum antra, quas dicunt Lusadas. Prædiuites si quando iustificationis subeunt desideria, curru quidem uehuntur, sed ita ut diurnum iter tribus uix diebus conficiant. Amidas excogitarunt primi, id est matulas, quas etiamnum conuiujs intulisse gaudent. Hæc est Italicarum apud Platonem mensarum ratio. Quæ eo procliuius adnotauimus, quod iam audimus quasdam de Plautina (quod aiunt) familia, ad detrahendum modo sciola, de Platonis decreto, ut ipsi garrunt, nos uellicare, ut molliculos & gulones, ac pelusiotas nescio quos, & luteos, animalesque, nil suspectantes prorsum, sed Saturnalia in infinitum extendentes. Sed & Maronis autoritas nostram approbat opinionem: sic enim Aeneidos tertio legimus, Heleno loquente, qui tum in Epiro constitutus proximam habebat Apuliam & Calabriam: sic uero Aeneam commonet, Has autem terras, Itali que hanc littoris oram, Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu, Effuge, cuncta malis habitantur moenia Grai. Fuere in eo tractu Sirita prope Metapontum, quorum urbs dicta Siris est, cum nominis eiusdem fluuio. Sed & Polieum à Poliade Minerua, siue Poliacho apud Ilium. Hocce non Sybaritis minus in molliciem collapsos, Græcis credimus: nam floridas illis tunicas

cas gestare fuit moris, quas etiam mitris, hoc est cingulis impendij eximij præingerent: quo nomine ab adiacentibus populis dicti Mitrochitones, quoniam disinctos Homerus amirochitonas nuncupet. Siritarum denique felicitatem ampliter admiratur Archilochus. Impositum uero ciuitati nomen ab Siride muliere, ut Timæus inquit, ac significat Euripides: quamuis ab flumine malit Archilochus. Necessarios cibos, id est *βρωσις ἀναγκαίως*, dici in Plutarchi Parallelis obseruauimus, homini insuetos, & omnium penuria quæsitos. Denique inquit, præter famem crassante morbo, uti assolet, *ὡς βρωσις ἀναγκαίως τρεπομένη*, in reliquos qui superfluerant, abduxit.

Voluptatis genera tria. Luxus Asiaticus, & Ionicus. Enarratur locus Propertij & Horatij alter. Ioniam, pro uiolarijs, Rhodonia. Crinonia. Anthos porphyrium. Papauerulum. Papauer. Cionia. Cionuas. Farraginarum. Ollarhoduntia. Ion, id est uiola, cur dicatur. Violam cur uocent Latini. Ionium mare. Milesius sermo, & fabellæ Milesiæ. Læstrygonas esse Leontinos. Attica bellaria. Siculorum mollis uictus, & Leontinorum. Vmbriæ cœna, & Homerica. Anagogæ, & catagogia. Mirum de Syracusanis. Caupones Italici. Caput x

**A**lexis poeta Thurius, siue Sybarites, comœdias ædidit plures. In earum quadam, ueluti terrarum orbi sanciret leges: Decere, inquit, modestissimum quæque uoluptates consciscere. Eas uero esse tres, quæ dubio procul uim possideant uitæ conferentem, *τὸ μέγ, τὸ φαιεῖν, τὸ πῖς ἀποδῆναι τὸ γυγναι*, hoc est potum, esum, Veneria. Cætera uero omnia dicere, inquit, oportet *πὸ δῖνας*: ac si addita dicamus. Huius uero comicæ, & adeo grauis sententiæ, perinde ac ex diuiniore quopiam oraculo prodijisset, admirari succurrit, quam agminatim & confertim constipateque mortalium plurimi consecratores se profiteantur, & ueluti sponte, Volonum insar, nomina dantes decuriandos sese exhibeant, eiusque unius fiducia conturbent. Asiaticas illecebras & popinationes ex paulo politioribus non ferè est, qui non legerit. Quoniam lautitia inde, & immodici sumptus, ac non necessaria uoluptatum genera ortum habuere, & fusa mox latius, ac uelut incendium euagata non paucos in perniciem emoluidis fluidisque moribus pertraxere. Ioniam legimus omnium primam unguentis delibutam ornatamque corollis in conuiuio decubuisse. Mensæ quoque secundæ, insigne luxus frumentum, non aliunde irrepsisse uidentur. Ut minus mirer Sybaritas luxuriæ mancipatos, sicuti in Sudæ monumentis proditur, inter mortales cunctos Ionas eximie colere, ac exoculari assueuisse, quod inter Græcos mollicie præsignes maxime forent. Nam & Plutarchus scribit: Alcibiadem, qui ferè polypi & chamæleontis miram exhibebat naturam, in Lacedæmonia fuisse feuerum & grauem, & quod illi plurimi faciunt, pugnatorem egregium. In Ioniam uero inertem, mollem, uoluptarium, fluxum: pollucto nunquam non addictum, etiam si pollincto uideretur dignior. quod hæc adeo sint eius gentis peculiaria, ut in comicis Græcis Ionicum pro molli & delicato positum inuenias. & Ioniam nonnulli callitrapezon uocant, ac trypheram. Hoc eo libentius appositum, ut Propertio ferremus opem, & poetæ illius studiosos nostris lucubrationibus inuarem pro uirili. Eum uero conuelli magis audio, etiam ab doctissimis, quam enarrari. Propertij uersiculi sunt hi:

At tu, seu mollis qua tendit Ioniam, seu qua

Lydia Paetoli tinguit aratra liquor:

Enarrantur & ijs Horatiani uersiculi ex tertio Carminum,

Motus doceri gaudet Ionicos Matura uirgo.

Ioniam nunc Asiæ regionem intelligo: cuius ciuitates numero duodecim celebrantur ab eruditibus. Nam scribit Stephanus, Ioniam prius, quæ nunc Attica est, fuisse nuncupatam ab Ionio Apollinis & Creusæ filio. Sit uero illud auctarij loco: nam studiosorum emolumento libenter in parerga excurrimus. Ioniam, si accentu uinculam in postrema recipiat apud Græcos, locum signat, ubi uiolæ nascuntur, quæ dicantur ia: quod probat Libanius: sicuti rhodonia, ubi rosæ. Sunt qui plantam ipsam eo nomine intelligant: quamquam est & ganeati genus condimenti rhodonia, in Athenæi monumentis. Sed *ῥοδονία* inquit *ῥοδῶν* nuncupatur quoque, id est olla rhoduntia: concinnabatur autem cerebellis

bellis ac porcorum in rosa decoctis numerosiore, addito item garo, oleo, uino, pipere, ouorum luteis, quæ is uocat *ῥῖν ὠμὴ τὰ γρυσά*. Obiter illud ex Græcis compertum mihi *ἑκλογὴν πρὸς γαργυρίας* undecimo, quod & nostri obseruarunt: Ion dici, quia quum foret in uaccam lo deformata, illius pabulo repens uiola prodijt, quæ a nobis uideri dicta potest, quasi uitula. Verum ad Ioniam redeo, ne uidear uelut de spatio ablatas. Ab alijs autem floribus, inquit in thesauris suis Pollux, an fiant id genus deriuationes, non noui. Cur non nouisti, uir doctissime? Crinonia in tuis authoribus locus nuncupatur, ubi crina habentur, id est lilia. Nam & Latine farraginaria, pro loco dicitur ubi feritur farrago. Ionæ, pro uiolario meminit in Pace Aristophanes. Sunt quibus ionia uideatur flos, is qui purpurarum ac buccinorum est proprius, ab Democrito nuncupatur anthos porphyriion, inter papauerulum & ceruiculam, quod in Athenæi relatum thesauris est. Dicitur uero papauerulum buccini pars ima efulcanta. Est tamen eodem authore, callus pinnæ interior, & conchilij quoque papauer. Verum in Dioscoride non ionia, sed cionia legendum arbitratur Hermolaus Barbarus, ut columellam intelligamus: quando & uulgo cionion dicitur uitreum uas, seu cion. Rhodoniæ uero meminit Aristophanis interpretis: meminit Demosthenes quoque. Crinoniam Sudas non prætermisit. Ionium autem mare ab Ius nomine nuncupatum ferunt: etiam si ab Illyrio uiro Ionio, mauult Theopompus. Nam Archidamus etiam ab Ionibus, in eo qui naufragium fecerint. Milesius Apulei fermo, ex Ionum mollicie originem ducit, pruriens ac lasciuus: Nam & Milesias dici fabellas, norunt omnes. Iulius Capitolinus in Clodio Albino: Milesias nonnulli eiusdem esse dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamuis mediocriter scriptæ sint. Et paulo post ex Seueri epistola: Quum ille nænij quibusdam anilibus occupatus inter Milesias Punicas Apuleij sui, & ludicra literaria consenesceret. Milesiorum figmenta in scholis solita decantari, scribit aduersus Ruffinum Hieronymus. Athenas nemo unquam pro dignitate laudasse satis uidetur: inde enim humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur. Vera sunt ista propemodum, non imus inficias. Tu tamen tam exulta, tam grauis, tam philosophiæ confectrix ciuitas Alexidis sententiæ & ipsa calculum adijcis in gastrismo, id est uentris indulgentia. Literis siquidem tuis proditum est, immo ne tergiversari queas, ab tuis ciuibus mandatum memoriæ, Attica bellaria fuisse lauta admodum & pollicibilia, quæ cupidiarum excellentia frontem matutinam quoque prolectarent. Meminit tertio De republica Plato. Quid uero de Siculis dicam, etiam si acutis & controuersis natura? Mensas quidem Syracusanas, quarum meminit Lucianus, nec Zenobius pertransiit, ab philosopho iam damnatas taceo. Synesius in commentario De somnijs, Siculorum uidetur luxum nouisse: Mensam, inquit, Siculam parat: si placet, etiam medicam. Cæterum cuiusmodi forent eius insulæ mores, optimè omnium monstrasse uidetur poeta Philoxenus ex colonis unus, qui in Siciliam missi fuerant: nam quum inibi domum & agros sortitus esset feraces, unde alij abundè posset, indigenarum uero mores prælauros animaduertisset, ac nimio plus delicatos, & multam præferentes incinnitatem, *μηδὲ οὐδὲ θεῶν, ἑσπερ, ἐμὲ τῶν τε τὰ ἀγαθὰ καὶ ἀπολαί, ἀλλ' ἐγὼ τῶν τε*. Non per deos, inquit, hæc me in perniciem bona dabunt, sed ego ipsa potius. Et cum dicto relicta socijs forte, enauigauit inde. Leontinos in eadem populos insula scribit Diogenianus, inter pocula obuersari assidue cum maxima solitos foeditate, in quam calamitatem Phalaridis sæuitia uidebantur recidisse, à quo uicti bello & armis exuti, ne mox res nouas affectare possent, conuiuiorum hilaritatibus & uinolentiæ sunt relicti. Ab ipsidem quoque in Eryce populis religiose cultam legimus Venerem, cuius honori dicabantur anagogæ. Hæc uero intelligebantur, quum in Libyam inijisse peregrinationem credebatur dea, cum qua simul emigrarent columbæ, quæ mox catagogijs redirent nono die post, una primum è mari aduolante ac subeunte templum. Scribit Lycophronis interpretis, Læstrygonas esse, qui nunc in Sicilia dicantur Leontini. Prodidit Stephanus, Læstrygonas cum Cyclopiibus primos Siciliam incoluisse. At Plinius libro tertio: Formiæ, inquit, antiqua Læstrygonum sedes. Siculos, ut ingenio pingui, damnant Græci. Plutarchus de Timæo: Non Lydium, inquit, currum pedes assequitur, ut ait Pindarus: sed rudis est omnino, ac puerilis, &, ut inquit Diphilus, pinguis, *ὠνθιλενυμλίθ' σέρετι σκελεκῆ*, id est

id est adipe foedatus Siculo. Scribit Cicero, Siculam gentem esse acutam, & natura controuersam: unde factum, ut Siculi Corax & Tifias dicendi præcepta condiderint primi. Sed omnem excedit admirationem quod de Syracusanis apud ueteres obseruatum legimus: lege siquidem sancitum illis fuit, ne mulier ulla pretiosius ornaretur, nisi se consumptam prius esset confessa. Cæterum & uiris cautum quoque, ne sumptuosiores uestem induerent, nisi aduersos auerosque impudicos se comprobassent. Vmbriça tamen symposia paulò opulentiora uidentur Plutarchus accipere in Symposiacis: Ad cœnam, inquit, uenit unusquisque proprium ferens uentrem, qui non expletur, eo quod æquale est, sed quod sufficit. Vmbriça autem conuiuia illa nil opus est ex militaribus & castrensibus cœnis huc transferre: sed & Homericæ ualere sinamus, subfamelicæ enim sunt, siticulosa: habent quoque hestiarças, id est modiperatores reges, uel Italicis cauponibus difficiliores: qui inter pugnandum, ubi micant gladij, & atrocissimus uisitur Mars, obiectare non desinunt, quantum quis apud se haulerit. Hucusque Plutarchus: ex quo propter reconditiorem doctrinam, pluscula transferre collibuit. Quod tamen de Italicis refertur cauponibus, scire conuenit, esse id haud perpetuo uerum, quod ex Polybio liquet. Historiarum secundo, in Italiæ descriptione. Super Vmbriçis uero conuiujs scrutabar impense, æquid in ueteribus memorijs reperire esset, unde qualiscunque demianasset luxus is, ac comperiebam in Aristotelis libro, si modo non inistitius est, *πρὸς βαμμασίαν ἀνευσμωπῶν*, apud Vmbros animalia ter quotannis partum ædere: terram uero largiores semper fructus producere, quam demessuerint prius: mulieres item esse *πολυγόνους*, id est præfecundas, raro siquidem unum parere, duos uel tres sæpius. Esse uero Vmbros Græci scribunt, in Padi medullio, & Picentum. Sed & Simbros quandoque dictos, inuenio. Hosce item ut delicatioris uitæ ac conturbatores in primis Abrodiaços ab Græcis incesse comperio, ac compari Lydis ratione uitam transigere consueisse. In Vmbriçis tamen parsimoniam laudat poeta Catullus. Terram uoluptariam significantis à Græcis *τῆμπε*, inquit Hieronymus, dici.

Victus frugi ex Platone. Mensa sacra. Gulæ infectatio breuis ex Porphyrio. Dioscurorum prandium Athenis. Mensa Aegyptia, Democratica, satrapica. Rogatiani historia minus uulgata. Athletarum suggestio foeda. Edacium catalogus. Addephagiæ templum, & Cereris *στῆς*. Megalartus. Megalomazus. Sphæram habere bona sua, quid. Terpsion gastrologiæ author primus. Voluptatem esse monochronon. Cur unus tantum homo ciborum appetat diuersitatem.

Caput XI



Hæc est Abronum uita, hic luxus omnia gulæ studio prodigētium, ac nerutis quidem, & cælis solum sibi paternum omnino relinquentium. Hi ganeones, profligatoresque, & quibus animam scias pro sale datam, quorum uita sagina est. Sed age: ex Platone eodem, unde exorli sumus, mutuemur uicissim, quæ ad sanitatem Apitios, qui uisuntur etiam hac tempestate plures, reuocent, mensarum compressa suffrenataque uoragine. Quoniam sicuti astruebat Democritus, ambitiosam mensam fortuna, parca uirtus apponit. Et Censorius Cato: Cultus, inquit, magna cura tibi, magna uirtutis incuria. Igitur constituturus philosophus hic semper fere diuinus ciuitatem: quæ sui prius, quam aliorum compos fiat: quæque non tam terrorem gentibus, quam uenerationem sui nominis augustiorem sit iniectura, ueluti cælestis quædam res propioribus lineis expressa in terris: inter alia diuiniore ingenio excogitata, etiam quæ ad uictus rationem spectant, tam sapiens, tamque admirabilis conditor minus neglexit, ad retundendam helluantium, & familiam pecuniamque suam mutitationum gurgitibus proluentium lasciuientem gulam. Nam libro secundo De iusto, sic ferme scribit: Aestiuis, inquit, temporibus parte plurima, neque uestibus sulciuntur, neque item calceis. At hyemalibus utraq; ad comodum adhibebuntur. Panibus uescuntur hordeaceis, aut etiam frumentaceis, quibus calamos subijcient, aut frondes puras. Ipsi uero substratis ex milace ac myrto lectulis, decumbent cum liberis, coronati interim, nec uino abstinentes diuinis laudes concelebrando: ut ita hilarius uiuant, ac iucundius, nec filijs operam dabunt, præter rationem calculorum. Porro opsonia non alia erunt, quam sal, oliuæ, caseus, porrum, olera quoque ex agris ueluti pulmenta. Adijciamus

mus & bellariorum aliquid. Sint uero hæc, ficus, cicer, faba, myrti bacca, quæ uocant myrta, necnon ex fago glans prunis tosta. In potu autem summum adhibeatur temperamentum, ut hac ratione salubriter confenescant, ac tranquille, uiuendi exemplum posteris relicturn. Hoc est nobile Platonis decretum: hic fundus, & esitandi fundamentum omne: quod quam uerum, quam sanctum est, utinam tam id festiuite excipiamus omnes, ut mensam sacram & mitem, sicuti scienter inquit Synesius, turgidæ incipiamus, ac nuptijs repotijscq; anteferre: & Apitiij, ac Paxami iura, ualere iam sinamus, ne dum factura pergliscit, opimaturq; corpus, nubilum menti prætentatur cimmericum. Quod eo esset præstandum procliuus temperiusq;, quoniam doctissimus quoque Porphyrius uentri mancipatos homunculos, immundorum demonum uasa fieri scribit. Seruatum uero Athenis Græci tradunt, antiqui uictus exemplum, quum Dioscuris in Prytaneo apponeretur prandium: mensis enim inferebatur caseus, ac physte. Est autem eo nomine, maza species. Oliuæ quoq;, quas drypetes uocant: item porrum. Mensa uero Aegyptia cuiusmodi foret, nam neq; hoc ab proposito dissentaneum est, ex Philostrati uerbis licet coniectare in Dionysio sophiste, quem ab Adriano imperatore illis insertum tradit, qui in museo pascerentur. Museum uero, inquit, mensa Aegyptia, conuocans omnes in orbe terrarum eloquentia illustres. Adnotatum in Græcis authoribus, Democraticam uocari mensam, quæ sumptu modico plures alat, cuius fuit modi Atheniensis Cimonis. Satrapicam uero, quæ impensa nimia *δλίγυς τρυφώντες*, id est paucos admittat delicijs diffuentes, qualis uisebatur Lucullea: unde illud in adolescentem, *πλητῶν ὡς κελος*, *ζῶν ὡς λυκονομα*, *λεγων ὡς κἀπυ*. Cæterum prius quam inde digrediamur, succurrit exemplum frugalitatis nobile senatoris Rogatiani, cuius idem meminit Porphyrius. Is ergo sapientiæ studio egregie intentus, nil habebat antiquius, quam ut quantum ratio pateretur, animum ab uitæ cogitationibus seuocaret, quam obrem nec bonorum curam omnino ducebat, quin & seruos à se reiecit, nec ullos unquam honores admisit. Nam proditurus quandoq; prætor, iam licitoribus illi apparentibus, nulla profus dignitatis habita ratione, nec prodire quidem sustinuit. Imò & propria domo relicta, apud amicos diuertebat, contentus semel interdium dedisse operam cibo. Quæ uiuendi ratio tam incuriosa, tamq; sui negligens illuc demum profecit: ut quum podagra infestaretur prius, mox tanquam in multos annos impetratis inducijs, aut diffiso die, ita conualesceret, ut manuum pedumq; munere non uteretur secus ac quilibet maxime uigentium: qua quidem re factum est, ut uerè synceriterq; philosophantis insigne esset, ac haberetur exemplar. At obsecro, Herculis polyphagiam, ut Græcè dicamus, & polyposiam, quis non nouit? Quin Vlyssis edacitatem, ac læmargiam, & luxuriæ effluenscentis æstum ex carmine Homericò aucupatur Athenæus. Iam Theagenes Thalissa athleta taurum uorabat solus: quod in Epigrammatum libro prodit Posidippus. Milonem Crotoniatam scribit Theodorus, carniuum minas deglutisse uiginti, & panis totidem, uini choas persicasse tres: sed & in Olympia quadrimum solus per diem absumpsit taurum, per stadium antea humeris circumlatum. Astydamas Milesius ab Persa Ariobarzane uocatus quandoq;, quicquid omnibus destinatum foret, uoraturum se repromisit, impleuitq;. Sed de athleticis non magnopere mirandum, quando ipsum hoc profiteri uidentur: propterea in Autolyco primo Euripides, Multa quidem inter Græcos mala uersari scribit, athletico tamen genere nil prorsum haberi peius, ut qui malarum serui sint, ac uentris. Carmen ipsum quod arrisit insigniter, etiam apposui:

*Κακῶν γὰρ ὄντων μνησίωμ καὶ ἐλλοδία,  
οὐδὲν κακίον εἶμι ἀδελφῶν γήϊους.*

Cambleta Lydorū regem, scribit Xanthus in id uorandi studio euectum, ut nocte quadam uxorem quoq; absumpserit: quumq; summo mane illius manum in ore comperisset, semet iugulasse. Rhodij Timocreontis edacitatem, ac bibendi auiditatem, sepulchro insculptum declarat distichum:

*Πολὰ τῶν καὶ πολλὰ φραγῶν καὶ πῶλα καὶ εἴπω  
ἀνθρώπων, καί μαι τιμὸ κρεῶν εἶδι.*

Quid, quod in Sicilia Addephagiae uisebatur templum, id est edacitatis: ac Cereris statua, quæ dicitur *σιτώ*: Velut apud Bœotiae Solum Megalarti, & Megalomazi. Alc-

man

man poeta pamphagum uocat semet. Ac sunt hæc quidem patrimonía non deo pollutentium exempla, sed gula: quid uero pollutentium dico, tanquã bonorum decumanti contriuisse, putent satis: imo uero sua omnia, & se deniq; deuoluentium in barathrum sic, ut in pollutentura, ne super sit quidem quod funeri infundatur. Eiusmodi fuisse Sippium, Plutarcho credimus. Eleganter uero id genus hominum dicitur poetæ, præsertim Græci, bona sibi habere uelut sphaeram, quæ in uentrem facile deuoluerint. Diodorus, inquit Alexis, annis duobus *σφαιρῶν ἀποδείξε τῶν πατρῶων δόλαι*. Terpsiona, Archestrati præceptorem, omnium principem gastrologiam conscripisse, compertum nobis ex Græco penu. Voluptatem Aristippus esse monochronon dicebat, id est temporis unius, quoniam præterita ad nos pertineat nihil, futura nec dum ad sit. Sed enim quæ rarior forsan curiosior aliquis, unde sit potissimum, quod inter cuncta animantia unus homo ciborum expetat diuersitatem, reliquis uel uno contentis, uel omnino longè paucioribus. Difficultati, & quæstionis inolucro sic ferme occurrunt naturæ uiri capaces: quod nobilitatis magnitudine, producta omnia humanis destinētur usibus, id quod in alijs non sit. Porro & constitutionum uarietas in uno tantum comperta est homine. hunc enim temperatum astruimus, sanguineum illum, alium phlegmaticum, & deinceps. Nam in specie sua, bruta sunt omnia, uel pituitosa, uti fures, pecudes; melancholica nonnulla, ut cerui, boues: unde fieri, ut homini alimentorum genus non unum uideatur necessarium. Deniq; animale nos appetitum insequimur, qui ideo uariis probatur, quoniam ad opposita se habeant eius potentia. In brutis appetentia uiget naturalis, cuius ratio est alia.

Qui sit in Familiaribus epistolis, trapezophorus, contra omnium hætenus enarrationes. De trapezophoro item intellexisse Iuuenalem. Mensarum genera. Atlantes, telamones, magides, xylon. Troianorum mensæ. Monopodia. Mesa, quæ & mensa. Abacus. Cap. xii



Vum M. Tullij Epistolas familiares enarrarem Patauij maxima prouincia lium frequentia, nec abdicatis tamen nostratibus, incidi in Epistolam ad Fabium Gallum, ex libro (ni fallor) septimo, in qua ita legebamus: Trapezophorum, si te delectar, habebis. Id uerbum tanquam obex molestior, multum iniecit moramenti, quod non ita frequens uideretur: & interpretes, ut plerunq;, auribus paulo erectioribus minus satisfaceret. Sed quum in Græcorum penu diuertissem, uasarijs omnibus (quod aiunt) excussis, tandem quod inquisitioni diuturnæ & sollicitæ fuerat, sum uisus reperisse. Si quidē in libro Iulij Pollucij decimo, ita legi: Licet porro mensam in qua pocula reponuntur, tetrapum dicere, aut etiam monopum: uel, si quis ambrosene nouis quidem abstineat, trapezophorum, uelut qui mēsam gestet. hæc Pollux. Qui & si non omnino uetus uerbum putat, trapezophorum: interpretis tamen refellit incertiam, in eo hallucinantis maxime. Nam etiam si in ueteribus Græcorum libris in ea notione trapezophorus non fere cōperiat, quis tamen incicias eat, Ciceronis ætate in usu fuisse. Pollux certe negare non uidetur. Nam alibi, mensam coquinariã ab iunioribus dici, epicopanon scribit: & tamen infert statim, uerbum id extare in Menandri Messenia. Verum & apud Iureconsultum Florentinum, Digestis de supellecti legata, id uerbum reperias notione quam præstruximus. Porro quis unquam uel legit uel audiuit, Sacerdotis, quæ dicta sit trapezophoros, statuam, ut rem plane uisendam, ac uelut obryzatum omnino nummum, circumferri solitam? Quid tam præsignè in Palladis ministerio uel fecit illa, uel excogitauit: ut non absolum sit, huiusmodi honores illi fuisse contributos? Præter nomen uix aliud reperias quicquã de ea in literis. Quod ita esse, significare uidetur Harpocratio, à quo exponitur ea dictio. Ego uero trapezophorum intelligo apud Ciceronem, statuam, quæ poculorum mensam sustineret. Nam ex Vitruuij doctrina manifesto liquere omnibus puto, Imagines hominum exsculpi solitas, quæ columnas subiectæ fulcirent, aut tigna, uel id genus alia, quas Græci atlantis uocent, Latini telamones. Quo in genere habentur, quæ caryatides uocantur, necnon epistylia sustinentes statuæ Persicæ: Quod & nostris temporibus nullo non in loco conuiscitur. Sed in re confessâ, nimis multa. De trapezophoro puto etiam Satyrum nobilem intellexisse, qui & nostræ sententiæ addit tibicinem;


x Lectus



Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex  
Ornamentum abaci, necnon & paruulus infra  
Cantharus, & recubans sub eodem marmore Chiron.  
Si cui non triuialia placent magis, quod ab Luscinia Coccycem nequeat dispare: pla-  
ceat, opinor, & Cyprij bouis merenda. Lego in nostris monumētis, & apud Varronem  
in primis, fuisse apud Romanos uinariam mensam rotundam, quæ diceretur cyliban-  
tum, à poculis quæ κύλικας Græci uocant. Item mensam alteram lapideam quadratam  
oblonga columella suffultam. Hanc cartibum, ab gerendo appellarunt, mox & cartibu-  
lum. Tertium mensæ genus quadratum & ipsum, uasis modo destinatum, dicebatur ur-  
narium, quod urnas cum aqua positas ibi potissimum habebant in culina. In Iulij Pollu-  
cis Onomastico inueniuntur hæc: Erant, inquit, mensæ primæ, secundæ, tertiæ. Tripo-  
das dicebant, quibus illæ superponerentur. Nam mensas ipsas etiam magidas nuncu-  
pabant, ut est apud Sophoclem. Mensam nummulariorum, Demosthenes xylon uoca-  
uit, alij etiam pinaca. Fuit & mensa, quæ diceretur logisteria. Illud adijciendum. Mensas  
Troianorum, de quibus est illud Virgilianum, Heus etiam mensas consumimus, in-  
quit Iulus, ab Græcis interpretibus tradi selininas fuisse, id est apiastras: uel ex panis  
portionibus præduris. Cæterum quæ mensa est apud Virgilium, citra N à Varro-  
ne dicitur mesa, quia mediâ poneretur, originatione nimirum Græca. Scribit Lilius,  
Cn. Manlio Volsone de Asiaticis triumphum ducente, luxuriæ peregrinæ originem  
primum inuectam in Urbem. Inde lectos primo gratos, & uestem stragulam preciosam,  
plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia,  
& abacos adduxere milites. Tunc psalteria, sambucistræq; & cōiuualia ludionum oble-  
ctamenta addita epulis. Tum coquus, uilissimum antiquis mancipium, & æstimatione  
& usu in precio esse: Et quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta.

Quid sit apud Platonem, Narthecophoros esse multos, Bacchos uerò pau-  
cos. Bacchus quid. Ebrietas animæ duplex. Nectar quid. Bacchus cur So-  
ter. Sphaltes. Enorches dæmon. Enorchus. Bacchus cur iuuenis & senex.  
Caput

XIII

 Vi Socratica instituta Christianæ integritatis esse idolum quoddam & ima-  
ginem, aut saltem umbram, scriptis prodideratq; Instrumentum Vetus Pla-  
tonica confirmari theologia: ex qua, ueluti ex equo Troiano, innumera pro-  
dierint doctrinarum lumina: nouum uero, Socratis moribus, & sapientia:  
hi profecto, absit inuidia uerbo, uel soli, uel cum paucis admodum, rerum altitudinem,  
quam illorum hominum ingenij arcana ratione artifex Deus inseruit, concepisse ui-  
dentur. Nam ut de alijs nunc discussio non fiat, nec examen acrius: quale obsecro illud  
est, quod ab Socrate in Platonis libro De anima, disseritur? Nam quum inculpatū phi-  
losophi meditationem in eo uersari docuisset, ut animam seiungat diuellatq; à corpore,  
quoniam uerè ingenueq; philosophantem ita prorsum sentire necessariū est, se non alibi  
purius sapientiam comparaturum, quàm in futura post mortem uita, addidissetq; uirtu-  
tem ueram in purificatione consistere, quæ fortitudine, iustitia, temperantia & sapien-  
tia demum contingat: mox infert, Quamobrem qui mysteria sanxere, haudquaquã ne-  
gligendi sunt. Nam arcana quadam ratione impense nos uidentur admonere, quisquis  
inferos petat, non ita expurgatus & initiatus, in cœno eum uolutari: quæ maxima tur-  
ba est: at qui secus, cum dijs agere. Propterea inquirunt: Narthecophori quidem multi,  
Bacchi uero perpauci omnino. Sunt uero hi non alij, quàm recte philosophiæ myste-  
rijs imbuti. Quid his paucis uerbis sanctius? Quid Christianæ ueritati magis consenta-  
neum? Religionem, inquit, sanctitatemq; præterdunt quidem plures, sed quoruſquiq;  
culpationibus reclinatis, quas uitæ deprecatur castitas, scopū pertingit, aut induit per-  
fectionem: passim quoq; uocantur omnes, electorum tamē mira paucitas: nemine non  
discum potius audiente, quàm uerè philosophantem. Nam & Chrysoſtomus: Multi,  
inquit, sacerdotes, & pauci sacerdotes: multi nomine, pauci re. Non omnis sacerdos san-  
ctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Non uestis tenera, uti est apud Hieronymum; cleri-  
cum facit, aut sacerdotem: sed casta mentis intentio, humanæ proprietatis retinentissi-  
ma, quæq; peccatorum proluuium prætextu nullo exemptum purgatumq; eat. Sed cur  
nam

nam Bacchus pro germano philosopho aut uiro ad unguē factō, ut poetæ uerbis utar?  
Bacchum Platonici putant quandoq; principem ac summum quendam sacerdotem.  
Hunc bis natum ab mythicis confingitradunt, qui significant futurum sacerdotem,  
statim initiatum renasci oportere: uel sacerdotis perfecti mentem deo penitus ebriam  
uideri iam renatam. Hoc ne quis miretur, scimus ab Musæo tradi, mirum iustitiæ pre-  
mium perpetuam uideri ebrietatem. Quod ipsum antea per Dionysii sacra Orpheus  
inter ueteres theologos perillustriſ significauerat. Cui propheticum illud non dissenta-  
neum est, Inebriabor ab ubertate domus tuæ. Ebrietatem in anima duplicē intelligunt  
periti: nam & potus est duplex. Quippe pars illa purissima altissimaq; qua uel susten-  
tantur diuina, uel cōstant, nectar uocatur, & deorum esse creditur potus. Inferior uero  
ac turbidior animarum potus nuncupatur: diciturq; in ueterum doctrina Lethæus flu-  
uius. Anima igitur in corpus iam iam lapsura, ubi ad inferiora defertur, syluestrem tu-  
multum, ut Plato uult, incipit sentire, delibutaq; ac grauata uinolēta (ut sic dicam) allu-  
uione, diuinorum obliuiscitur, & circa terrena delyrat: dumq; corporeis amplius oble-  
ctatur & pacitur, in corpoream degenerat naturā, totq; ac tantis offunditur erroribus,  
ut mentis acie hebetata, in ijs tantum ueritatem quærat, quæ imagines sunt & umbræ,  
ut Plotinus docuit scienter. Deceptio uero hæc inter mala prorsum maxime noxia. Et  
hæc quidem ebrietas una est, grauis ac pestilens, ob quam eleganter recteq; anima infra  
se & extra se constitui dicitur. Huiusce uero ebrietatis initium statuunt craterem Libe-  
ri patris inter cancrum leonemq; locatum, quia descēsuris animis illic sylua influat pri-  
mum. Altera uero, quam nectaris conciliat potus, fragilioris nature, labentisq; obliuio  
nem inducit. Anima ita affecta diuinis intendit, illa contemplanſ ueneratur. Cæterum  
excellentium rerum fulgore corusco quasi hebescit primo, aut mirandæ dulcedinis suc-  
cum prægustans suauiter, insueto quodam ardore nouum induit habitum prioris obli-  
ta: Sed post paulo prægustatam diuinitatis iucunditatem iam largius clariusq; intuens  
inenarrabile ducit inde alimētum, extra se quidem, sed & supra se posita. Ex ijs opinor,  
liquet acrius intuenti, quid ita Bacchi nomine summam sacerdotem aut deo inherē-  
tem uirum laticeſ nectareos haurientem Platoniorum secretior doctrina intelligen-  
dum dederit. Apud grammaticos est piscis nomen bacchus, quem chellarem uocant  
& oniscum. In oppido Herminthi taurus soli consecratus colitur, bæchin cognomi-  
nant: eius color in horas mutatus euariat: hirsutie mira in primis, in diuersum fetis ab-  
euntibus, quàm sit animantium cæterarum natura. Quod uero de nectare facta mētio,  
amplius sciendum, esse qui nectar interpretentur uinum in Lydiæ Olympo concinna-  
tum fauis promixtis & floribus odoratis. Anaxandrides non potum accipit nectaris  
nomine, sed cibum. Succinit Alcman quoq;. Sappho etiam ambrosiæ craterem dicit.  
Sed nec Homerus esse deorum potionem nectar nouisse, creditur. Bacchum præterea  
legimus σωτήρα nūcupatum Græcis, quod eos in Myſia, Telepho grassante, seruarit,  
obiecta forte illi uite, quæ res ab dolo id genus dicta Sphaltes est. Soteris Bacchi com-  
meminit Plinius, sed ratione alia. Dæmon enorches apud Lycophronē Dionysius in-  
telligitur in Lesbo. Thyesten nanq; cum sorore Dara coeuntem genuisse Enorchum  
memorant: à quo sit conciliatū nomen deo, sed muto & scēdissimo: aut certe quoniam  
eius mysteria cum saltatione celebrarentur, id est μετ' ὀρχήσεως: uel etiam quia puden-  
da quandoq; ficulnea, & pelliceos sibi assuisset phallos ceruorum. Apud Homerū Ilia-  
dos ὄ, enorchas testes habentia intelliguntur, cuiusmodi fluminibus immolari cōsue-  
rant. Bacchum item nunc iuuenem expingebant, nūc senem, bibendū intemperiem si-  
gnificantem, uel contra: addebat & caluitij deformitas, quia uinolentorum est, arca-  
na prodere. Nam & Alcaeus inquit, οὐκ ἔστιν ἀνθρώπου διονυσίου. Atheniensibus sacra  
Liberi fuisse præcipua, scribit Dion. Ea quum Adrianus in ueste indigena cōcelebraſ-  
set magnifice, templum Liberi, quod Panhellinon uocant, construi permisit.

Tres esse principes supra mundum. Iouem esse mūdi animum. Quid Dio-  
nyſius. Itē qui Titanes. Qui Typhon. Cacoethes. Sporadici morbi. Ende-  
mi. Epidemii. Cur homines dicantur Dionysiaci. Catacecaumene. Catace-  
caumenites uinum, Ceraunobolia. Virgilij locus quarto Georgicorum.  
Caput.

XIIII

x 2 Sed

**S**ed ne quem omnino fallam, pergamq; porro comperta mihi in arcanis ueterum libris in literas dare, admonendos censui studiosos omnes, non uno modo accipi Dionysium ab illis: uerū quo apertior tota res fiat, sic reperio: Theologos antiquiores ita ratio cinatos, ut super mundum tres haberi principes, opinarentur: Oromalin, Mitrin, Arimanin: id est, Deum, mentem, animam. Nec ignoro, à grammaticis dici Arimanium, à bellandi furore. Dei propriam astruunt unitatem, mentis ordinem, animæ motum. à solo deo primam ipsam in mundo fieri unitatem partium, & totius: à mente, uirtute dei, ordinem unitarum partium: ab anima, superiorum uirtute motum fieri operis ordinati. Hæc anima prima in mundo, tanquam animi mali suo regnans, uitalem uirtutē, ut placuit Plotino, à centro, id est à terra, uelut à corde, per totum uidetur propagare. Sensualem uerò motricem à sphaeris superioribus, uelut à capite inchoans, cæteris inde cōmunicare. Ab hac non aliter mundanum corpus alitur atq; ducitur, quam per uitam inde corpori addictam, quæ uita ab superiori substantia, quantum substantia est, habet ut alat moueatq; alendo. In hac uita genituræ officium ita cum imaginatione concurrat, ut sese mutuo moueant. Sicut ad genituram parata est, sic prorsus imaginatur. Sicut uicissim imaginatur, ita fit ad gignendum promptior. Animam hanc Orpheus Iouem appellat, Sub eius uniuersali prouidentia, Dionysii constituit prouidentiam, id est naturam, seu uegetalem animæ mundanæ potentiam. Eius membra sunt rationes rerū seminales in natura. Quæ quidem membra quādo per generationem quasi procedunt in materiam, à Titanibus discepti finguntur. Sūt uerò Titanes, genituræ præfecti dæmones, qui persuasi à Iunone, id est à processio nis generationisq; cura, lanare Dionysii membra traduntur, quasi Osiridis membra, id est uiuificæ prouidentia, ab Typhone cōcepta, hoc est ab dæmonum beneficorum duce: quia cōmune illius in cunctis æquæ gignendis & mouendis officium differentes inter se partiuntur in fortes, rerumq; species ad singula generando deducunt. Quod uerò his adnectitur ex Orpheo item, Ob conceptionem eiusmodi deuorationemq; fuisse ab Ioue tactos de cælo Titanas, eum ferè sensum habet, Illos ad cælestia esse conuersos. Quod illis ardentibus enati ferantur homines, significat ex diuina eorum cura homines in lucem prodijisse uitalem, qui ea de causa Dionysiaci nūcupentur, ut qui ex Titanibus uideantur nati, quos Dionysii membra pauerant. Si quis fortē, ut & hoc attingam obiter, sollicitius quaerit, quos nam dicamus genituræ præfectos dæmonas: legat is Platonis Timæum, ubi post mundi creationē inducitur princeps rerum deus iunioribus dijs inferiorum animalium generationem mandare, & hominis præsertim: Qui, inquit, cum immortalibus appellatione conueniat, diuinusq; uocetur, habeat principatum, iustitiam colat, ac uos item. Ego uobis semen, & initium tradam. Vos cætera exlequi par est, ut faciatis generetisq; animalia, & cōsumpta rursum recipiatis. Postremo addamus & aliquid ex Græco penu. Est regio sole perusta, quam Myli possideant, & Lydi, exuta arboribus omnino uisitur, præter uitam. Catacecaumenen uocant, inde uinum habetur uirtute præstans, catacecaumenites *οινος* uocatur. Ex quo & nonnullorum perelegās circumfertur iocus, Dionysii dici recte *πνευγνῆ*, id est ex igne natum. Catacecaumenen dici coniectant de fulminum frequentia, quam ceraunoboliam uocant: autor Stephanus. meminit Strabo. Est & eo nomine Erythraei maris insula. Deniq; uinum hoc significasse Virgilius quarto Georgicon uidetur, quum ait Cyrene ad Aristæum: Cape Mæonij carchelia Bacchi.

Etiā si id minus aduertunt interpretes. Quod ad Typhonem attinet, est quidem eo nomine uentus turbulentus, atq; item *πυρώδης δαίμων*, id est igneus dæmon: sed apud Galenum etiā febris *πυφώδης*, sicut morbus *κατωήδης*, ut parergon hoc adnotemus: qui re quidem magnus est ac difficilis, nec crisin habens certam: tamen si facilitatis speciem præferat. Legimus item sporadicos dici morbos, qui quouis tēpore obueniunt, & loco: sicut *γῆδῆμος*, qui in certis grassentur regionibus: *ἐπιδημος*, qui temporibus quibusdam plures eodem infestēt loco. Epidemeticos sunt qui forriarios modo à Galis opinentur dici.

Quæ, & quot significet Cora. Quo differat ab partheno, nympha, & gyne. Coronomus. Cybolum. Cybitus, siue cubitus. Phloea. Phlyax. Arrianus explicatur.

plicatur, & emēdatur. Item de Dionysio plura scitu digna. Cur dicatur taurus, Taurophagus. Taurobolos Diana, & tauropus. Dionysius. Sabazius. Vnde sabbata. An Iudæi Bacchum coluerint. Ficorum inuētor, & fructuū. Ceruorū nomina plura. Vino aquam quis miscuerit primus. Tripus Dionysii. Itē quid bassara. Scenophegia. De Anio pluscula. Interim unde Tauromenium. Tauros cur dicant Græci omnia uiolenta. Problastus. Sabaia Scenophegia. Ceruæ an habeant cornua. Bassus, cur pro humili. Cap. xv

**Q**uod nam, dicat aliquis, propositū tibi est: Nos quidem à te racemationem quandam ex paulo iucundiore uindemia expectabamus, qua ingenium fieret instructius, & uita comptior, morum ratio excusior, limatiorq;. Tu uero subinde Herculis cothurnū tibi tentas inducere, nec te intra pelliculam conuines supra crepidam iudicando, dum inseris operi, quæ exactius requirant examē, & philosophorum lucernam redoleat. Fateor, prægustata suauitas, illudq; Platoniorum symbolum *ἡ θάου*, transuersum ita me rapit quandoq;, ut mihi sæpe uidear ad Loto-phagorum gentem diuertisse. Sed bene est, suppetunt, qui me oblitum reuocent, ac uelut ex locato mecum agant: sed ita, ut respectare tamen liceat, & carptim, more bibentis in Aegypto canis, quo pascatur animus, præcerpere. Ecce uero monitor primus Arrianus manum inijcit, ac fronte rugosior: Quid, inquit, differs? quin meo me candori restitutum pergis? Tu quidem de Dionysio multa ex Platoniciis expiscaris. At Dionysius meus, quem Latini tui in secundo Alexandri gestorum Ioue ac Cora satum reddidere, qualis nam tibi uidetur: aut quam esse putas Coram istam? Ego uero tanti uiri auctoritate commotior intentius circūspectare coepi, & amplius indagine latiore tesqua omnia & uepræta ac condensa scrutari, ut quippiam uenarer, quod historico nobilissimo appositum lenit et stomachum, demumq; resupinata librorum sylua, hæc prouisse sum uisus. Coram quidem uarie capi in authoribus: primumq; Molossorum gentem eo nomine puellas decenter forma conspicuas nuncupare. Propterea eorundem rex Ades, siue Aidoneus, uti est apud Plutarchum filiam appellauit Coram, quam rapere adortus sit Pirithous. Sed & pro uirgine capi Coram, adnotauit Eustathius, *ἡ ἰσθμίου*, quod ornare indicat, sed & repurgare, quorum utrunq; ætati congruit incorruptæ ac puræ: unde fiat forma deminuta, corasion. Disparari tamē ab cora & partheno nympham inuenias: quippe parthenon intelligunt, in sciam prorsus uirilil cōcubitus: nympham, quæ uiro ante paulo iuncta, necdum tamen pepererit: gynen uero dicunt, quæ partum iam susceperit. uerum & coras, poetæ naues dicunt protoploos, id est primum in aquam coniectas, tanquam plane uirgines sint. Coram item Græci pupillam in oculo uocant, quia *ἐν ὀφθαλμῷ ἐστὶ τὸ δάκρυον*, ex concauo profluit lachryma, unde dicatur etiam collurium. Est item cora, impedimentum sistens profluuium, & nummi species. Id uero insigniter aduertendum, coras pro uestium manicis capi, aut eiusmodi quopiam, quæ manibus plerunq; porrectiores comparantur: ob idq; impedimentum afferant, si in eas immittatur manus, ne quid possit fieri. Proinde lectum in historia est: Ab Cyro sororis Darij filios necatos, quod illi occurrentes, in coras non immisissent manus, quod uni tantum regi assueuerat fieri. Ad hoc autem & Pollucis illud spectariti: nam quum interiorum cubiti cavitatem, olecranum dici pronuntiaisset: extimam uero commissuram, ancona: coronomus, inquit, medicorum est. Dicunt autem hoc & cybolum, id est *κύβαλον*: sed & cybitum dicas, sicut Hippocrates. Nam est Doriensium in Sicilia uocabulum: unde *κυβιτιζαυ*, Epicharmo est cubito ferire. Corā uero dici puellam ex alijs quampiam, nec legi, nec audiui: sed Proserpinam ita ab Græcis nūcupari, nemo in literis tam feriat, qui nesciat. Ita uero in Arriano fuisse trāsferendum, argumento sunt pleraq;: & M. Tullius in primis, qui tertio De natura deorum, ex Dionysii unum louis & Proserpinæ filium recognoscit, Coræ autem minime. Apud Xenophontem libro Rerum Græcarum sexto, in oratione quadam, Triptolemus dicitur Cereris & Coræ sacra arcana primus communicasse hospitibus Herculi & Dioscuris, qui & Peloponnesibus Cereris semina sit elargitus primum. Apud Plutarchum tamen in Græcis codicibus sic adnotatum cōperias, Aidoneum uxori Persephones indidisse nomē, filiam uero appellasse Coram. Lacones Corā deam uocant Phloeam: at Phlyax

dicitur uinolentus, ac ridicularius. Sopatrus apud Athenæum appellatur phlyacographos: de quo uerbo mox item pauca. Scribit Clemens, Iouem cōmutatum in anguem intulisse Proserpinæ filiæ uitium, unde sit natus Dionysius. Quo argumento etiam Sabaziorum mystica draconem præferunt in orbem complicatum. Hinc & poetæ draconem tauri patrem dum concelebrant, symbolicè operetq; Iouem innuunt, ex quo & filia, natus hic sit tauri specie. Quare ab Lycophrone taurū uocari, scimus. Scribit Athenæus, tauro & pardali assimilari Bacchum ex ebriorū uiolentia. Nam quod in tragedia, cui attitulatio est Tyro, Sophocles taurophagum uocat. Dionysium, id interpretatur, quia dithyramborum poetis in uictoria daretur bos. Alij crudelem & immitem accipiunt, quando & Aristophanes Cratinum ita infamauit. Sed ad uinolentiam magis referendum alij putant, quod philœnus esset is, hoc est uino indulgeret largius. Et Dianam tauroponon uocant, sicut in Periegese Dionysius Apher, non ab gente solum, sed & ab animali, ut probat Eustathius: quia armentis præsit, uel quia cum luna eadem sit, quæ tauris uectatur, & Tauropus dicitur. Certè Martis & Dianæ sacrificia apud Amazonas scribit Diodorus tauroponia nuncupari. Author porrò Diodorus in Philippi regis historia: Andromachum Timæi historici patrem coactis in unum qui cladi superauerant, ab Dionysio Naxo euerfa, taurum urbi uicinū collem diutius incoluisse; quare Tauromenij nomen loco conciliatum, quæ mox opulentiore fuit ciuitas. Cæterum magna omnia & uiolenta, tauros Græci nuncuparunt ueteres, de Asiatici montis natura, quem ita nominatum scribit in Periegese Apher Dionysius, quia sit *δ'φυνάερω*. Cornua nam summus scopulis imitatur acutis.

ut inquit Rhemnius Fannius, Dionysium uerò dictum scribit Hesiodi interpres, ueluti *διδουνοσυ*, quia sit uini dator. Id antea Plato quoq; prodiderat. Propterea in uindemijs faciem eius musto tingere, ac ficis, consuetudo fuit uetus; inde ab Siculis Bacchus dicebatur Morychus, quia *μορύχαι* signet polluere, ac fœdare. Probastum, id est *πρόβλασιν* uocant, quia egermantibus uitium palmitibus, illi fieret diuina res, uel quum eadem forent putaturi. Dionysium dici interpretatur Phurnutus, ab *δ'ιαινειν ήμους ήδ'εως*, quia iucunde suauiterq; nos irriget; uel quasi *δ'ι'αλυσιν*: nam & ratione eadē Alysiū quoq; uocarunt, quoniam curas soluat, uel quod ad montem Sittium enata primum tradatur uitis. Lyæum dicunt, non solum quia membra soluat, sed amplius, quoniam ex intemperanti potu cooritur sæpe discordia, soluiturq; hominum unanimitas. Sed & deridiculi gratia uocabatur Erebinthios, quæ uox tum legumen nobis indicat, tum pudenda uiri, ut est apud Aristophanem. Quod cōuītium paulo impudentiores etiamnum hoc tempore usurpant. Sabazion uero appellatum uolunt, à tripudijs quæ ab furcibus fierent, quando id à Barbaris *σβαζιον* dicitur. Sabos autem dicebant ei deo consecrata loca, quin & Bacchos eius eodem nunciabant uocabulo, id est Orgia celebrantes: sic enim hi quoq; dicuntur, quamuis etiam Bacchus sit coronæ species. Inde simplici uulgo irreplisse opinor in plerisq; Italiæ locis, ut pro agitare usurpent fauazare. Sabos inuenias uel apud Demosthenem pro Ctesiphonte. Sabazium esse Dionysium docuit libro secundo Amphitheus. At Mnaseas Dionysii filium accipit Sabazium. Sabaia paupertinus est apud Illyricos potus, ex hordeo uel frumētō colliquatus; unde Sabaiarius inflectitur, probrosū nomē. Lacedæmonios Sosibius tradit, Dionysium colere Sycten cognomento, quia ficum ab eo inuentam opinentur. Quo argumento Milichius etiam dicitur quandoq;: nam milicha, pro ficis usurpari animaduertimus. Apud Naxios certè simulachrorum facies nunc uitiginea conformatur, nunc ficulna, prout uel Bacchus dicitur, uel Milichius. Pomorum quoq; inuentorē Dionysium ferunt, & Syracusius significat Theocritus, qui *μῆλα διονύσου* nuncupat, & illis eum coronari scribit Callimachus, unde mutuata Venus dedit Hippomeni, quibus & in amorem præceps ierit Atalanta, quod canit Philetas. Sunt qui augurentur dici poma Dionysii, a loco qui sit deo illi facer. Quin & omnium repertorem fabulantur; quæ *ἀκρόθρυα* uocāt Græci, quo nomine fructus intelligunt arboreos. Scitu uerò dignum quod in Sympo- siacis innuere Plutarchus uidetur: sabbata Iudæorum ex huius uocabuli ratione nūcupari, quando ab Iudæis Bacchum coli solitum, inde coniecit, quod ea se die inuicem ad bibendum largius soliti essent inuītare. Mel porrò nec sacris inferant, quod admix- tum

tum oblaedere uideatur uinum: sed & apud illos supplicium haberi maximum, si cui multa sic irrogetur, ut certum tempus uino cogatur parcere. Ducit item argumētum ex pontificis habitu, qui festis diebus mitrā gestaret, nebrida indutus auro distinctam, & tunicam quoq; talarem, ac cothurnos, propendentibus ab ueste codonibus multis, hoc est tintinabulis, quæ inter eundem obtinniant, sicut (inquit) apud nos. Putat porro Hebræorum scenophegia, quæ sub tentorijs aguntur, mensis pomis omnifariam onustis, habere cum Baccho similitudinem aliquam, quoniam scenæ illæ palmitibus, & hēdera compingentur, & uindemia inprimis uigente, festum ageretur, à quo non multis interiectis diebus, altera sequeretur celebritas, Bacchi uero nomine insignis. Quin & aliæ, quas craterophorias & thyrsophorias nominant, ab Thyrsis, cum quibus templum ingrediatur. Cæterum quid intus faciant, nescimus, inquit. Non aliud uero esse, quam debacchationes, ueri prorsum sit simile. Siquidem tubis utuntur modi non magni: sicut & Argiui in Dionysijs. Cum citharis accedunt alij, quos ipsi Leuitas uocant uel ab Lissio, uel ab Euio, Bacchi cognominibus. Additur id quoq; ab sue Iudæos abstineret, quod ab eo genere sit interemptus Adonis, quem esse Bacchū fere cōstat. Sed de hoc uarie traditur imoq; alibi plura. Hæc sunt quæ ex Plutarcho recensuimus: quæ quam cōmentitia sint, quantumq; habeant uanitatis, uel me tacente, nemini obscurum puto. Quod uero de nebride facta nobis mentio est, amplius attendendū, nebrida dici ceruinam pellem: quippe est nebrus inter ceruos, qui nunc primum *βαρῶν εκδ'εχεται*, id est alimentum admittit: proinde Anacreon nuncupat, *νεοθήλεα γαλατρυόν*, id est nuper uirescentem lactentemq;. Apud Philetam obseruatū Græcis est, primigenios ceruos dici procas, unde appellata Proconnesos: grandiores paulo iam dici cemades ualent. Perfecta demum ætate cerui, nisi eos item qui achæinæ nuncupentur, aut spathina, quadam ætatis esse discrimina, coniecit aliquis, uel etiam generum ex magnitudine, uel cornibus interstitia. Græci scholiastæ in ijs satagunt egregie: sed ita, ut nec sibi admodum satisfaciant. Est & illud in ceruis adnotatum discrimen, fœminas in ijs cornuum carere insigni, etiam si cornutas fingant poetæ omnes: nam in Olympijs Pindarus *χρυσόκερων έλαφον θήλειαν* dixit. Sunt qui habere aliquas, coniecent; quando & Libyci ac Aethiopicæ elephantes cum fœminis dentes habent prorsum: quod approbat Amyntianus. At Indicorum fœminæ ijs omnino carent. Nec illud relatu indignum ceruam Eurytheo ab Hercule oblatam, in collo habuisse inscriptionē eiusmodi, *τω γέτη έραμ άνθηκη*. Aristoteles cum Plinio mares tantum ceruos cornibus insignes prodit; quod approbat libro quinto Pollux, Anacreontem coarguens, & Sophoclem; qui *κερόσασιν έλαφον* dicitur, id est cornutam ceruam. quod ut inscite dictum, sentiens Zenodotus, *ερόσασιν* legere maluit. Ad ea uero quæ dicta descenophegijs sunt, dignum relatu est, dici ab Aristotele scenopegiam nidi constitutionem, quam miro ingenio excogitant hirundines, implicito festucis luto ad lutariæ paleationis normam, quæ *αχρόσσις* dicitur, id est achrosiis. Verum prius quam ab hisce reuellamur, quanquam non nihil ueriti sumus, uisum iri quandoq; nasutioribus, Iliade longiora nos sæpe contexere: adijciatur illud quoq;, Bacchum ab Eustathio deduci, *εξ τῶ βαχέω*, ab incondito ululatu, quo furentes Bacchæ personent. Postea, inquit, insertam literam *κ*, quo expressio fieret tetri immanisq; soni. Quæ ratio item ex Iaco Iacchum fecisse uidetur. Bacchas, postremo Bassaras uocabant, proprie quidem sicuti Orion scribit. Sed hinc est etiam prostituta mulier eodem dicta nomine, unde factum licet cōiectare, ut uulgo nunc in Cispadana Italia ancillas quoq; sic fere nuncupent massaras, deluxato elemento primo. Bassaras nominat & Lycophron. Bassarica, pro Dionysiacis interpretantur. Dicitur quandoq; Bassaris meretrix in Epigrammate. Herodoto autem credimus, ab Cyrenæis, uulpem dici bassarum. Quod autem passim pro humili & depresso bassum imperita plebs usurpat, illam (ut puto) originem habet, quod bassos pro cauitate dicitur interdum Græcis. In tam multis uero quæ de Baccho conteximus, adijciatur illud quoq; ex Philochori monumentis: Amphictyona Atheniensium regem omnium principem ab Dionysio edoctum, uino aquam adortū promiscere, quo nomine furrigi homines sint uisi, quos meraca prius incuruabat potio, unde Dionysio erecta ara, quem *ερεθω* uocant, hoc est rectum, substructa proxime Nympharum quoq; in horarum sa-  
x 4 crario

crario. Staphylus uini temperamentum Melampodi ascribit. Ad hæc pertinet Varro nis illud: In partu uinum, non ut in calice, quærit aquam, sed solem. Tripoda Dionysii quum audis, craterem intellige; nam ex tripode dicere, uera loqui est. Vino autem ueritas attribuitur: hinc Græci, *οὐκ ἔστι ἀληθὲς ἀλίγιστον*. Superpondij uero id loco fuerit: Staphylum, Dionysii filium, *ῥοιός*, id est Rhæo, filiam suscepisse, quam Apollo compressit: id ubi resciuit pater, coniectam in arcam demisit in mare. Illa uero diuinitus ad Eubœæ antrum appulsa, puerum peperit Rhæo, ac Anium dixit, *ἄνιον τὸ ἀνιανθῆσαι δι' αὐτῶν*: quia ob eum multam sensisset tristitudinem. Anium autem in Delum Apollo transtulit, qui & uxorem duxit Dorippem, ac genuit Oeno, Spermio, Elaida: quibus id impartiuit Dionysius, ut quicquid tangerent, in triticum statim uerteretur, & uinum, ac oleum: unde dictæ Cænotropæ, quasi in nouas formas omnia uertentes. Scribit Pherecydes: Anium hunc Græcis illuc profectis persuasisse, inibi nouem annis permanere: quoniam ab dijs statutum foret ita, Ilium decimo tandem anno posse capi. Hæc eo repetita nobis libentius sunt, quia mirum est interpretum Maronis silentium, ceu Oebalias habitet Amyclas, ut est apud Aufonium, & ora obfignarit Sigalion Aegyptius.

Dionysiorum ritus. Qui sunt phalli. Phallogogia sacra. Neurobatæ. Paradoxopœi. Paradoxologi. Quid neurospasta. Lucianus declarat. Gellij locus emaculatur. Automata. Autocratores. Automata. De phalacris, & phalætho. Phalæna quid. Item qui sint Phalari, & Phallophori Ithyphalli. Autocabdali. Phallica carmina, uel Ithyphallica. Item Oschophorica. Enarratur Columella in Hortis. Hermata, & phalagia quid. Item hilarodia, hilaria, simodia, magodia. Lyloidi. Cineologus. Ionicos logos. Sotades. Dicelictæ. Sophistæ. Tarantula. Rutela. Phalangis fabella. Hermaces. Lithaces. Lysiodi. Plutarchi locus perpenditur. Nephalia ligna, cænospoda, cænipsa. XVI

**D**ionisia, inquit in Moralibus Plutarchus, ueteri ritu quum multa prorsum & festiua hilaritate agebantur: erat qui amphoram uini ferret, & uitem, aderat & qui hircum traheret: alius arrichum, id est cistam aut cophinum, in quo carica forent, gestabat: omnes autem phallum. sed nunc, inquit, negliguntur hæc, obsoleuerunt. Hactenus ille. Quid uero phallus hic sit, scio anxie qualituros ex studiosis multos. Herodotus quidem in Bacchi sacris phallos agnoscit, id est ficulna ueretra à collo propendentia. Nam & Phallogogia, Bacchi sacra dicitur Phurnuto: & si sphalalogia modo scriptum comperias. Sed phalorum pompa, Periphallia nuncupatur. Author est Diodorus, Osiridis pudenda in sacris & carimonij phallon dicit. Nunc & eorum loco ab Aegyptijs excogitatas statuas cubitales, quas per pagos circumferrent sceminæ, mentula, quæ propemodum instar esset corporis reliqui, innuente, & præeunte tibia. Sed & Mercurij statua ab eodem, ueretro porrecto celebratur. Verum & phallos duos in propylæis deæ Syriæ permagnos memorat Lucianus, quibus ita inscriptum foret Græce quidem, sed in hunc sensum: Hosce phallos ipse Dionysius noueræ Iunoni dicandos curauit. Postea hæc subdens: Phallos, inquit, Dionysio Græci excitant. In quibus ex ligno deformatas hominum imagunculas gestitant, pudendis magnis prominentibus, uocantur Neurospasta. Sunt uero hæc obiter, ut lucem quoque Luciano inferamus, quasi tu dicas, neruis mouentia. Vritur eo uerbo Athenæus, necnon in Symposio Xenophon, & in libro De mundo Aristoteles, quæ locum Apuleius sic est interpretatus: Astutia unius conuersionis multa & uaria pariter admistrant, etiam illi qui in ligneolis hominum figuris gestus mouent, quando filium membris quod agitari solet, traxerint, torquebitur ceruix, nutabit caput, oculi uibrabunt, nec inuenuste totum uidebitur uiuere. Meminit etiam quodam loco in Noctibus Atticis Gellius, sed maxime uitiato codice: nam modo legitur, neurobapha. Herodotus Historia secunda, in Dionysii sacris in Aegypto, excogitata scribit simulacra Neurospasta, quæ uicatim circumferant mulieres. Laurentius ridicule, opinor, ex neruis compacta est interpretatus. Neurobatas comperi tamen apud Firmicum: Oriente, inquit, ingeniculo, quem *εγγόνησι* Græci dicunt, nati cum testimonio Martis & Lunæ, erunt lunambuli, oribata, neurobatæ, & qui talia pertractent. Automata uero apud mechanicos dicitur, quæ per se uidentur motari, non longe ab neurospastis disita. Nam & automata sunt

sunt, qui non uocati ad cœnam pergunt: sicuti rhapsodia Iliados secunda apud Homerum dicuntur, & autocleti, id est *αὐτοκλήτοι*, hoc est per se uocati. Automata porro appellantur, temere fortuitoque euenientia. Ab neurospastis dicitur neurospastice ars, quæ tamen non uideri seriam putat Eustathius. Automata dicuntur miracula ab Aristotele De animalium generatione libro secundo. Sed & automata oua, quæ constitierint sponte, nec fumum mas insperferit semen. Autocratores dicunt, qui per se omnium habent ius. Hinc legatos *αὐτοκράτορας* in Nicia nuncupat Plutarchus, qui plena funguntur potestate. Automata uero fortuna est, cui quum benefacta omnia referret accepta Timoleon, domi Automatiæ sacellum extruxit: quod significat Aemilius Probus, sed apertius exposuit Plutarchus: sic tamen, ut interpretatio Latina prorsum nulla sit, aut mendosissima. Scribunt Græci, in Chio uinum haberi aruissimum tribus generibus. esse enim austerum, dulce, ac inter hæc medium quod autocratium uocabatur. Automata leguntur Digestorum primo, titulo de legibus, lege tertia. Dignum obseruatione quod est thesauris Galeni promittitur Therapeutices decimo: Paradoxopœos nuncupari omnes, qui miranda, extraque communem animi conceptum faciunt, molliunturque. Nam qui dicunt, ab eodem paradoxologi uocantur. Sed redeo ad phallos, de quibus alij sic produnt, esse oblonga ligna in summo habentia ex corio pudenda. Quidam tradunt, forma eiusmodi è collo & femoribus pendula, solitos in Dionysiis saltare. Phallum etiam dicimus in galeæ fronte prominens ornamentum, siue clauis sint prælucidi, siue scuta quædam breuia admodum, ut scribit Eustathius. Phalon enim illustre signat, aut clarum, quia phaos dicitur lumen. Vnde & phalacri pro caluis, quia albicet ijs caput, aut nudatum apertumque sit. Phalanthos etiam hosce dicit inuenimus apud Pollucem, quoniam albicans capillus uocetur anthos. Et phalarum nonnulli arietem album interpretantur: Homerus *λευκὰ φάλαιρα* dicit albescentes undas. Phalion uero album dicit, indicio sunt equi, phalij nuncupati, quibus albicet frons. Sed & hominem uocamus phalium, albis capillis in fronte. Palyn uocant tenuissimum in farina, unde phalion pro albo dicitur opinantur alij: certe *παλύνει*, albescere signat. Quæ uero dicuntur *φάλαρα*, id est phalera, sunt crici in galea siue annuli circa tempora malasque: quas partes *παράγωνες* nuncupant. Phaleras uero esse frontis equinæ ornamenta, sciunt omnes. Phalæna paruum est animal candelabris aduolans, quod pyrastum uros nuncupatur, & psora. Dicit uero phalænam putant *παρα τὸ εἰς φῶς ἀναδρα*, quia ad lumen affiliat. Phalænam item *ιδιόμαχος* candilosbestrium dicunt: sunt qui Rhodiorum uocabulum phalænam putent. Erant & phallophori, ithyphalli, autocabdali, musicorum species; ut est apud Athenæum. E quibus hi quidem ex hedera coronas gestabant: Ithyphalli uero remulentorum personis contegebantur, habebant chirothecas affabre elaboratas, necnon talarum tunicam, produci que uoluptatis causa solitos, Athenæus scribit. Phallophori autem papyraceo tegumento faciem conuelabant, hedera & uiolis coronati. Autocabdalon pro rate multi etiam interpretantur. Sed proprie ita uidetur dici utrunque subacta iam farina. Qui uero phallos erectos in inguinibus tantum ferebant, dicti sunt Ithyphalli. Nam phallica uocantur carmina, quæ cum tripudij stante phallo canebantur. Sed Pollux Ithyphallica nuncupat, sicut Oschophoria, quæ in Oschophorijs canerentur, quod festum erat ab ramorum, quos oschia uocant, latione ita dictum. Priapum quoque Ithyphallum uocant, ut scribit Diodorus. Sunt in eo genere, qui uocantur hilarodi, quos nonnulli etiam Simodos nuncuparunt, quod Simus poetas id genus præcelluisse ampliter uideatur, quod Aristocles scribit. Hilaria uero festa erant, quibus læta omnia, uti scribit Flauius Vopiscus, & fieri consueuerant, & dicitur celebrabantur, Macrobio auctore, octauo calendis Aprilis, quando iam productiores sentiuntur dies. Deo Panis credebantur sacra, quem ut omnium autorem coluit prisorum uanitas. Erant & Magodi, qui fere Lyfiodi uocantur. Videtur magodia inde nomen indepta, quod magica proferrentur, & pharmacorum potestates. Apud Plutarchum in Sylla nominatur Roscius Comædus, Sorix archimimus, Metrobius *λυσιώλης*. Interpres Bacchanalium cantorem reddidit: forte quia Lyfii dicantur Bacchi sacrificia, quod Bœotios à Thracum impostura liberarit is deus. Nam & Lyfios deos intelligit Pollux apotopæos. Vel quod à Naxijs uitem redemerint Thebani: quod probat Aristophanes. Apud

Apud Athenum Diogenes Epicureus amasse dicitur mulierem Lysidon. Fuit & cinaedologus, qui etiam Ionicos dicitur logos, & Ionicum poema. In his Sotades uiguisse in primis commemoratur, qui Maronites fuit, uti Pergamenus prodit Carystius: & Phlyacas scripsit, id est cingidos. Apollonium habuit filium, qui de patris scripsit poemate. Suus erat Spartanis quoque comicus lusus. Hunc qui obirent, apud Laconas uocabantur Dicelictæ, quæquam euariante apud alios appellatione. Phallophoros siquidem appellant Sicyonij, quidam autocabdalos, sophistas nonnulli. Iam opinor ex his, quæ de Ithyphallis obseruata tradidimus, lux multa Columellæ uersiculo accedit ex hortorum cultu:

Sed truncum forte dolatum

Arboris antiquæ numen uenerare Ithyphalli,

Terribilis membri, medio qui semper in horto

Inguinibus puero, prædoni falce minatur.

Quantquam trochaicum dimetrum, brachycatalectum dicitur quoque Ithyphallicum, sicuti anapesticum dimetrum, catalecticum nuncupant parcomiacum. Nephalia uocabantur ligna, quæ uitea non forent, nec ficulna, aut myrtea. Illa enim cenispa dicitur, aut œnosponda, ut quæ ureretur, ubi non aqua, sed uinum profibaretur. Non mirum postremo, quæ proferri ex Eustathij thesauris ualent. Phaleridas Veneri coniunctas putari, non propter Ithyphallos modo, uel etiam Phallos, sed & ex albedinis ratione, quæ in animali uisitur semine. Cuius inesse similitudo pernoscat in Phaleridum nomine. Phalium quippe, ut exposuimus, album dicitur, unde & phalera. Phalangia uero ad hæc prorsum faciunt nihil: sunt tamen eo nomine, subiecta nauibus ligna, uelut fulcimenta, quæ item dicuntur hermata, quasi ἑρμάματα, ut author probat Eustathius, nec flatilis repugnat, regula dictante, Vocalem breuem in g desinentem, illato mox μ, aspirari: ut hormos, horma, hormatos. Est tamen herma, inaurium genus muliebre: dicitur & hormata dolorum quædoque. Imponitur & nauigijs herma, citra quod si fuerint, dicuntur anermatista, id est ἀσημάτια ἄοπια, hoc est infirma, inermiaque. Herma, saxum prægrande interpretantur grammatici: nam & Arrianus scribit, herma impositum puppi, ut eo pondere protolleretur prora. Hermaces autem loca dicuntur lapidibus frequentia, uel in Mercurij honorem accumulati lapides. Nuncupantur & lithaces asperiora loca. In Herodoti historia septima, inter Scyathum & Magnesiā herma statuitur, quod (inquit) myrmeca uocant, id est formicam. Ipse in mari petrosum intelligo locum eo nomine, fluctibus adobruis solitum: ex quo Anacreon, ἑρμάτια uocauit ἄστυμα. Phalangium uero ex araneorum decuria, solers recentiorum perpensio dicitur ab Arabibus Rutelam, anima duertit: collatis, quæ cum Galeno prodit Auicenna, uulgo autem Tarantulam: cuius exitiale uirus stuporem læsis inducat, genum labefactionem, demumque uniuersi corporis palmum, id est tremorem: qui in prouerbium usque profecerit. Illud grauius multo, qua quis affectione morsus tempore distrahatur, eandem uel ad extrema seruare perpetem. Sic qui, uti assolet, per mentis hallucinationem regem se aut deum ementiatur, imaginario malo perdurante, regis claritatis aut diuinæ excellentiæ opinionem nunquam exuere. Scribunt Græci, fuisse in Attica Phalanga quendam, cui foret Arachne foror. Quam uero ab Minerua hoplomachiam perdidicisset Phalanx, & telæ artificium Arachne, matrimonio se inuicem obstrinxere: indig nata dea, in reptile genus utrunque deformauit: quæ ab fœtu uorentur suo.

De phellis, item phelleis, & phelleris. Qui phellopodes. Phelon, phello-drys, Phalerus. Neapolis conditor.

Cap. xvii

**P**ollucis Onomastici librum primum, ubi piscatorum instrumenta nominatim recensens, linum appellat, phellos, molybdænam. Quærebamus, cuiusmodi nam forent, qui nominatur phelli. Nam alibi idem Pollux in ratione capiendarum purpurarum, ab porphyreis, quos eius piscis indagatores intelligit, cypselas ueluti nassas quasdam ex sparto uel iunco contextas & illitas demitti per funiculum scribit, ex phellis propendentem, ut emineat. Sed & Plutarchus in libro De Romanorum fortuna, Caium Pontium ab Camillo trāsiturum in Capitolium, quod ab Gallis obsidebatur, dum Tybrim transmitteret, φελός πλατίς

φελός πλατίς, hoc est phellos latos pectori subiecisse scribit. Comperiebam in libello quodam, in quo rhetorum obscuriora uocabula explicantur, phelleas dici apud Isæum loca petrosa capris compascua: unde & Phelleus apud Aristophanem in Nebulis, est in Attica locus inæqualis & superciliosus, asperque. Ex hoc & Dores pumicosos lapides dicunt phelleras. Est & in libris operimentum extimum phellas. Sed hæc ad rem nihil. Phelidij, seu Phelidis insula, nona urbis regione statuitur à P. Victore. Phellos id esse uidetur Græcis, quod Latine suber: cuius est natura, ut mergi nequeat. Propterea Græci ἀβάπησον φελόν uocant: quasi tu dicas, immersibilem phellum. Unde elegantissime Pindarus, eum qui insita uirtute, impenetrabilem se quodammodo seruat fortunæ telis, nec deijci nouit, aut dari pessum, esse tanquam phellum pronuntiauit. Sic enim ait. ἀβάπησον ἐμὶ φελός ὤς. Est & Arcadibus arbor dicta phello-drys, quod primo De historijs Theophrastus scribit: quam esse astruunt quidam, ilicem fœminam. Sunt quia aquifolium, ut Theodorus: quam dicat Theophrastus Ariam, siue Agriam, siue Narycam. Phellopodas uero Lucianus quosdam fingit, qui per mare currentes non mergerentur, quoniam (inquit) phellinos haberent pedes, ex phelli, id est suberis similitudine. Est apud Vitruuium libro nono, in horologij aqualis ratione, phellos, siue tympanum, aut scaphum, quod ab aqua subleuatur. Sunt qui ita scribant, Phellum esse in Italia montem, in quo piceæ proceriores gignantur, ex quibus phellus, siue suber conficiatur. Phellestæos esse dicit Stephanus Vmbris adiacentes populos ad Iapygiam, sicuti commemorat libro sexto Eudoxus. Idem putat Phelleos de locis dici omnibus, quæ infra petrosa sint, tenui superiecta terra, ad olearum plantationem peraccommoda. Phellum & Antiphellum in Lycia ciuitates recognoscit Alexander Polyhistor. Phelonem pro tunicula positum legimus. Adnotatum uero à grammaticis illud quoque, nunc masculino genere, nunc fœminino phellum dici. At Phalerus, uti apud Lycophronem comperi, Sicilia fuit tyrannus, à quo in Italia creditur condita Neapolis: etiam si Diodoro & Opiano Hercules placeat institutor: nam ubi in Cynegeticis Oppianus ait, νεὸν πεδίου ἑρακλῆος, Neapolim significat.

Quam habeat rationem adagio, Camelus bactriana. Hybus quid, Pluscula de camelis. Perpensus Plinij locus, & Diodori. Camelus pro fune. Quid camelaucium. Camelaria, uel camelasia, Dromedæ, uel dromedarij. Anchora lia. Caballaria.

Cap. xviii

**C**amelum Bactrianam, καὶ δίχρωμον ἄνθρωπον, id est bicolorem hominem, uenisse in prouerbium in Aegyptia historia animaduertimus: aduersus eos quidem qui ea promunt, quæ admirationi putant futura, re autem ipsa uel meticulosa sunt uel plane ridicula. Adagium rationem habet eiusmodi: Ptolemæus Lagi duo quædam inusitata in Aegyptum induxit, camelum bactrianam insigniter nigram, bicolorem item hominem, ita ut medietas quidem ex æquilíbrio summe foret nigra, reliqua portio albedinem præferret eximiam. Conuenientibus igitur in theatrum Aegyptijs, alia utique non pauca spectaculo digna exhibuit. Demum stuporem nouitate rei, ac inusitata specie iniecturus, camelum produxit, & semialbum hominem. Cæterum Aegyptij cameli aspectu territi paulo minus prosilientes mandarunt fugæ præsidium, etiam si auro esset ornata egregie, ac purpura instrata, freno quoque lapillis interlucentibus conspicuo, è thesauris Darij regis, uel Cambisæ, aut ipsius Cyri. Ad hominis autem illius ita coloribus distincti, & (ut sic dixerim) uarietati, intuitum partim fufius riserunt, partim ut monstrificum quiddam auersati sunt. Hinc Lucianus, ἀέθουσα δὲ, μὴ καὶ τὸ ἄμω κάμηλον ἢ ἀγυνησίον ἦ. Sum ueritus, inquit, ne libelli mei perinde fiant ac camelus apud Aegyptios. De camelis Aristoteles multa, & Plinius. Author in Georgicis Didymus, ex sue ac camelo progigni tertij generis camelum δίχρωπον, id est gibbi duplicis, densiore pilo, uiribus præualidis adeo, ut duplicato onere incedant onusta: Hasce uero dici Bactrianas, quod in Bactris natæ primum. Mendum uero exemplarium est Bibliothecæ tertio apud Diodorū, ubi Diti scriptum reperies pro eo quod est Dicyrti. Cameli in dorso tuber uocant hybon, id est ὕβον: quanquam & eo nomine intelligitur collo qui est obtorto. Iulius autem Pollux ita prodit: Ad belli usum asini, qui dicuntur sceuophori, id est sarcinas gestantes pernecessarij habentur.

Boues

Boues item qui currus trahant. Multi utrunq; præstant: camelorum quoq; gerula opera expetit. Sed in his etiam bactri pugnans, quod sint equis celeriores, & magnitudinis ratione formidabiliores etiam. Et quia non infestentur siti, utiq; laboris patientiores. Quibus longiore itinere fatiscunt pedes, carbatinas adhibere moris est. Herodotus author est, Camelum in posterioribus cruribus quatuor gerere femora, & genua totidem, & uereturum inter posteriora crura, quod caudam spectet. Porro camelis iunctis Indos tendere ad auri furta, quod (inquit) custodiam formicæ, quæ uulpes excedant magnitudine. Adhuc Philostratus, Indos ad cursum camelis uti, hisq; uno die stadiorum mille iter conficere. Feruidum præterea animal est, proindeq; lasciuum, ex quo in Vespis Aristophanes festiuissime: Phocarum, inquit, odorem habebant, Lamia uero testiculos illoros, camelus autem podicem. Iure cõsulti titulo De muneribus, camelariam dicunt camelorum curationem, quæ publica pecunia alebantur, & camelarios curatores ipsos. Quod munus, inquit Arcadius, personale est. Sunt qui camelasia dici arbitrentur camelorum præbendorum munus tabellarijs publicis transmittendis: de quibus etiam mox. Camelos quosdam T. Liuius dromedas nuncupat, & in Aureliano Flauio Vopiscus: alij uero etiam dromedarios. Caballarios uero in Creta dici animaduerto prædã, quæ militiæ equestris nomine emeritis contribuerentur. Exciderat pene, quod dissimulandum non fuit: Camelos in admirabilium relatione tradit Aristoteles, nunquã coisse cum matre. Obseruatum id & in nono Auicennæ libro, qui est De animalibus. Sed & Aristoteles in libris argumenti eiusdem, id ipsum confirmat. Hoc idem & in equis ex Plinio astruere conatur aliqui. Quod tamen falsum conuincimus ex Aristotele libro sexto: nam quum docuisset, falacissimum tum fœminarum, tum marium esse equum homine excepto: paulo post inquit, Equi uel suas matres & filias superueniunt, atq; tunc perfectum esse armentum uidetur, quum parentes suam ineunt prolem. Suppetit Ouidij autoritas ex decimo Metamorphoseos:

Coeunt animalia nullo

Cætera delicto, nec habetur turpe iuuentæ

Ferre patrem tergo, sit equo sua filia coniux.

Camelum usurpant quidam, literis nil immutatis, genere tantum diuerso, pro anchora riuo fune: ut illud euangelicum, quanquã de animante intelligere maluit Hieronymus, Camelum facilius est per foramen acus intrare, quam diuitem in regna celorum. Sed doctissimi grammatici, & Aristophanis interpretes, & Sudas quoq;, per I malunt scribere camilos. Camelos Ammianus Marcellinus Latine anchoralia nuncupat. Per anchoralia, inquit, quadrupedo gradu repentes in scaphas sese iniectabant. Camelaurium uero inquit idem Sudas, dictio Romana est: dici tamen etiam Græce potest, *περὶ τὸ καύμα ἐλάυναι*, quia calorem defendat. Est autem camelaurium, ut Aristophanij enarratores tradunt, quod prius dicebatur pilidion, id est galericulus. Camelasium est apud Ammianum Marcellinum: Factum, inquit, tunc est, & deinde unius animi firmitate, ut præter solita nemo Gallis quicquam exprimere conaretur camelasii nomine. Illud uero fuerit leuioris operæ quod præcipiunt etymologici, camelum inde uideri appellationem duxisse, quod exceptura onus humi, hoc est *χαμαί*, considat, ueluti chamelus. Sed, inquit, uastioris soni litera in exilem transiit. Ex Strabonis tamen interpretamento Geographiæ decimo septimo, coniectare licet, camelum esse Assyrium uocabulum: gamal enim dicunt illi, unde uico conciliatum nomen Gangamela, uelut domus cameli: quod est ab Dario impositum Histaspis filio, quum fatigatæ camelo alimentorum ratione locum contribueret. Gaugamela tamen pronunciant Græci, forte per inscitiam, quia gentium illarum proprietate, gan, locum dicunt munitum. Meminit loci ac interpretamenti in Alexandro Plutarchus. Scribit Onirocriticorum primo Artemidorus, ex Eueni sententia in Eroticis ad Eunonum, camelum dici uelut *καμμορῶν*, quia, *μῆσος καμῶναι ἄν' ἄν' ἄν' ἄν'*, quo argumento præmonstratam cruris debilitatem somniant, hospitio se exceptum in fuga, cui nomen foret Camelus. At Varro: Camelus, inquit, suo nomine Syriaco in Latium uenit. Sciendum porro, insignioris censerit notæ, si quis camelo insidens ac per urbem circumductus uisendum se omnibus præbeat. Quod contumeliæ genus Byzantij in Arfacem Armenium, proditiõnis conuictum

promptit

promptit quandoq; imperator Iustinianus. Artemidoro subscribit Horus, apud Aegyptios camelum inquiens, indicare hominem incesso tardum: quoniam inter animalia camelus modo *καμμορῶν καμῶναι*. quo argumento & nomen est cõformatum, ut sit uelut *καμμορῶν*. Cameli in fabulis dictum circumfertur ex Libani declamationibus, dum plura affecto, etiam ijs quæ habui sum excussus.

Homini & animalium ortu ex præcorum theologia. Prometheus cur dicitur homines finxisse ex luto. Quo sensu dicatur, Prometheus es. Coroplathi qui. Quid Prometheus ex Plotino.

Caput XIX

**M** omnem, quem Mercurius miraculum ingens esse dicit, ex limo terræ confectum, non sanctæ modo perdoct literæ: sed in Menexeno, Protagora, & Politico, atq; Critia testatur Plato, prouidentia diuinæ bonitatis id agente, ab terra olim propagatum, cum artificis sui imagine, ob idq; Theoiden appellatum. Nec tamen insciatur idem, exundante amplius humoris elemento, moxq; residente eo, ex humiditatis copia, & insequentis æstus terram tot tantq; fecunditatis semina concipere, ut cuiusq; modi prorumpant inde animalia. A qua origine spontali, ne homo quidem abiungatur, sicut Aegyptiorum doctrina contineri nouimus, atq; item Arabum: sed Algazeles tradidit maximè, nec Auicennæ displicuit in tractatu De diluuijs. Et Maro comprobasse uidetur illo uersiculo,

Terrea progenies duris caput extulit aruis,

Georgicorum secundo: etiam si modo ferrea legitur in uulgatis codicibus, superioris sententiæ auctore Lactantio, si modo emaculatus est codex. Et nos alibi super re ista copiose disseruimus. Poeta uero, quorum doctrina multiplex, atq; interim recondita est, ab Prometheus de terræ luto effictum hominem prodiderunt, aut obscuritatis inuolucro, aut inscitia nubilo artificis ueri nomen ementiti. Aut quia, ut Annalium tertio meminit Africanus, nec tacuit in libro temporum Eusebius, eloquentia & sapientia sua brutam ducentes uitam, ad ciuilem reuocauit modestiam, & scientia transfigurauit: quanquam ut Augustinus auctor est, non ostenditur quis nam illis temporibus sapiens fuerit. Siue quod primus omnium simulachrum hominis de pingui ac molli luto formaret, ab eoq; nata primus ars sit, statuas, ac simulacra fingendi: quoniam Iouis temporibus floruerit, quibus templa constitui, & noui deorum cultus obrepere cœperint. Cæterum utcumq; interpretari collibuerit: ex fabulæ, seu ueritatis argumento comminiscitur Lucianus, appellatum se à quodam Prometheus, quod librorum eius ratio noua foret, & insolens, ex dialogo concinnata, & comœdia, quæ inter se longe diuersa sint, & (ut aiunt) diametro disparata. An me fortè Prometheus inde arbitraris, inquit, quod inuenta mea lutea itidem sint? Agnosco similitudinem, comparem illi me fateor, nec recuso, peloplahton aut platem siue figulum me uocari: quanquam uilius sit lutum mihi, & ex triuio, & ferè barbarum. Quod si orationem perdignam laude inopinabilemq; arbitratus, sapientissimū ex Titanibus in ea miraris, uide ne ironiam aliquis putet, ac laudinasum Atticum inesse. Vnde enim mihi inuentionis præstantia: aut quæ demum sapientia præcellens, uel prudentia in meis fuerit libellis? Proinde mihi satis superq; sit, si non terrea hæc, & prorsum digna Caucaſo iudicaris. Vos nimirum Prometheus uerius, quotquot in iudicijs cum laude uersamini. Vestrum enim opus uerum, spirans, animatumq; est, inest quoq; ignea quædam uis, quod ex Prometheus utiq; sit, nisi quod non ex luto fingitis, ut ille, sed pleraq; auro constantur. Nos simulacra quædam constringimus proponimusq;, argillam omnino tractamus, quemadmodum qui uocantur coroplathi, qui puppas nescio quas pueriles, & id genus imagunculas quorumcumq; animalium ex luto parte plurima, sed & ex alia interim materia fingant: uerum idem operi motus non adest, neq; item anima, risum modo, & uoluptatem tota res habet. Proinde subit quandoq;, ne ita Prometheus me uoces sicuti Cleona comicus poeta. *κλέων προμηθεὺς ὅστι μετὰ τὰ προσηματὰ*. Nam & Athenienses suo illo Attico naso, omnes *χυτρεῖες* uel *ἰπνοπιούς* uel *πυλοργούς*, quorum artificium esset non sine luto & igni, Prometheus nuncupabant. Quoniam perinde ac ollulæ, friuola sunt, & quassa nostra omnia, & quæ uellapilli iniectu tenui, comminui tota facilitate possint. Sed non hoc fortè sensu dicor Prometheus, at cum laude potius: nam quæ modo scribimus, non trita incedunt uia, nec

y

arche

archetypa quæ imitemur, habent. Sicuti homines qui non extabant, excogitavit ille ac effinxit: cui adfuit Minerva inspirans lutum; & faciens animatum. Hæc quidem Lucianus, carptim à me transposita. Sed si ducem magnum sequenti honestus error est, ut deo id quoque, nec minus doctè adijci posse. Solent nonnulli male feriati, & de re literaria hoc nomine male merentes, ingenio nullo, doctrina si qua ea est, tenebrosa, & nulli rei, manu (ut sic dixerim) prurire, ita gloriolam quam libet toto (quod dicitur) peccore captare, ut ab condendi studio, quo ut maximus quisque est ac scientissimus, ita terretur in primis & fatigatur, nulla ratione averti valeant. Sed quod Prometheus fecisse memorant, omentum uix & pinguedinis nescio quid ossibus inducant, eo lenocinio ex chartabula linientes, ut ab linthites lateat, & illecti studiosi mellito gustulo præcipitentur in laqueum, & sub purpurato titulo de aureo Babylonis calice bibant. Conquirunt inscriptionum miras uarietates, Cerion ille appellat librum surum, uel nugas meras potius, & fauum intelligi uult, alius κέρως ἀμαλθίας, quod Copiæ cornu, ueluti lactis galinacei sperare possis in uolumine haustum, ut uerbis nobilissimi auctoris rem exprimam, & propter quod deserui uadimonium possit. At quam intraueris, bone deus quam ptyrica omnia, quam omnino nihil, nisi osseum, nihil non simplicium. Hosce ego Prometheos uere dici, & esse arbitror. Ferunt siquidē, qui ista curiosus confectantur, Prometheus carniū distributioni, quam uocant creonomiam, præpositum lepide admodum, & festiue Ioui adortum imponere, quippe nil ueritus diuinitatem summatis dei, sibi quidem præpinguia & sapida subduxit, Ioui autem ossa modo apposuit obducta κέρως ἀμαλθίας, ut Hesiodus inquit, id est pinguitudine candida. Quo nomine, simul quia homines finxisset, & ignem furto conciliasset hominibus, Vulcano & Mercurio dicitur ab Ioue traditus in Caucaſo suffigendus. Ex hoc item facto Lucianus in sermone, qui est De mercede seruientibus, uice prouerbij usurpat πρὸ μνηστος μερόσια, id est Promethei portuunculam, uidelicet ὅς ἐκ κερῶν λυμὴν ἀ πικρῶν, id est pingui contexta ossa. Nos uero quod cœpimus, adijciamus coronidis loco, tãquam bellaria quædam scitius condita, quæ somniculosum excitent lectorem, altius uellendo. Legimus apud Plotinum primo De dubijs animæ, Naturalem quandam prouidentiam in uitali animæ mundi parte regnantem sub Promethei cognomento, ex luto, id est materia prima, statuas, id est res naturales effingere, atque esse huic officio partim quidem alligatam, partim quoque solubilem, nec esse hic Epimetheo, id est temeritati locum. Sunt qui hoc nomine humanum animum intelligant: qui diuina Palladis sapientia instructus, ignemque caelestem, id est rationem consequutus, hac causa in montis uertice, quod est in contemplationis arce ex perpetuis morsu rapacissimæ, id est ex inquisitionis cura conflictatur, ac inde infelix censetur tantisper, donec eodem remigret, unde ignem fuerat indeptus, ut toto denique lumine oppletus enitescat tota perfruens felicitate. Quod ad fabulosa spectat, Promethei in Caucaſo religati meminit libro quinto Arrianus, sed & Q. Curtius rerum gestarum Magni Alexandri libro sexto.

Omnium quæ de Prometheo traduntur, enarratio allegorica. Delius nator, qui. Quid hepar, siue secur Promethei. Quid aquila. Pandora. Obiter de Briario pauca. Epimetheus, Iapetus, ferula, ignis. Lycium forum ubi. xxx

**T** quia sensum allegoricum, qui in Promethei fabula scrupuloso cluditur inuolucro, breuiter admodum attigimus, & (quod dicitur) uix summis labijs gustauimus, succurrebat mihi, ut fusius, & campo latiore rem ipsam exsequerer. Sed quoniam non parum multa sunt in hoc negotio, quæ Delio indigeant natatore, id est solertissimo reconditorum indagatore: nam imperitissimi quod ne nare quidem sciant coarguuntur, uel parœmia teste: ut quæ ex intima promantur philosophia, proindeque cimмериjs inuoluta tenebris: commodius est uisum, monere omnes, si qui sunt horum sitiores (ut ita dicam) Platonicos adeant, in primis uero accurate Platonem ipsum in Ciuili, Protagora, & Gorgia. In quibus commentationibus uir ille multa promit ueteris theologiæ semina. Nos interim amœniores petemus secessus, edocturi harum lectionum studiosos, quæ ab Græcorum grammaticis ad hoc pertinentia fuerint animaduersa & prodita. Igitur, inquit, Agroetas tertio & decimo rerum Scythicarum scribit, Aquilam Promethei secur depasci solitam, inde uideri re-

ceptum uulgo, quod is præfœcūda potiretur regione, sed quam tamen fluuius Aetos, id est Aquila, maxime infestaret. Scimus autem hepatis, aut uberis appellatione fertilitatem plerumque significari. Quomodo illuc accessisset Hercules, re perspecta, fluminis impetum, & copiam alueorum crebritate exinanisse, atque inde iudicatum, aquilam peremisse, & à uinculis soluisse mox Prometheus. Sic quod obuium erat, fabulæ inuolucro factum obscurius, uelut in Briareo quoque, quippe prodit historia, esse in Asia tumulum Aegæonis nomine, abs quo fontium profluens multitudo circūiectos impinguet campos. Sed non tamen in hoc idem omnibus uidetur, Theophrasto magis placet, sapientia studiosum fuisse Prometheus, ac omnium primum hominibus philosophiam esse impertitum: unde inuulgatum fabulis, ignem ab eo distributum. Herodotus adijcit, Scytharum regem hunc fuisse: quomodo eius imperio obnoxia regio summa necessariorum laboraret inopia, nec succurri ab rege posset, quod Aquila fluuius excrescens nimio plus agros dilueret, ibi coortos homines in uincula Prometheus cōiecit. Herculem uero illum liberasse, & fluuium corruisse in mare. Ad Nilum, qui diceretur Aquila, rem deducit Siculus Diodorus. Duris autem scribit, ob Palladis amorē in Caucaſo eum fuisse colligatum, quo argumento Caucasios nec Ioui nec Mineruæ rem diuinam facere, Herculem autem colere in primis. Cæterum nec id item omiserim: auctor est libro secundo Pherecydes, Aquilam immisam Prometheus, ex Typhone & Echidna Phorcynis esse natam. Quodque illa interdum absumeret, solitum noctu succrescere. Quod uero ad ossa Ioui apposita pertinet, hunc reperio sensum, haud equidem aspernabile, si quis dogmata ueterum de anima, & Empedoclis præcipue admittat, quibus animas placet esse apud opificem deum ante quam in corpus delabantur, atque illic proficere, ac perfectiores nancisci gradus. Rationalis igitur animæ mens Promethei nomine significata penes diuinam prouidentiam constituta, quam Iouis nomine intelligunt, sortita incorpoream uitam cibi haud indigam, impetum concipit ad terrena hæc & corruptibilia, quo nomine confestim poena consequitur, ut illinc præcipitetur in corpus. Propterea Hesiodus prudenter peiorem scribit conditionem necessario amari ab hominibus ob irracionalem uitam quæ obuēnit, delabente in corpus anima. Ossa itaque ueritatis insinuant nobis tegumentum. Ossium ariditas, & perfecta nuditas uitam præmonstrat extra carnem & cibi necessitatem. Nata inde uoluptas, & spiritale gaudium per pinguedinem ossibus obuoluta significatur. Mens igitur Ioui imponere tentat, subtractis sibi adipatoribus: illi autem ossibus appositis, quoniam ad inferiora reclinata corpoream uitam est amplexata, quæ carnem habet ac pinguedinem, deum spiritalem statui relinquit: quod sane primum apparet mentis peccatum. Ignis nomine, intellectualis ostenditur uita: namque latet hæc, sicuti ignis ante quam in materia concipiatur. Ignis uero furtum in concava ferula manifestius aperit transitum ab intelligibili & obscura latenti que uita ad sensibilem & alienam. Ferula, nil planè aliud est quam corpus: ut enim illa igne operit, consimiliter animam caro: porro sicuti ferula debilis, pari modo & corpus. Posteaquam uero electione propria mens affectare terrena cœpit, iubet diuina prouidentia ex elementis quatuor compingi Pandoram, id est humanum corpus, foemineo nomine significatum, quod carnis debilitas minimo exsolui potest. Dicitur tamen dijs simile, quia humanum genus etiam si non numero, specie tamen sit idem, serueturque perpetuo ac uigeat, propterea uirgo fingitur Pandora. Ioannes tamen Grammaticus artium inuentione Pandoræ nomine accipiendam putat. Aquam uero subactam dici, & terram ob nauigationem excogitatam: aut per exocheni quandam agricolationem intelligamus, à qua proflunt omnia, quibus alimur. Pithos autem, hoc est Pandoræ dolium, facti potentiam indicat, quæ prodeuntibus ad generationem animis bona distribuit, uel mala: unde multi dicantur εὖμοιροι, alij uero κακὸμοιροι, quod est boni fati, aut mali. Sed hoc ipsum fatum uocat Hesiodus, δῖος νόου, id est Iouis mentem: idque ex Stoicorum hæresi. Cæterum de Epimetheo quid nam statuimus? Mens nostra dum diuinitate instructior insita, exactiore libra rerum qualitatē prius quam omnino quicquā capeffat, expendit, peruidetque, dicitur Prometheus, id est prouidens & præsentiens. dum uero incertæ nubilo obducta nil fatagit, sed in certis fortunæ flatibus uitæ rationes, tãquam uela expandit; tunc, post malum resipiscens consultantisque, hoc est Epimethei nomen

accipit. Horum pater fingitur Iapetus, id est pernix & rotata caelorum uertigo. Cum caelo praeterea analogum quiddam humanum caput exposito sphaerico habere cognoscitur. Proclus Iapetum accipit θεός νοερός, deum intellectualem, qui sit causa caelestis motus; unde etiam dicitur a theologis Iapetum, παρὰ τὸ ἰεθεῖν καὶ τὸ ἰεθεῖν, ab incessu uolatuque. Caelestem sphaeram eo nomine intelligi mauult Eustathius. Ignem a Prometheo surreptum, νόον intelligit τεχνικός, id est artificialem mentem; nam luminis causa, inquit, ignis est. Proinde icona habet artificialis mentis, qua uiuunt homines intellectualiter primum. Ferulam putat typum habere sensibilem: est enim Dionysiaca, ut Dionysii sacris initiati monstrant νεφέλη φερομένη, hoc est ferulam gestantes. Qui deus creditur sensuum auctor. Ignem fabula tradit, delatum primo in Aetoliae ciuitate, quae ex eo argumento sit dicta Pyrenia. Sunt ex Graecis, qui in agrum Argiuum caelo primum delapsum ignem ferant, diuque in Apollinis Lycostoni templo seruatam, quod in Argiuo uisebatur foro, quod in Electra Sophocles Lycium uocat: tamen est gymnasium Athenis Lycium.

Enarratur locus Propertij. Quale sit pharmacum prometheum. Item Promethei Thessali historia: nec non de Argiuo rege Lacyde. Ehippon. XXI

**D**isceptatum diu inter eruditos arbitror, qui Propertium atterunt lectione assidua, super illis uersiculis ex libro secundo ad Tullum, ubi de Cynthia queritur, quae in Baiano secessu, notissimo uitiorum diuersorio, in alterum uidebatur amorem suum corruisse, ex quo indignanter poeta, atque ob id dolens acrius, illuc erumpit:

Inuidiae fuimus, num me deus obruit? an quae

Lecta Prometheis diuidit herba iugis.

Sum admiratus uirum alias doctissimum, & oleo multo, multaque opera bene, atque adeo insigniter de re Latina meritum, eum coniuenter transluisse locum, nec suppetisse quid peculiariter afferret, etiam si multus sit harum rerum conquisitor. Sed inter tot uigilias semel atque iterum obrepisse somnum, minus fortassis mirandum. Verum amota omni uelica, cotenderim uel Attilio iudice, eruditum poetam significasse, ex herba pharmacum, quod prometheum Apollonius Argonauticon tertio uocauit. Etenim uelut fiducia sit facta uenditio, ut est apud T. Lium, remancipamus citra liuoris labeculam. Cuiusmodi porro foret ea, nec edocere quidem superferdit. Scribit autem natam primo ex cruore ac sanie in terram stillante, dum Promethei iecur aquila rostro lancinans in Caucaaso depalceretur. Eius, inquit, flos prominet cubiti mensura, colore corycio assimilis croco, caule gemino, radix sub terra caro uidetur recens incisa, succum nigricantem esse tanquam phagi. Nec uim item tacet: Si, inquit, Proserpinae re diuina noctu peracta, hoc corpus linias, ferro nullatenus obladi poteris, neque item ignis incendia sentire. Haec nimirum ubi legisset Propertius, carmini inseruit, ceu medicamentum eodem ita Cynthiae mens in eum obduruisset, ut nec igneos amoris afflatus persentisceret, ac nullos poetae astus curaret. Haec nos obseruata illatebrare non sustinimus, publicam materiam fecimus non uellicandi libidine, tanquam conferta manu in ius uocemus: neque enim theoniam dentem subinde stringere, Christiani hominis puto, sed iuuandi consilio. Expendant modo classici omnes, sed censura miti, hoc est citra liuorem: si probarint, calculum non abnegent; sin minus, allata ratione, nec ipse unguem reformidabo, aut nares hoc nomine contraham, patiarque, uel utrunque Andabatam uideri. Posteaquam uero de Prometheo satis multa cogessimus, subnotemus illud quoque, quod ex Ioanne Grammatico nouimus. Fuisse ab superiore diuersum ex Thessalia Prometheum quemdam, quem quum Lacydes uellet interficere, & tum forte is phymate laboraret, tuberculum est id furunculo maius, rotundius atque planius, transfuerberans ense persanauit. Eodem modo, inquit, Smicyntes Nicanora ehippo percussit salutare intulit uulnus. Et Seneca De beneficiis secundo, Tuber tyranni quidam ferro diuisit, qui ad eum occidendum uenerat. Thessali Promethei meminit Plutarchus in commutatione qua comonemur, Quo quis modo ab inimico possit iuari: sed Lacydem non nominat ibi: nominat autem extra historiam mox paulo, docetque fuisse Argiuorum regem, coma delicatum & incessu quoque molliorem.

Scripti

Scripti & uoluntatis quaestio triplex. Quid aequum & bonum. Quintilianus enarratur. Lesbia regula. item Polyleti regula. Caput XXII



Nter alia haud parum multa quae in dicendi artificio solent sese ueluti obices & moramenta legentibus ingerere: est & illa, Scripti & uoluntatis, frequentissima etiam inter Iureconsultos quaestio, ut iuris pars non minima uideatur inde pendere, sicuti eleganter scribit libro Oratoriarum institutionum septimo Fabius. Eius quaestio uis trifariam tractari ferè potest: nam est ubi scriptum & uoluntas ambiguitatem habent, si quid in lege sit appositum obscurius. Alterum genus est, in quo pars altera scriptum aduocat, altera uoluntatem. Quo autem modo ab uoluntate stemus aduersus scriptum, amplius exsequitur idem Quintilianus. Sed exemplo item apposito: Peregrinus, inquit, si murum ascendit, capite punitur. Quum hostes murum ascendissent, peregrinus eos depulit: petitur ad supplicium, contradicitur, quae riturque, an ne seruanda quidem ciuitatis causa liceat moenia conscendere? Ergo aequitate ac uoluntate pugnandum: Tertium genus est, quum in lege aliquid inuenias, quo non obscura coniectatio fiat, conditorum legis diuersa atque aduersarij opinentur, sensisse. Huc usque Fabius. Sed caetera quae hic continentur, nec molestam nec reconditam interpretationem habent. At quod dicitur Aequitate pugnandum: nos torquebat aliquantulum, uidebaturque omnino res uberius explicanda. Nam & ex multis Quintilianus locis tollitur obscuritas, quae plerumque Lynceis imponit uice Plani cuiusdam: & alij quoque scriptoribus qui studioforum lectionibus teruntur, opem tulerimus aliquam: sed ad hoc praestandum non ferè illustrior Aristotele occurrit, qui abunde nos instruat, quid sit quod aequitatem crebriter, ac bonitatem dicimus. Nec oberit illud factum uulgo: Vni testis, nec Catoni quidem credendum: quando non occurrit, aduersum ituros aliquos. Legō igitur apud illum libro De moribus quinto, id ab Graecis uerbo uno exprimi ἀρετή, quod nos aequum dicimus & bonum. Contentaneum, inquit, est dispicere aequitas & bonitas quam rationem habeant ad iustitiam: neque enim omnino est idem, nec genere item prorsus diuersum: nam eximie quaedamque approbantes adnectimus id, ex aequo & bono. Sed si rursus rationem pergas dispicere, absurdi nescio quid sese ostentat. Si praeter iustum aliquid sit bonum & aequum, quod laude dignum censeas: Nam aut iustum, res eximia non est: aut bonum & aequum, non iustum, sed aliud: aut utrunque eximium, & idem est. Caeterum rectissime omnia constituta, nilque in his pugnans est: quippe bonum & aequum, cuiusdam iusti emendatio est, non tamen ab eo dissentaneum. Gignit autem ambiguitatem, quoniam bonum & aequum iustum est quidem: sed non id tamen, quod ex lege est, sed quod legem corrigit emendatque. Ratio uero huius hinc colligitur. Lex omnis uniuersalis est: sed enim ea saepe rerum natura est, ut de his uniuersim praecipit nec possit nec debeat. Vbi igitur necessarium est uniuersale praecipitum, nec recte afferri potest, lex id completitur, quod plurimum est: nec eam fallit tamen, in quo deficiat, nec ideo non rectam dixeris: neque enim peccat lex, sed rei natura, quae praecipiti capax non est. Quando ergo uniuersalis est lex, usum uenit autem, quod uniuersale non sit, tunc summa dicitur ratio, ut quae conditor legis, ut rerum cogere, omisit, expleatur emendatione, quod nec ipse legis auctor abnuat, si adsit. Haec igitur est boni & aequi natura, legis emendatio, qua quippiam fuerat omissum propter uniuersale: quaedam enim sunt, de quibus lex ferri non potest. Itaque decreto opus est, nam indiffiniti indiffinita est regula. Cuiusmodi est in Lesbo in aedificandi ratione regula plumbea. Haec ex Aristotele. Vnde plura paulo mutuari, & transponere collibuit, quo ex summi philosophi placitis res tota notior fieret, nemoque non dehinc uitro (quod dicitur) Sidonio, & electro lucidius sciret, quid aequitas & bonitas sibi uelint in maximis auctoribus. Vsurpat simplex plebecula crebro aequitatem, nec tamen quid dicat, opinor satis intelligere. Quod autem de Lesbia dictum regula est, scire amplius oportet, Lesbios plumbea uti regula, quae super lapides posita per eorum inaequalitatem flectatur facilius: siquidem adeo durus in illa insula esse lapides memorat, ut ob naturam minimè sequa eam scalprum non ferè recipiant. Igitur eius ratione regula inter aedificandum, mensu lapidum quoquo modo concepto, iunctura atque colligatio mutua minus reddebatur impedita, rectiorque surgebat structura. Erat & Polyleti regula, cuius meminit in libro De optima constitutione

Y 3

tutione



tutione corporis Galenus. Et medici temperatam, ut ipsi dicunt, complexionem aiunt esse, nos temperatam recte nuncupamus, ueluti Polycleti regulam, ad eam quippe sanitatis regimen disponitur. Item aegritudinum curationes, cibi, potusque ratio, necnon pharmacorum. Galenus sane inquit, Optimum corpus ueluti Polycleti regula est, cui in nostro situ, utpote probe temperato, non pauca uideas similia. Porro quod ad aequitatem spectat, ad id ipsum facit, quod Moderatus Columella scribit Agricoltationis primo; Nec sane, inquit, est uindicandum nobis, quicquid licet; nam summum ius summam crucem putabant: nec rursus in totum remittendum, quum uel bona nomina non appellando fieri mala, scenerator Alphius dixisse seuerissime, putetur.

Thefei honores Athenis. Semnae deae quae sint. Item quid Semneum. Tyraneum, Laodiceum, Martyrion. Procotta. Cottis quid. Cepus. Comana ciuitas unde. Orestis historia. Procomion multa significare. Epicomia quae sint. Procomion. Plutarchi codex: emaculatur. Thefeis quid. Coma, barbæque primitias offerre cur institutum. Curotrophos Apollo. Tondendi species. Penice coma: galericulus. Relicinus. Replaudere frontem. Threpterius, pentherium, & pentherius capillus qui dicitur. Pnyx quid. Pnycite. Ceroplasta. Ceras pro coma. Ceram cur dicant Armoraciam, Xylon primum quid. Psiathia: Helenæ historia, & Iphigenia. Cap. XIII

**T**hefeum, qui primus Athenarum urbem constituisse uidetur, quum uicinatius prius habitaretur Attica: quamuis Quatrurbem credatur Accius appellasse Athenas, quod ex quatuor urbibus foret conflata, honoribus multis, ueluti tanti uiri attonita uirtutibus, prosequuta posterior aetas est. mortuum siquidem sacrificijs, ut heroem, censuit honestandum: asyllum quoque, id est sanctius templum, ut inquit Lilius, ad eius tumulum curauit dicendum, quod puto, Thefeum dicebatur: unde est Aristophanium illud in Equitibus, *καὶ δὲ εἰς τὸ θεοῦ τῶν στυμνῶν δεῖν*. Sedere mihi uideor ad Thefeum, aut ad deas Semnas, id est Erynias, ex Attica loquendi consuetudine, *ἢ ἀντιφραση*. Earum simulacra post Orestem excitarunt ad Ariopagum Athenienses, uti honore exciperentur maiore. Semnarum meminit Thucydides libro primo. Earum sacra obibant Hefychidae Athenis, ab Hefycho heroe propagati, cui arietem ante rem diuinam immolabant. Semneum uero monasterium est, uel quasi ueneratione dignum, aut magis, quia secreta & inaccessa loca uocant Semna. Apud Lycophronem tamen, etiam turpitudinem habet ea dictio. Semnas deas & Eumenidas putat diuersas Philemon comicus. Dicitur autem figura eadem, qua *τυραννία* Plethoni Gemisto in historijs, tyrannorum uocantur palatia. Sic & Thucydidi *διοσκύριον* nuncupatur Dioscurorum templum. Idem scribit, Mantineaos & Tegeatas in Laodiceo terrae Orestidis concurrisse. Martyrion Hieronymo est martyrum sacellum. Sed ad rem. Thefei templum & Erinnyarum asyliam habebat, quoniam ex ore uelli nullus poterat supplex. Quid quod auctores passim approbant, octauum mensis diem fuisse Theseo sacrum, sicut Numeniae dies, qui primus est, septimusque Apollini, quartus erat Mercurio sacer: Erant eiusdem honori festa Thesea, in quibus dabatur populo congiarium, & conuiuia celebrabantur. Frequens item tonsus nomen est Thefeis, ab illo producta. Etenim inoleuerat mos uetus, ut qui exephebi essent, capillum & barbam fluminibus, & Apollini primum tonderent, quem curotrophon uocabant. Sicut apud Homerum Achilles facit: & in Theseo a Plutarcho est repetitum, eo argumento quod ex humecta feruidaque natura constant animantium incrementa. Delphos itaque profectus Thefeus comae primitias obtulit deo, anteriore capitis parte abrasa. Nam alij temporum comam offerebant, alij posteriorem, ut est apud Pollucem. Priora capitis tondendi more Abantas primum usos, auctori Homero credimus. Quem admodum ediuerso Thraces quosdam appellatos scimus acrocomas, qui antias in frontem muliebriter demitterent. Nam Euboicos opisthocomas uocari solitos, Polluci assentimur, quia comam per terga fusam alerent, qualis fere Hectora dicitur coma, ut auctor Timaeus est. Nec Lycophron praetermisit, ubi Casandram inducit sic nuncupare comam, uelut incederet eo modo Hector. Procotta uocatur, ubi anteriores nutriuntur comae, quia Cottis apud Dores dicitur caput. Quauis alij ante frontem capillos dici Procottam

ram putent. Ex uetere item instituto legimus, in Ponto Comana nuncupari, ab excisa inibi ab Oreste coma: quod, ut scribit Procopius Persici belli primo, & significat Strabo, ex Tauris cum forore profectus in ualeitudinem incidens oraculum accepisset, non desituum morbum, ni adificato quale apud Tauros reliquisset, templo. Quare conspecto in Ponti regione praerupto monte, ciuitatem condidit, illum tauro consimilem arbitratus, ac Dianae templum, lugubri coma praefecta, extruxit. Verum grassante nihilo secius mali uis, rursus in Cappadocia montem nactus Tauricis persimilem altera excitauit Comana de Comae rursus praefecta argumento. Morbum non alium fuisse augurantur, quam insaniam qua sit, eneeta matre, correptus. Est & tondendi species dicta cepus, qua frons excolitur. Est & scaphium, ut Aristophanes significat in Auisibus. Est & indecora prorsus, ac cinadica tondendi ratio dicta moechus, qua infamatur in comedijs poeta Cratinus. Cuiusmodi fere apud Martialem epaphaeresis, etiam si pro tonsu simpliciter quidam intelligi epaphaeresim malunt. Vtitur eo uerbo Therapeutices quinto Galenus. Penicen comam dicimus institutam, non ueram, neque congenitam. Eandem & procomion recte uocaris, & pilidion apud Demosthenem, atque item entrichon: at Latine capillamentum & galericulum, Tranquillo astipulante in Othonis uita. Procomion intelligit in libro *πρὸς ἱππιῶν*, Xenophon equorum iugas in frontem propendentes: quae uisum non praepediunt utique, uerum & infestantia ab oculis defendunt. Legimus & *πρὸς κώμων* dici hymnum: qui ante comon, id est *κώμων* concinnaretur. Erat autem eo nomine cantus & uiolenta saltatio: unde quod comon praecederet, procomion recte dixeris, uelut proemium. Sed & qui alios anteit hymnus, eadem non inepte censetur nomenclatura. Quae uero laudis suppeditant argumentum in comestationibus post uictoriam epicomia dicuntur scienter: Pindarus, *ἰδὲ ναυσολεόντες ὑπὸ κώμῃσιν περὶ δῶν ἀρότας*. Procomion uero esse hordeum tradunt: sed & tostum triticum, ac suffimentum genus. Sunt qui ea appellatone, polentam ex recenti hordeo accipiant, ut Galenus. Relicinam in Alexandro frontem ubi in floridis laudat Apuleius, capillitio denudata intelligit, & ueluti relictam. Replaudere frontem, esse uidetur percutiendo frontem capillos reijcere, quod asolet in luctu. Capillus porro resecus deorum honori, threpterius dicebatur, id est *θερπηριος*, ut est apud Aeschylum. Reliquus uero pentherius, id est *πενθηριος*, puto ab luctu ita nuncupatus, quod usitatissimi foret moris in Graecia, per luctum comam recidere: & inter nauigandum tempestate urgente peruellere item fuis precibus: quod scribit in libro de sua ipsius uita Libanius. Alio tempore omni conuicere, nisi ubi uigore atatis praefectus, offerretur deo capillus, ut iam commonimus, quem inde quoque threpterium nuncupari solitum coniectamus: nam & threpra conuicitationis dici collata praemia, compertum est. Pentherium autem Thasi dotem appellat. Illud obiter adnotarim, pnycen ad comam pertinere nihil, quando eo nomine consilij locus Athenis significatur. Alij concionem eo uocabulo intelligi malunt, ab hominum frequentia & densitate deflexo uocabulo. Quod inuenere historia octaua Thucydides uidetur. Sed ipse *πύκνα* scribit. Pnycis meminit Plutarchus in Themistocle: Pulpitum, inquit, quod in Pnyce prospectabat mare, ab triginta tyrannis in terram & continentem est conuersum. Sed Latini codices foede interpolati. In pace, scriptum praferunt. Meminit in Theseo idem Plutarchus, & contra Ctesiphontem Aeschines. Verum Latinis codicibus maxime uitiatis. Apud Ammianum Marcellinum legimus, Diodorum esse exanimatum, quod dum adificandae praefectus ecclesiae, puerorum cirros licentius detonderet, id quoque ad diuinum existimans cultum pertinere. Ceroplasta a nonnullis comae ornatores uocantur, quoniam ceras etiam sit coma, quod ante Plutarchum indicat Homerus, dum Parim *κέραια* dicit: sed & apud Sophoclem *ὀρθόλας* *φρίκη* nuncupatur, id est horror pilos surrigens, uelut *ὀρθόλας*. Sunt & ceroplastae, qui ceram exercent: sed tunc Graece *κεροπλασταί* scribuntur. Apud Theophrastum obseruauimus, Armoraciam, quae syluestris est raphanus, ut scribit Palladius, ab cornu imagine *κόρυς* nuncupari. Quod pastinacis nomen est communicatum, Dauco tamen in primis, forte ab radicis capillatae argumento. Pnycen, de qua diximus, putant aliqui regionem ad Acropolin, antiqua comparatam simplicitate, ubi archaeresia haberentur, id est principum electiones, seu comitia. Proin

de tumultum popularem, & concionum fluctus dici pnycten ab Comicis. Obiter, ac parerga uelut opera adijciamus, primatem sedem nuncupari solitam *πρωτῶν ἐπέων*, id est primum lignum, & in iudiciali statione cathedram primam. Verum quæ iudicum fellis insternebantur, dicunt psithia. Illud postremo ad Theseum spectans haud incuriosius transmisero: quod Duris prodidit Samius, raptam ab eo Helenā annorum septem, tamq̄ retentam diu, donec Iphigeniam suscepit filiā, mox uero ea fuisse exutum. Propterea Lycophron Helenam dicit, *δουρὶν περὶ αἰῶν ὀρφανισμῶν ἰοναίην*, raptā ab Paride. Traditur illud quoq̄, Iphigeniam mox Clitēnestræ adoptatam. Eandemq̄ Græcis fuisse immolendam, ni Diana cōmiserante, in ursam foret deformata: uel iuxta Nicandrum, in tauri formam, aut etiam in anum uel ceruum, etenim traditur id quoque. Sunt qui ex Agamemnone ac Chryseide, Chrysen memorent natum, & Iphigeniam, Hanc uero post captum Ilium ab Tauroscythis abductam Dianæ institutam fuisse sacerdotem, uel Lunæ.

Pyrri uotum. Sanitatis præstantia. Antiochi somnium ad id. Pythagoricum item institutum. Socratis cōprecatio insignis. Aurum esse sapientiam; argentum uero naturalium notitiam.

Cap. XXXIII

**P**YRTHUM, qui Epirotis imperitauit, quiq̄ post Alexandrum rei militaris prudentissimus est adiudicatus, ferunt, ubi immolaturus templa inuiseret, non regni ampliore modum, non de hoste uictoriam præsignē, necq̄ item gloriam illustriorem, aut diuitias, & id genus alia, quibus mortalium pleriq̄ attoniti inhiant: sed sanitatem modo à dijs comprecari solitum, ceu parte hac bene constituta, prosperius celsura uiderentur omnia. Nam si toto sinu sese affundat Fortunæ afflatus, absit autem ualredo recta, nullum illinc profluit emolumentum quod iuuet. Propterea Antiochum cognomento Sotera, prælio cum Galatis congressurum legimus, in quiete arbitratum, Alexandrum sibi assistere, monereq̄, ut prius quam in aciem milites produceret, non aliud proponeret illis signum, quam *ὕγιαίνειν*, id est bene ualere. Quod quum is non neglexisset, nobilem de hostibus uictoriā est assequutus. Scimus porro mādatorum librum ab imperatore dari solitum, in quo præceptum primū erat de sanitatis cura: Pythagoras quoq̄ in epistolis non alia est usus consalutatione, q̄ ut iuberet *ὕγιαίνειν*. Id institutum & Pythagoricū mox seruauerunt, ueluti animæ corporiq̄ nil amplius congrueret, hocq̄ uno hominis bona uniuersa comprehendere. Quin & symbolum, quo inter compares uterentur, dicebatur *ὕγια*, id est sanitas. Socrates uero in Platonis Phædro, sic uotum cōcipit: Amice Pan, & alij qui locum hunc colitis dij, date mihi, ut intus pulcher efficiar, & quæcunq̄ extrinsecus habeo, intus sint amica. Diuitem autem solum sapientem existimem: tantū uero mihi sit auri, quantum nec ferre, nec ducere queat alius, nisi uir temperās. Hoc est philosophi præclarum uotum, hæc oratio ad deum insignis, hoc documentū cunctis insigendum mortalibus. Quid enim sollicitius petendū à deo, quam bonum? Sed cuiusmodi nam bonum? Certe ut eum ipsum, summum, inenarrabilem rerum cōditorem aliquo modo cognitione pertingere ualeamus. Hæc uera est sapientia, hoc bonum uerum, hoc præter eum, qui uere sapiens est, nemo contulerit. Sed nec alius acceperit, nisi intima pulchritudine nitidus, expurgatis scelerum fomentis: imo uero, quem incomparabilis illa bonitas, in sita pietate, sapientia dignum præstiterit, id est talem effecerit, ut lumen illud ferre paratus sit, resecta omni uitiatorum per uirtutem labe, perturbationibusq̄ omnino iussis cōticescere. Huic ita affecto Pan & dij omnes, hoc est summus ille parens, conditorq̄ rerum ac ministri eius omnes ita aspirant, ut aurum micantissimum non abnegent, id est diuinitatis notitiam impertiantur, postea quam corporea nec tumultuantur, nec mentis obstrepūt amplius. Hoc illud aurum est omni censu maius, quo ab Hebræis Aegyptios fuisse spoliatos, sanctæ produnt literæ. Etenim sic auri nomine Christianæ ueritatis assertores diuinorum cognitionem intelligunt, ut argentum symbolice scientiarum à deo conditarum signare tradunt. Porro in Apocalypsi Ioannes theologus, & diuinitatis intimus, & sine pari cōtemplator, ac (ut sic dixerim) à secretis: ubi aurum ignitum censet emendum, non aliud opinor, quam ipsum hoc, de quo diu uerba facimus, intelligendum prudentibus reliquit. Sed & magicum illud aurum infanti oblatum Christo

CHRISTO non alium habuerit sensum. De Platonis sacrarijs & illud est, ab Aristotele quoq̄ in Politicis repetitum, quibusdam statim in uitam prodeuntibus aurum affundi, nonnullis argentum, artificibus uerò & agricolis æs aut ferrum.

Adorationis præstantia, & necessitas. An bestia cælestia uenerentur. Votum quinq̄ rebus perfici.

Caput XXV

**R**OSTEA uerò quàm non temere quidē, sed consilio certo huc producti sumus, ut uotorum meminerimus, quibus infinitam lateq̄ exuberantem dei bonitatem simpliciter apprecamur, quod per momenta facit, bona nobis pergat cōtribuere, nequeo temperare mihi, quin ex ueterum philosophorū id cœtu seligam quoq̄, Deo tota ui exhibendum adorationis cultum, quo euidentius multorum, qui CHRISTI consecutores se profitentur, & prædicant, & caua uerba, ac in modum uesciarum tumentia buccis trutinantur inflatis, sed lingua tenus, & factis procul, perucax retundatur impietas. In primis uerò mihi se Iamblicus ingerit, sacerdos magnus, & præcellens Porphyrij discipulus, à quo proditum scimus in libro De mysterijs, uoto adoratione q̄ sacrificium perfectius fieri & absolutius, & totam demum religionem effici firmiorem. Ea quoq̄ re eximiam conflare animarū & dei connexionem. Frequens item adoratio alit intellectum, & perficit, animam ad diuina suscipienda admodum efficit ampliorē, diuina nobis aperit: hac luminis diuini insuescimus splendore, cælestis augetur amor, quodq̄ in animo diuinū est, succenditur acrius, furrigiturq̄, extergitur quicquid maculosum, quicquid est animæ hostile. Spem elargitur eximiam fidem perficiendo circa lumen. Postremo adoratio frequens deo nos familiares facit, atq̄ (ut planè dicā) discipulos. Certè ab deo, ceu fonte perenni, manant omnia, nil tam tenue aut pusillum, quod eius ope cōperias destitutum. Vnitas diuina exuberat in omnibus: ea stat omne, quicquid est. Sed ut ab illa profluit, ita refluit in eandem circulari quodam & intimo motu. Alias opis indigum tota ui præcipitaretur in interitum. Hæc nos ratio ad piām prouocat adorationem, qua cum deo, abs quo produimus, rursus coniungamur, & (ut sic dicam) coalescamus. Propterea diuinè Porphyrius: Quoniam, inquit, dei filij dicimur, & sumus, sed in hanc mūdā magnitudinis portionem ueluti in exilium quoddā amandati, & in Tullianum quodāmodo intrusi, suppliciter ac summis addeceat uiribus adorare, ut ab hisce educi tenebris, & terrima sede, unde profecti, patrem latissimè repetamus. Certè quum uniuersi partes simus, uniuerso proculdubio indigemus: siquidem ipsa ad totum conuersio partibus salutē præstat. Quod si uirtutis expetis ornamenta, eum uenerare, qui totius uirtutis est princeps. Qui enim est unitas uera, bona: id ipsum, quod expetis, impartietur bonum. Si corporeum insigne quodpiam consecraris, ei te subijce. Illi uota cōcipe, cuius immensa uis corpora omnia creat potenter, & salubriter continet. Qui essentiam præstat, utiq̄ præstat & salutem. Hoc ipsum nobis dicitur historia, ex qua edocemur, Indorum Brachmanas, Persarum Magos, ueteres Græcorum Theologos omni pede diuino cultui & uotis intendisse. Quippe quum sit à brutis diffitum humanum genus, consentaneum est, ac prorsus necessarium, distitam, propriam, à bestijs sequestratam unam aliquam habere perfectionem, in cuius participatum inferiores non ueniant animantes. Hunc uerò esse sermonem, non recte putatis. Pleraq̄ enim in brutali uita extant sermonis uestigia. Neq̄ item rationem quālibet: nam a cūuæ rationis in bestijs semina multa, quod operum & uitæ comprobatur modus. Speculatio item quædam, & naturalis peritia nobis uidetur cum illis quadamtenus esse cōmunis: nam & remedia norunt, cibos distinguūt, futura præfagiunt, ingruentia uitant solertissimè, etiā si natura duce in hisce potius uideantur niti. Vna uerò est diuinitatis contemplatio, cultus unus, qui extra hominem rejicit omnia. Neq̄ prona in pastum animantia deum suspicantur, aut sciunt. Peculiaris homini est in naturæ principem deum mentis excitatio, quod etenim spectat ipsa hæc tam præsignis, tam regia humani corporis ad supera erectio: Quod si ex Plinio obijcere pergās, & brutorū aliqua cælestibus reuerentiæ cultum exhibere, inferam, non exactè ad uerum omnia narrari ab id genus scriptoribus. Quanquam & ex Platoniorum doctrina possum coarguere, bestias aliud quiduis facere potius, quum cælestia uidentur honorare. Aut si honorant, nescire tamen quid agant: uel si sciant, eas item intelligentiæ ac immortalitatis

talitatis uideri participes, quod est ab omnium fere consensu disparatum, respicitur Episcopus quidem. Cui generi, si modo non sit obdurata fronte, ferulas adhibuisse, non superuacaneum esse. Verum, ut unde diuertimus, illuc demum reuertamur, putant ex adiuratis nonnulli, cultum absolutum, & nulla ex parte cessantem, quinque maxime perfici rebus. Primum, inquit, nosse oportet eum ipsum, quem colere destinatis: mox qua ratione cultum hunc adhibere, sit necesse. Secundo loco summarum exercitatione uirtutum, castitate, integritate, mentis puritate ac sanctimonia excussam depuratamque uitam diuinam uitae, quantum ratio patitur, coaptare, assimulatione religiosa. Tertium locum ex his habet contactus iam augustior, quo diuinam essentiam fere atingimus. Quarto loco diuinum uestibulum ingredimur iam. Postremo unitatem animae nostrae propriam unitati diuinae insinuamus penitus atque connectimus. Demum prius quam ad alia transeamus, illud utique admiratione dignum, & festo plausu excipiendum, quod Homerus tantae uetustatis poeta duo potissimum in homine insigniter est ueneratus, tum quod mente ornatus foret, tum quod coleret deos: sic enim Vlysses commendat,

*ὅς περὶ μὲν νόον ἔστι θεοτάτων, περὶ δὲ ἰσὰ θεοῖσιν  
Δείδωκε, πρὶ δὲ θεῶν ἐν ἑρῶν ἐχούσιν*

Scribit tamen Theodorus magnus, explorando curiosius singula, liquido compertum, meritis quidem & animas praecipue sed & quicquid omnino est, excepto uno, adorare, item atque uouere. Nempe (inquit Proclus) cuncta precantur, hymnosque concinunt ad ordinis sui duces. Sed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia uero sensibili. Vnde enim putamus plantas illas, quas heliotropias nominant, ad solis motum solem uersus moueri? Selinotropias uero ad lunam uerti: Sed uir tantum bonus ut in Legibus Plato docuit, deum decenter feliciterque precatur. Postremo, inquit Iamblicus, adoratio, eiusque uirtus nunc sacrificium anteit, nunc medio inferitur, interdum finem complet sacrificandi.

Volutatio in caeno, apud Plinium quid sit. Caeroma. Patos bis. Conifallos. Alapatha quid. Lapathi. Conifa. Pyriathos. Vnguentorum genera. Christa. Coniata. Alima. Chrima. Conistra. Pandare. Canthelii qui sint. Catheton, Catheter. Item locus Plinij expensus. Bibendi leges. Conuulsiuorum praefecti. Gynaeconomi. Horatij locus declaratur. Amystifare. Commodi historia. Item tertij loci perpensio in Plinio. Pauli praetorij historia. Quid ad mouere obscenae imaginem principis. Vini hordeacei proprium. Pinon uinum. Propomata, & bryton, ac parabia. Brutij unde. Cap. xxvi

**P**linius Historiae naturalis uolumine decimo quarto, supercilio (ut solet) censorio uinolentiam detestans: Ad haec, inquit, pertinent peregrinae exercitationes, & uolutatio in caeno, ac pectorosa ceruicis repandae ostentatio. Sum memor, dum adolecens adhuc, tantumque non etiam praetextatus, enarrarem nobile opus Antonio Boldu, nobili Veneto, Rhodigij praeturae gerenti, uiro in literis satis exercitato, quaesisse ex me per literas Veronensem quendam, quid super eo loco non aperto admodum sentirem: uel quia minus percipiebat ipse, uel ut ingenium meum periclitaretur, & doctrinam, arbitratus forsitan in palustris soli crassamento natos esse prorsum, quod Galenus inquit, *ὄντος θεοσαλέως*. Respondi tum pro tempore, quae occurrebant. Nunc eadem, sed exultiora, multoque locupletiora hic apponere est uisum, simul ut pro uirili prosum, simul ne pereat, quod laboriose olim fuerat excogitatum. Igitur uolutationem in caeno luctatorum intelligo meditationes: in quem sensum duxit me primum Valerius Martialis libro septimo, in Philenen,

Et putri lutulenta de palaestra

Vincti uerberare uapulat magistri.

Accessit mox & Senecae altipulatio, apud quem ita legimus: Non adducor, inquit, ut in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis quam statuarios, aut mar morarios, aut ceteros luxuriae ministros: aequae luctatores, & tota luto ac oleo constantem scientiam expello ex ijs studiis liberalibus. Et ne qua omnino subsit haesitatio, expendant quae Plinianarum obscuritatum scrutatores, quae ad eam rem aptissime Lucianus

Lucianus scribat, cuius dialogus est, Anacharsis, siue de gymnasiis: qui adeo ad Plinianos accedit sensus, ut prorsus ab eo quodammodo uideatur mutuatus. In eius igitur sermonis initio ita positum inuenias, *ταῦτα δὲ ἡμῖν, ὡς σόλων, τίνος ἐνεκεν οἱ νέοι ποιοῦσιν; οἱ μὲν αὐτῶν περὶ πλεονεξίας ἀλλήλων ἐπισκελίζουσιν. οἱ δὲ ἀγγύουσι, καὶ λυγίζουσι, καὶ τὴν πάλιν σωμασφύρονται καὶ λυγίζονται ὡς περὶ σὺνδου*. Haec inquit, o Solon, cur nam iuuenes nostri faciunt? Alij complexi mutuo se supplantant, hi praefocantur, uerberantur illi, & caeno sese immiscent, uoluntanturque, perinde ac fues. Porro & caeroma nouimus dici oleum, quo perungerentur athletae, ad robur adijciendum membris, adhibito quodam terrae genere. Sunt qui paton dici putent caenum caeromati, id est oleo, ut ipsi interpretantur, permixtum. Cui si sudor accesserit, conifallos Attice dicatur, sicuti auctor probat Galenus. Paton, pro conifalo fere accepisse Eustathius animaduertitur: nam conifalum pro puluere intellexit Homerus, ubi ait,

*ἄπο πόσις κόνισα λαθ' ἄρουντ' ἀελίης.* id est,

Sub pedibus excitabatur puluis procellosus. Alapatha Graeci porro inanitiones dicunt, unde lapathum herbam scribit Sudas nuncupatam, quia sit *λάχανον γαστρὸς κρηωπιτύου*. Sunt & lapathi capiendis feris depressiores fossae: quod Democrito placuit, ac idem exposuit Sudas. Conifstram, pro palaestra positam inuenimus: quia conis, sit puluis: quod significat Eustathius. Quanquam erat Atheniensium item deus Conifallos. Strabo: Nam, inquit, Priapum Hesiodus non nouit, & Orthanae, & Conifalo, & Trychioni, & eiusmodi Atheniensium dijs per similes est. Auctor Aristoteles est, coturnices nidum non construere, sed conifstram, id est aream, ut Theodorus interpretatur, quam & sarmentis cōtegant. Conila uero herba est, quam in Theriacis Nicander etiam Heraclium & Origanum dici arbitrat. In Ophiaco Petrichus ab Conifalo inuentam tradit. Quod ad Paton attinet, sciendum eo uerbo ab nonnullis intelligi retrimentitiam caprarum feculentiam: quae & Pyriathos nuncupetur quandoque. Vnguentorum esse porro discrimina duo, adnotatum ab eruditis est, delicijs destinatum unum, quod chrima nuncupetur, seu chrima, palaestra dicatur alterum, quod dicatur alima. Coniatae autem, & christae unctores sunt. Quae autem peregrinae dicantur a Plinio exercitationes, minus potest habere difficultatis: quando auctore Thucydide scimus, Omnium primos Lacedaemonios corpora in gymnasio nudasse atque oleo perfudisse. Et M. Tullius libro secundo De oratore scriptum reliquit, Gymnasia delectationis & exercitationis gratia primum ab Graecis instituta. Vbi uero ait, pectorosa ceruicis repandae ostentatio: intelligo membrorum conformationem in palaestra significari, in primisque collum procerius, quod in eo exigebatur maxime, uel Satyro attestante:

Et longum inualidi collum ceruicibus aequat

Herculis, Antaeum procul a tellure tenentis.

Sed & Martialis in Distichis id ipsum approbat illis uersibus:

Haec rapit Antaei uelox in puluere draucus,

Grandia qui uano colla labore facit.

Pectoris quoque latitudo roboris indicium est uel maximum: nam in tyronibus Vegetius primo De re militari, id item exegisse uidetur. Sed & erectam ceruicem non tacuit: Repandus uero nunc retro patentem lignat, nunc reflexum, unde repandirostrum concinnauit Pacuuius, quanquam dure, Quintiliano teste. Sarcina item pandati dicuntur, qui oneribus nimis succumbunt fere, & incuruantur. Plinius De apibus: Totaeque onustae remeant sarcina pandatae. Item libro decimosexto, arbores, siue trabes pandati scribit, quae incuruantur ceduntque ponderi. Cuius contrarium palmae faciunt, quae in diuersum renitendo fornicantur, ueluti asinorum genus id, quos canthelios Xenophon dici scribit, sicuti in monimenti Suda relatum scio. meminisse & Polybius, quanquam & in percipiendis hebetior eo dicatur nomine. Auctor *ἐκλογῶν περὶ γεωργίας*, libro sexto, Canthelios interpretatur cophinos maiores: hinc Strabo *γεωγραφικῶν βιβλίου* libro quartodecimo, Alabandam scribit faciem praebere *κάνθηλιον κατὰ τὸν ἀμύδιον*, id est canthelij inuersi. Lityersem Celanarum regem Solitheus scribit apud Athenaeum, tres solitum canthelios totos uorare. Catheton uero, id est *καθετῶν* dicunt perpendicularium. Catheter autem, seu *καθετήρ*, chirurgicum est instrumentum, imagine quadam s litterae, quod

quod per urethram intrusum urinam prolucit. Cæterum postea quam nodum hunc factis implicitum, non ut Alexander, ferri adminiculo, sed ingenio & indagine certa plane exsoluimus, addamus ex abundantia, quod in eodem capite legitur haud ita multo post. Alius, inquit, quantum alea quæsierit, tantum bibit. Concisa oratio, & impedita, sed Pliniana: uerum hoc sensu: Alij, inquit, tot exsiccant pocula, quot iniunxerit conuiuij dominus, qui talorum fortuito iactu eum fortiebatur locum: propterea Horatius, Nec regna uini fortiere talis.

Quin ex eo dicebantur modiperatores, ceu bibendi imperarent modum iuxta conuiuales leges, sic enim appellantur. Magistros Cicero uocat. Græci βασιλεις, hoc est reges. Meminit Legum septimo etiam Plato, necnō in Cœnis Macrobius, Decreta poro conuiualia, quæ uocant νόμος, diligenti seruabantur scito. Sed quæ nam erant ear? Apud Græcos, inquit Cicero, lex in conuiuijs obtinetur. Aut bibat, aut abeat. Erat & cantio conuiualis, ὡς τε πινε, τὸς πινε, ἀμα τὸ ἔφα. Bibe quinq; bibe tres, bibe quatuor cyathos. Nam Simonidis illud profus diuersum est, πινε, πῖν ἄν συμφορῶν, quippe συμφορῶν, est πῖν μὲν αὖ. Proinde sic enunciant alij, πινε, πῖν ἐπ' ἰδίοις. Gynæconomi conuiuia inspectabant cum Areopagitis, & cœtus alios in domibus ac nuptijs, & re diuina, lege ne præfinitus adesset numerus. Apud Romanos uero bibendi ars hinc fere constabat legibus, quod Plinius obseruauit & docuit, non labasse sermone, non leuatum uomitione, non altera corporis parte, plurimum hausisse uno potu, plurimum præterea addidisse alijs minoribus, optima fide non respirasse in hauriendo, neque exspuisse, nihilq; ad elidendum in pauimēto summum ac postremum potum ex uino reliquisse. Hæc Plinius, quæ eo gratius apposuimus, quoniam quod extremo loco adiectum est, Horatio multum infert lucis Carminum secundo, quem locum conuiuentes pleriq; transiliunt, in aurem (ut aiunt) utranq; prorsum sopiti.

Absumet hæres Cecuba dignior  
Seruata centum clauibus, & mero  
Tinget pauimentum superbo,  
Pontificum potiore cœnis.

In eo autem quod Plinius dicit, optima fide non respirasse in hauriendo, scitu dignum est, id Græce admodum uenuste uno exprimi uerbo ἀμυσί, quo significatur, inter bibendum ne fuisse quidem oclusum os, aut contracta labra: sed capaciter hausisse, aut magis quasi ἀμυσί, quod indicat, sine respiratione: unde etiam producit uerbum ἀμυσί, eo modo bibere, quod nos Latine, nec inepte amystraræ dixerimus, quando & Horatianam legimus amystridem. Celeberrimum illud est, Commo dum Cæsarem in solitudinibus & æstuationibus theatricorum certaminum, quando ex superiore loco uersos iaculis impetebat: quod refert Dion, ingens poculum dulcis uini solitum haurire ἀμυσί. In quo à spectantibus id in conuiuijs frequens succlamatum ferunt, Ζῆρας, id est uiuas: sed amphibolice pronunciatum, grammatici contendunt, perinde ac dicitur, compleas uiuendi modum, id est morere. Est & tertius locus capite eodem habens & ipse inuolucris aliquid, ubi Plinius ait, Vulgoq; ueritas attributa uino est. Sed infert luminis non parum tertio De beneficijs Seneca, ut adagium uulgo frequens præteream, Vinum & cum pueritia, & sine pueritia ueridicum est. Sub Tiberio, inquit, Cæsare fuit accusandi frequens & pene publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium, nihil erat tutum, omnis sæuendi placebat occasio. Cœnabat Paulus prætorius imaginem Tiberij habens in gemma, matellam poposcit. Id factum Maro ex notis illius temporis uestigatoribus notauit: at seruus eius, cui ne cœbantur insidias, ebrio annulum extraxit, quum Maro conuiuas restaretur, admotam esse imaginem in obscœnis, & iam subscritionem componeret. Hactenus ex Seneca, & quidem pluscula simul, ut Plinium illustraremus. Simul ut obiter perciperent studiosi iuuenes, quid esset principis imaginem obscœnis inferre. Porro Valerius Martialis locis aliquot nunc figurate, nunc apertius illorum temporum insectatur scelus, quibus poculo & uino extorquebantur hæreditates, & testamētorum falsæ subsignationes. Obiter id enotabimus, mirum esse quod in libro De ebrietate Aristoteles prodit: Vino hordeaceo temulētos retrorsum modo decum

decumbere, ac supinos: quod in alijs haudquaquam fit. Vinum id genus uocat Philosophus inibi pinon, id est πῖνον. Sunt qui etiā bryton, ut in Triptolemo Sophocles, sed & in Lycurgo Aeschylus. Arbitratur Paulus, quod è lanarum fordibus expurgatis efficiatur uinum, recte pinon dicitur etiam si nō defuit, qui sic uinum uocari putent, quod fordentes eluantur lanæ, quod seponatur mox cōditum. Verum ex radicibus item cōcinnari bryton, Hellenico credimus. Hecataeus in Europæ periodo auctor est, Pæonias ex hordeo bryton haurire, ac ex milio & conyza parabiam. Brutum uerò Latina dictio est, unde & Brutijs conciliatum nomen, ut scribit Diodorus, quod eorum pleriq; omnes fugitiui serui initio fuerint, ac bruta gens, hominū colluuiōe circa Lucaniam confluenta. Brutides autem mulieres dicuntur, uelut sibyllæ, ac prophetides. Brutios à Lucanis rebelles dici, auctor est Strabo. Sunt & propomata, uelut antecedentia pocula, ut sint bibendi procœmia. Est apud Palladium caput, libro tertio, quo pacto sponte nascantur propomata, id est uina condita, cuius est modus rosatum & uiolatium.

Quam habeat rationem id frequens in libris, Non esse infundendum lenticulæ unguentum. De odoribus aliqua non ingrata. Item quid sit odor.

Dryinos animal. Meladryon. Adranus deus. Rancor quid. Cap. xxxvii.

**N**on esse promiscendum lenticulæ unguentum, ex Varronis Satyra Gellius adnotauit. Monuerat diu antea in Epistolis ad Atticum M. Tullius: sed & eo adhuc antiquior philosophus Aristoteles, in commēratione quæ De sensu est, & sensili: ut Athenæum præteream: cuius libros, si prodeant quādoq; mutilati minus, minusq; (ut sic dixerim) fide labefactata, uelut breuia, & quidem recōdita putaueris rectissime, ac unguentū, sed amaracinum. Dignū uerò arbitratus nosse exactius, quæ nam foret eius sententiæ ratio, siquidem subolebat, inesse quippiam latētis doctrinæ, adij nostri temporis Lynceos, qui summo conatu interpolatum Gellij cōdicem restituere adorti sunt. Cæterum nil ibi cōpertum, quod sitim expleret. forte illi, ut qui essent ingenio acri, doctrina excultiore, hæc tanquam tenuia nescio quæ, ac nugalia, uel scholastica cōtempserint, ac uelut piscium filij (quod aiunt) aquosa petierint. At ipsi fordentes, quasi reguli & scorpiones, aridissima quæq; consecramur, & quod infra classem simus, ac notæ uilioris, nil opinamur negligendum, quod inscitū, & latens frontem cogat perfricare, nullo profectu. Sed uerius est, in puluerē prodire, quā diu præfari, etiā si cōtentiosum trahere funem uidebimur. Igitur omnem (quod aiunt) lapidem mouēdo sic comperi, odorū species esse duas: alteram quidem saporis ratione; cui gratum ingraturumq; inest quidem, sed per accidens, hoc est non quatenus eiusmodi odora sunt, sed quoniam odor eorum nutrimentum significat. Est enim odor quædam, ut sic dicam, passio nutrimenti, sicut & sapor: siquidem per qualitatem eam aptum & congruum sibi alimentum è longinquo percipiunt animalia, sicut coniunctum per saporem. Ex quo animaduertimus, odores id genus saturis minus esse oblectabiles; at esurientibus mirifice. Nam nec cibaria ipsa nō indigi appetimus. Quo colligimus liquidō, hosce odores alimenti tantum ratione oblectare, aut ediuerso. Altera uerò odorū species per se dicitur, nanq; oblectant simpliciter, & per se, nullo nutritionis intuitu. Eiusmodi sunt florum odores, hi quippe nullam conciliarint appetentiā. Quinimō si cibarijs inferatur, inamœna reddunt ea, prorsusq; aspernabilia: quoniam odorata hæc fere sunt saporis non boni. Propterea, inquit Philosophus, scite admodum & ex uerō dixit Stratis in Euripidem inuectus, Si lenticulam decoquas, unguentum ne in dideris. Cui affine illud quoq; πῖν λαινοῖς πῖνον. id est, in oleribus piper. Sed & Hieronymi illud in Heluidium, Saltitans camelus. Varronis Satyra ex Marcello sic uidetur inscripta, ἠδὲ τῆ φαικῆ μύρον, πῖν ἐν τρυφῆς. Scitu poro dignum id quoq; Odores hosce, qui per se odores à physicis nuncupantur, esse rationalis naturæ infimæ, hoc est humanæ proprios: eos enim homo discernit solus, hisq; afficitur plurimum. Quæ nomine, quantum ad hoc, odoratus in nobis inter animantes omnes præstantior exquisitiorq; est. At in altero odoratorum genere à brutis lōge excellimur. Euentus autem ratio est, ut contemperetur cerebrī frigiditas. Id enim in homine maius ex corporis analogo, quā in cæteris. Cerebrum deniq; suapte natura frigidum est, ob id & sanguis, quem exigue ac prætenues uenæ cōplectuntur, tota facilitatē frigus concipit. Propter quod

ex cibo resolutæ euaporationes, & arcem illam scandentes, ex loci frigore densiores factæ rheumatismis plerumque præstant argumētum: ad quæ amolienda, uel aliquo modo mitiganda odores imbecillitatis nostræ natura memor suggestit. Quod si odores hi cerebrum uidentur quandoque obledere non parum, ex indicreto provenire modo certum est. Nam si iusto plus id incaluerit, sit inde redundans resolutio, quæ mox infert nocuum. At qui alimentum rationem habent, odores sæpius multo caput infestant, ex humectationis nimietate aut siccitatis. Sed dicat aliquis, Tu quidem de odoribus satis multa: uerum ecquid doces, quid demum censeamus esse odorem? Nam sunt qui odoris nomine fumidam intelligant exhalationem, quam aeri & terræ cōmunem uolunt, ueluti mediam inter ea, quum sit quid resolutum ab sicco terrestri aeream non pertingens subtilitatem. Nam & Heraclitus literis mādauit: Si omne quod est, in fumum resoluatur, naribus facile cuncta discernentur, quia uniuersa in odoris rationem uenirent. Alijs uerò magis placuit, odorem dici humectam euaporationem, id est aqueam humiditatem resolutam. At alij utriusque, sed amplius insipienter, nihil horum profecto tradit recte uidebitur: nam si odor fumidum quiddam sit, quo nam pacto in aqua fiat fumus? At qui in aqua odores percipi, certe opinor liquere. Si uerò euaporatio dicatur humecta, relinquetur intelligendum, sentiri odores per effluxum quædam, quod item de coloribus pronuntiatum est, sed utriusque perperam: nam utriusque colligitur, sensum effici odorum & colorum cōtactu. Adde, quod odoratum corpus & uisibile planè immiueretur, & demum effluxu assiduo resolutum periret. Quod dictu per absurdum foret, præsertim quum distita longe sub sensum ueniāt tum uisus, tum odoratus. Effluxus nempe qua ratione in tam longinqua terrarum producat? Cæterum id altruendum uerius, contingere hoc per spiritalem medijs immutationem: siquidem liquidò constat, humectum, quod in spiritu est, id est in aere, quodque in aqua, pati ab euchyma siccitate, atque ita odorandi comprehendit rationem. Nam aer item humectationis est particeps. Alicubi tamen Aristoteles non inficiatur, odorem esse fumidam exhalationem: sed non ita, quia sit ipsa odoris essentia, quod secundo De anima falsum cōuincitur. Longius enim diffunditur odor, quam aspiratio fumida. Sed id sentit, quod hæc sit causa, ut sentiat odor, quæ ab calidis profuit: quo fit, ut calidis temporibus, & locis flores maioris esse odoris pernoscantur. Sed ut obiter adnectamus aliquid, non ignorandum omnino, esse in quercuum radicibus animal ad perniciem adeo potens, ut supergressu tantum excidat pedum cutis, intumescantque insigniter crura tota. Id uerò etiam uinum mirabilius, si quis mederi uelit, manus itidē excoriatur. Quod si interimere adoriatur quispiam, pessimo infici odore: itemque odorari aliud nihil. Quod utique cunctatè apposuisse, nisi ab auctore graui relatum scirem Paulo Aegineta quinto *ιατρικῆς πραγματείας*. Nomen uerò animali *δρυς*, ab loco ubi uisitat ferè. Dryinas nuncupatur ab alijs, atque item chelydrus inter genera serpentum. Meminit in Theriacis Nicander. Melandryon uerò apud Theophrastum est exalburnatum robur, de nigricie cōciliato nomine. Sed & falsamenti genus, melandryon est. Adranus uerò in tota colebatur Sicilia deus, cui sacra erat Adranum ciuitas, tradente in Parallelis Plutarcho. Illud submonuisse in odorum mentione nil (puto) obfuerit, Hieronymum sic epistola quadam scriptum reliquisse: Cinnamulos pueros, & calamistratos, ac peregrini muris olentes pellucas: de quibus illud Arbitri est, Non bene olet, qui bene semper olet: quasi quasdam pestes, ac uenena pudicitia uirgo deuret. Versiculus quæ Arbitro Petronio ascribit auctor hic scientissimus, apud Martialem legitur quoque. Rancorem Palladius mucidum intelligit odorem: Canales, inquit, & omnia receptacula olei calida aqua prius lauabis, ut nihil de anni præteriti rancore custodiant.

Grati animi exempla Alexandri, Socratis, Furnij. Interim Archelai historia. Ingratitudinis fœda sugillatio. Actio ingrati Athenis cōtra Senecam.

Hirundinem significare ingratum. Militis Macedonici historia. XXVIII



Lexandrum Macedonem ingētis spiritus terrarum principem legimus, inter alia haud parum multa, quibus eum natura, extra quam mortales alios, excoluerat, honestaueratque: & cælo quodam modo inseruerat, uirtutum, & laudis felici magnitudine: identidem magna sua gloria solitum prædicare, a nemine

nemine se unquam benignitate fuisse exsuperatum. Magnum id, & præclarum. Sed quod in participatum admittat & alios: uerum itidem magnos, præcellens, omnium capaces. Archelaus rex, is qui in solis deliquio, rerum naturæ ignarus, & pauore attonitus festinantius occludi regiam imperauit, & quod assolebat in magno plerumque more, comam filio decuti iussit, Socratem impete rogauerat, ad se ire: at ille, seu per eam figuram, quæ in sermonibus erat ei per familiaris, seu animo serio, negare perrexit, eius beneficio futurum se auctiorem, cui paria facere non quiret. Sed age aduocetur ad hoc decus rerum Italica uirtus. Furnius uixit Augusti temporibus, pater eius cum Antonio stipendia fecerat, ob id iure belli hostiliter Augusto erat offensor: adiit tamen imperatorem filius, patris ab eo uitam deprecatur, ignoscit ille: tunc Furnius, Hanc unam Cæsar habeo iniuriam tuam, effecisti uiuere & morerem ingratus. O festo plausu excipiendam uocem, o præsignem animi sublimitatem: effecisti (inquit) uiuam, & moriar ingratus. Quod esse potest tam amplum gratitudinis indicium, quam nulla ratione sibi satisfacere, & dantis beneficentiæ imparem se perpetuo fateri? Quin, inquit in Metaphysicis Aristoteles, non ijs modo quorum sententiæ accedimus, sed & ijs qui ueritatem non omnino attigerunt, testari gratias decet: nam & hi aliquid contulerunt, nos si quidem excitarunt, acueruntque. Etenim si Timotheus non fuisset, tantam non haberemus canendi artem: quod si nec præisset Phrynis, minor apparuisset Timotheus. At si æqua lance rem totam uoluerimus expedere, paucissimos eius notæ reperias. Etenim quoruuscumque gratum nouit agere: Hic quia se uel Codro nobiliorem putat, aut cōgestas opes suspicit: & denique, quod publicum ferè hominum est uitium, se suaque miratur, amat, nec nouit perdere: quicquid contuleris, in solutum computat, bonumque, si non & ultrò deberi sibi opinetur, quod accipere sustinuerit, Alium aueritas trāuersum rapit, natumque inde illud sæpe iactatum, Nil esse iucundius, quam capere. Sed & inuidia quædam in ingrati tudinis album nos transcribit, malum certè uehemens, & importunum, quo in digitos mittimus, non quantum rationibus nostris ex amici largitate accesserit: sed num idem in alios, aut eo amplius contulerit. Gregarius miles inuitus facit, ut coronam det ciuicam, quod in quadam oratione Cicero testatur, & se ab aliquo seruatum fateatur: non quia turpe sit, protectum in acie hostium manibus eripi, nam id accidere nisi forti uiro & pugnantis comminus non potest: sed onus beneficij reformidat, quod permagnus est, alieno debere quod parenti. Tribuni, inquit in commutatione de Romanorum militia Polybius, seruatos cogunt, nisi id sponte faciant, seruatorem coronare. Colit uerò hunc præterea seruatus per omnem uitam, tanquam parētem, omnia sane exhibens ut genitori. Quod si est omnium uirtutum mater gratitudo, quoniam ex huius profuat fontibus in parentes pietas, in patriam charitas, in deos religio, inter homines amicitia, in educatores & magistrōs ueneratio: certè colligendum quod ad Atticum M. Tullius scribit, Ingratis omnia inesse uitia. Nil tam inhumanum, tam ferum, tam immane, quam committere, ut beneficio non dicam indignus, sed uictus esse uideare. Hinc opinor factum, ut natura ipsa ad id nos prouehente, Ingratos nemo non uel uatiniano prosequatur odio: sique facultas adsit, & patiatur ratio, primo quoque tempore ultum eat, ueluti sint tum beneficentiæ, tum cōmunes tenuiorum hostes omnium. Nec ferè alia ingrato irrogatur poena. Crimen est passiuum quidem, & quo nullum frequentius, nusquam tamen punitur, ubique improbat. Odisse contenti ad ultorem rescimus deum, Achillei memores uoti, quin & Furiani, quum est is comprecatus, ut si innoxio sibi inferretur iniuria, desiderium sui quam primum ingrata fieret ciuitati. In declamationibus Libanius, & Pollux Onomastici octauo. Et Xenophon scribit, apud Persas ingrati tudinis causam agi intentissimè, poena seuerissimè irrogata ei qui in bene de se meritum deprehenderetur animi parum grati. Nam & ab hoc genus hominum irreuerenter deos haberi, colligunt: quin parētes etiam num, ac patriam, & amicos quoque. Porro ingrati tudini præcipue impudentiam adglutinari, abs qua in flagitia feramur præcipites uel fœdissima. Prodit Diodorus, Aegyptios credi, extra quam sit gentium

aliarum captus, erga benemeritos præcipue gratos, quod magnum uitæ subsidium opinentur gratiæ retributionem. Sed cur nam cum ingrato ex formula non agimus; ne quod beneficium est, incipiat esse creditum. Et ne gratitudo honestissima res, incipiat honestatis nomē amittere, necessitatis iugū subeundo. Alioqui & anguli omnes actionibus obstreperent eiusmodi. Pythagoras ablegandos reijciendosq; ingratos, ex Plutarchi interpretamento, symbolice uidetur monuisse, ubi præcipit, sub idem lectum non admittendas hirundines, quoniam ingrati ac parum firmi symbolum auis ea credatur habere. Nam & in Rhetoricis ad Herennium edocemur, amicitia minus firmæ similitudinem ab hirundinibus duci oportere. Succurrit prius quā hinc digredimur, dignum quod memoretur, ingratitudinis exemplum. Erat Macedonum regi Philippo manu promptus miles, expertæ uirtutis multis sæpe bellis; sed quo se præclarior gessisset, eo frequentius à peritissimo duce qui in tractandis militibus egregius esset artifex, ad prouocandam audaciam auctorabatur, frequenter etiam ac insignite donatus. Fortè is ex naufragio exutus omnibus, uix etiamnum spiritum ducens errabat, cõsiliij inops. Eum conspicatus Macedo quidam benigne amplexatur, iubet bene sperare, semiuuium in uillam suam perducit, fouet accurate; lectulo cedit quoq; nec patitur quicquā frustra ab eo desiderari. Postremò digredientem uatico etiam instruit, summurmurantē identidem, Non sentiar ingratus, parem rationem faciam, liceat modo mihi imperatorem meum adire. Venit ille ad Philippum, miseriam suam exponit: sed hospitis benignitatem reticet, nec satis. Miserantem illum inducit impudenter quidem, sed militariter, donet sibi Macedonis cuiusdam agros. At is non alius erat, quā ille ipse hospes: qui tam inhumaniter, & ferè omnibus exutus, nil dissimulando, per epistolā facti seriem Philippo insinuat. Excanduit is, nec ualens tam insignem seruitiem decoquere, improbilissimo homini, beneficium raræ fortunæ inuitata rabie retalianti, stigmata inuri iussit, restitutum in integrum priore domino.

Virgarum apud ueteres usus eximius in sacris & uaticinijs. Pyrethi magi, & pyrethia septa. Pyriathes. Pyctes. Iuncatum. Palmarij cõsiliatus. Palmarium. Palmata toga unde. Dinos locus. Diuinaculorum species. Qui specularij. Capnomantes. Saliatores. Palmicum augurium. Subsulus. Salisubfusulus. Vaticinia ex piscibus. De myrica scitu digna. Itē de rhabdudis. Poemata uirgæ apta. Brabeutæ, brabei, rhapsodi, arnodi, rhabdi, stichodi. An uirgas in dracones potuerint demones mutare. Diuinatio à quibus contribuatur. Quæ sit acana, & arecon uirga, item sceptrū, ostrea rhabdota, & arhabdota. Ostrea, penultima correpta, uel producta. Ciceronis locus ad Lentulum, Ne quid saluis legibus aut auspicijs cum populo agi possit. Obnunciatio augurum. Auguratorium. Proiectæ qui.

Cap. xxxix

**V**irgas in rebus diuinis eximij cuiusdam usus fuisse ueteribus, ex plerisque cõiectare licet. Nam qui Persicos ritus diligentius animadueros literis mandarunt, illorum Magos qui sacrificijs præficiuntur, carnes super myrto & lauro positas tradūt subtilibus uirgis adurere, mox oleum lacte melleq; pro mixtum conspergere, ac comprecari, fasciculos ex myrica pertenues manu tenentes. Cappadocia magos suos ingenti numero, Pyrethos uocat: sicut septa quædā pyrethia. Pyriathes uerò lac nuncupatur igni addensatum, uti est ab Polluce obseruatum. Quod autem coagulū potestate coit, pyctes dicitur: cuius est modi quod nūc uoce plebeia iuncatum dicitur. Pyramia Thyreatidos nuncupantur Plutarcho in uita Pyrrhi. Sed ad rem. In Pyrethiorum meditullio surrecta stabat ara, ubi inextinctus seruetur ignis, fierentq; itidem comprecationes non sine myricinis uirgis. Sicuti in Scythia quoq; ubi uaticini traduntur plures, salignis uirgis diuinatio cõcipitur, quas dissoluunt, ac separatim singulis humi confratis, uaticinantur, interim uirgas prehendescentes componentesq;. Narees uerò quos esse androgynos putat Herodorus, tiliam scindētes trifariam, digitisq; implicando ac resoluendo præcinnunt futura. Siquidem diuinatio, quæ malis iniungitur dæmonibus, ut aliud agentes hoc item subnotemus, foliorum intendit crepita culis, pomorū dispicit semina, in sublime iactata bacilla spectat: cortices, nomina, imagines, phialas, specula, unde Specularios dici apud quosdam comperi, & id genus alia

alia mille scrupulosius obseruat. Nam in Didio Iuliano Spartianus inquit: Et ea quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri praligatis oculis, incantato uertice respicere dicuntur, Iulianus fecit. Sed & Capnomantes quidam ex re ita dicti, traduntur ex fumi disiectione super aras futura captare: propterea Papinius, Thurea nec supra uolitante alaria fumo.

Sophocles in Oedipode tyranno: Ismeni Apollinis uaticum cinerem uocat, id est *μυνηταιν* *αποδου*: quia rebus ignitis, hoc est *εστια* *των* *εμπυρων*, uaticinia concipiebant sacerdotes. Saliatores referuntur à nonnullis, qui salientes oculos intuiti, odorantur præaugium. Meminit rei ipsius in Amaryllide Theocritus, *αλλεται* *οφθαλμος* *ως* *ο* *σεβιος*. Salit mihi dexter oculus. Quāquam Plautus in supercilio id obseruauit. Dicitur uerò augurium id palmicū, de quo Posidonius scripserit, ab oculi uibrata subsultatione: quæ res dicitur Græcè *παλαειν*, Latine uerò subsululū dicere queas: quando Salisubfusulus uocabatur Mars prioribus, à saliendo subsultandoq;: meminit Nonius ex Pacuuio. Nam apud Galenum & Aeginetam Paulum Medicinæ tertio, dicitur & *καρδιας* *παλλυμος*, id est cordis tremor. Sed & satyriasis à Paulo eodem, esse traditur *αυδιν* *παλλυμ*, id est pudendorum subsultatio, quæ uasorum spermaticorum consequatur inflammationem. Id uerò nisi sedet malum, in uasorum eorundem mox præcipitatur *παρεισι*. Esse uerò affectionem raram, quæ & mulieribus contingat. Palmarium uerò aliud est. Ammianus Marcellinus, Erant (inquit) nobiscū legiones duæ ex Gallijs, uirorum fortium & pernicium, ad palmarios conflictus aptorum. In Eunucho Terentij ubi dicitur, Id uerò est, quod mihi puto palmarium: Donatus, Palmarium (inquit) palma dignum. Vlpianus Digestis de extraordinarijs cognitionibus: Si palmarij, inquit, nomine cautum est. Palmatam togam dici ueteres arbitrantur, à clauorum latitudine. Fuere in Lycia quoq; ex piscibus uaticinia qui captarēt (eos Ichthyomantes uocant Græci) ligneis obeliscis cum assis carnibus, pane quoq; & maza in aquam proiectis. Locum in quo ista transigantur, Dinon appellat Artemidorus Geographiæ decimo. Sed redeo ad diuerticulum. Apud Nicandri interpretem in Theriacis ita legimus, ad uerbū penè tralata sententia: Apollo, inquit, uaticinos sanxit myrica prænunciare mortalibus futura: propterea insignem fruticem hunc Nicander, mantin uocat, id est uatem. Quin & magi item Scythæ, myricino uaticinātur ligno. Etenim in plerisque locis uirga, ut diximus, prælagiunt: quod in primo Cõpositionis tertiæ, Dion quoq; confirmat. Sed & in Lesbos, Apollo myrica ramos tenet: qua ratione, Myricæus quoq; est cognominatus. Et Archæus prodit, quādoq; in somnis uisum deum illum myricæ ramo decorum. Et Metrodorus retulit, antiquissimam esse plantam myricam: nam Aegyptij in Iouis pompa coronantur myrica, id est tamarice, ut interpretatur Dioscorides: sicuti apud Medos magi. Porro ad rationem uirgarum spectat illud quoq;: Recitatores Homerici carminis uirgam solitos tenere, unde illis rhabdudorum adhæsit cognomen. Qua ex causa uirgæ apta Apuleius in Floridis, poemata uidetur dixisse. Quāquam & eodem nomine dicerētur, qui ludorum spectatores compositè reprimerent: Gymnicis enim ludis præficiabantur, quos uocabant Brabeutas, uel (ut Plato) Brabeos, item mastigonomi, & rhabdudchi. Legimus utiq; Homeridas, ab Homero propagatos, initio illius poësim per successione seriem concinuisse, mox excepisse qui nuncupentur Rhapsodi: quorum illultris præcipue fuerit Cynæthus, Chius patria, qui & Syraculis omnium primus Homeri carmen concinuit, illi quoq; de suo infertis plerisque. Sunt qui rhapsodos opinentur dici, uelut *ρᾶβδωδός*: ratione quam diximus. Sunt qui diuulsam ac disiectam prius Homeri poësim ab illis coaptatam, & uelut cõsarcinatam memorent: unde sit cõciliatum nomen, *εκ* *τη* *ρᾶβδου*, id est ab futura. Cui sententiæ astipulari Pindarus animaduertitur. Traditur illud quoq;, dictos antea Arnodos, id est *αρνωδός*, quoniam uictori præmiū contribuere agnus. Sunt qui etiam Stichodos, hoc est *σικωδός*, nuncupari Rhapsodos uelint, quod uersus quidam *ρᾶβδου* dicant. Fuerunt & suæ licetoribus Romanis uirgæ: nam & hi Rhabdudchi sunt, quibus post alia fores pulsarētur, quādo Pompeius intraturus Posidonij sapiētia professione clarior domum fores percuti de more ab licetore uertit. Quod Plinius scribit, & antea Lilius significauerat: cõprobat item Papinius,

Et multa pulsantur limina uirga.

Quidam præterea quod in sanctis obseruatū literis adnotauimus, uirgas coloris uarij in aquis recondebant, quò potum ducebantur oues, ut inibi salientibus arietibus, ex earum intuitu conciperent oues uariantis lanitiij foetus. Sed euentus eiusmodi naturalis qui uerit reddi ratio. At quid sit dicendum ibi, quum Aegyptios magos uirgas uertisse in dracones, legimus: Hoc naturæ ratio nulla prorsum admiserit: quoniam corporea materia dæmonis non subiicitur potētia, quantum ad transmutationem ipsius ad formam: quod tertio De trinitate Augustinus docuit. Non est putandum, inquit, istia trāsgressoribus angelis ad nutum seruire hanc uisibilem rerum materiam, sed soli deo. Verum & ipsa dictare ratio uidetur: nam in compositis ex materia & forma, materia per se non fit, neq; item forma, sed totum simul, immoq; totum transmutatur in totum, ut ex toto aere fit totus ignis, quando aeris fit in ignem cōuersio, sicuti in libro De generatione auctor Aristoteles est. Effectus porro assimilis agenti est, & in eo præexistit saltem uirtute. Proinde ex materia & forma cōflatum naturali produci nequit, nisi ab itidem cōposito. Angelus uerò forma est simplex, propterea solus Deus præstare hoc ipsum potest. Verum id non utiq; inficiabimur, potuisse dæmonas celeritate incredibili uirgis emotis, serpentes earum loco subiicere, uel aliunde allatos, uel agentis naturalis uirtute ibidem genitos, præsentium oculos præstringendo, quod præstigiatorum acceptabula comprobant. Adde, quòd abeūtibus sensibilibus phantasmata remanent & imaginationes: sicuti secundo De anima, proditum ab Aristotele scimus: & inde ex motu locali formarum sensibilibus remanentium in uirtute phantastica cum humoribus in quibus sunt, ut in subiecto apparent aliqua quæ nō sunt. Quare in libro De somno & uigilia, idem inquit, Descendente plurimo sanguine ad principium sensuum, simul descendunt formæ in imaginatione cōceptæ: atq; ita demum fit, ut quæ non sunt, uideantur: quemadmodum somniantibus cōtingere, scimus omnes. Qua ratione possunt & dæmones humores commouere interiorum exteriorumq; sensuum, atq; ita ad organa formas aliquas inducere, perinde ac extrinsecus occurrerent, non solum dormientibus nobis, sed uigilantibus quoq; ut sic putemus aliqua extrinsecus uel esse uel fieri: quæ tamen nec sint, nec fiant. Qua ratione peruersa immundorū spirituum subtilitas & infatigabilis fraus eludens spectatorū usus, uirgas in dracones deformatas potuit prætere. Nam & dæmonum eorundem illusionibus seductæ mulieres quandoq; se cum Diana credunt nocturnis horis equitare. Potest ratio item afferri alia, inesse rebus corporeis per omnia elemēta occultas quasdam feminarias rationes: quibus quum data fuerit opportunitas temporis & casus, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. Quamobrem angeli, uel dæmones dici nō possunt, qui talia efficiant, animalium creatores: sicuti nec agricolæ segetum, quamuis norint præbere quasdam uisibiles opportunitates & causas ut illæ nascantur. Cæterum quod isti faciunt uisibiliter, hoc ipsum dæmones incognita nobis, aut inuisibili ratione. Solus uerò deus creator est. Approbantur aliquo modo, quæ hæctenus sunt prodita nobis, sententia docillissimi interpretis Auicennæ, apud quem ita legimus: Excantationes naturaliter effectum non habent, nec uim omnino ullam demutandi hominis sanitatem in aegritudinem: quod qui arbitrantur, ipsi semet uidentur excantare, imaginatione corrupta. Vno tamen modo posse hoc euenire, fatendum est, si diuinæ censuræ maiestas ita adnuat. Ego, inquit, deo fauente, nec sortilegum assis facio, nec incantaminibus pollentem, qui inuitum nolentemq; tollere digitum cogat. Quinimmo nemo unquam me adijt, qui ueneficium se circumuentum diceret, quem non absoluerim ab excantationis imaginatione. Quod ad uaticinia attinet, putant eruditorum nonnulli, elemētorum omnium spiritus, utpote corporū perennium, præsentienti motu semper & ubiq; uigentes diuinandi munus nobis impartiri, ex ijs quæ disciplinarum affectamus uarietate. Quin & substantiales potestates ritu mollitas non uno, uelut ex perpetuis fontium uenis uaticina mortalibus uerba suggerere, quibus præsit Themis: inde nuncupata, quod fatali lege decreta in posterum ei prænosse sit fas, in cubili folioq; Iouis collocata. Auguria uerò & auspicia nō uolucrum futura noscentium arbitrio dirigi, uerum diuina cōponi agrariq; prouidentia. Sol porro mundi (ut phycis ferè placet) mens, nostras mentes ex sese uelut scintillas funditans, uehementius accensas futuri compotes efficit, quantum ueteribus

ueteribus assentiri collibeat, unde mira sibyllarum consistunt præfagia. Somniorum autem rata, inquit Ammianus Marcellinus, fides, ac indubitabilis foret, ni coniectura ratiocinantis fallerentur. Nam & M. Tullius: Ab ijs, inquit, rerum ostenduntur signa: in his si quis errarit, non deorum natura, sed hominū peccauit coniectura. Auguratorium in Palatina regione fuisse uidetur, augurum uel inaugurandi locus. Cæterum postea q; de uirgis multū diuicq; scribimus, impingamus auctarij loco quippiam. Lenones in scenam prodibant amiculum gestantes floridum, & uirgam, quæ dicitur arefcon. Erat & prioribus acæna, dicta uirga exagitantis bobus accommoda: sed & eodem modo meriendis agris instrumentum dicebatur pedum decem: ut scribit Apollonij interpret, ab Thessalis excogitatum. Ex quo & Callimachus:

*ἀμφὶ τῶν κρήνων τε βοῶν, καὶ μέγαν ἀπόρον.*

Quum stimulum signat, dicitur etiam bucentrum. Acæna agros metiri in Aegypto exorsus est primum Thessalus quidam, nomine ab re indito, quia cognoscentibus singulis agri sui modum, sublata sunt cædes: unde nuncupata acæna, quasi *σφῆρα αὐτῶν τῶν κρήνων*. Hinc & Pelasgida uocauit Acænam Apollonius Argonauticon tertio, ueluti ab Pelasgis compertam, id est Thessalis. Sceptrum uero ab uirgarum ratione haud ita distitum est. Id signum ueteribus censebatur imperij, siue regni, necnon orationis & iustitiæ quoq;. Proinde Agamemnoni late imperitanti datur, sed & concionanti Telemacho, uerum etiam Achilli. Qui iniuria item affectus per sceptrum, uelut iustitiæ iurat symbolum: quanquā pro baculo etiam uili capitur quandoq; sceptrum: sicut in Odysea apud Homerum palam fit. Aureum fuisse Apollinis sceptrum, comminiscitur Iliados primo Poeta idem: quoniam Soli sacrum creditur metallum eiusmodi, sicut Lunæ argentum. Ex abundanti uero in uocabulo, R habetur, ab *στέρω*, quod signat innitor. Proinde *στέρω*, ex Doricæ linguæ proprietate legimus apud Pindarum. Virga in manu, in Hebræorum ritibus doctrinæ habebat indicium. Illud silentio minus prætereundum, ex Athenæi monumentis: esse inter ostrea, quæ dicantur *στέρω*, perinde ac dicamus uirgata. Alia item, quæ uocemus *στέρω*, id est minimè uirgata. Meminit Aristoteles quoq; sed *στέρω*, pectinatim diuisa Theodorus interpreta-tur. Obseruatū & illud ex Galeno eruditioribus est: Ostrea, si producat penultima, scribaturq; *στέρω*, esse generis ad testacea qualibet nomen: quòd si eandem contrahas, *στέρω*q; enuncies, speciem indicare unam. Verum ne fusius extra calcem, quod dicitur, mentis ardore quodam iuuandi prouehamur, hinc iam ad alia gradum struamus: si prius, quoniam de diuinaculis facta mentio est, Ciceronis tenebras ad Lentulum illu-stramus. Sic enim scribit: Quod ad popularem rationē attinet, hoc uidemur esse consequuti, ut saluis legibus, aut saluis auspicijs, ne quid agi posset cum populo. In hūc scopulum impacti pleriq; doctorum aut cōsilescunt, aut ineptias promunt. Ipse ad obnuciationem augurum hæc opinor referenda: quod palam sum testatus, quum Mediolani Quintilianum profiterer, super eo loco secundi libri De ratione infirmandæ legis: Aut, inquit, de rogationis iure queritur, siue non trino fortè nundino promulgata, siue non idoneo die, siue contra intercessionem, uel auspicia. Obnuciatione, inquit Peditanus, perniciosus legibus resistebat. Sicuti uero intercessionem obtemperasse, necessarium tenebatur, ita planè augurum obnuciationi: quod Diuinationum primo significat M. Tullius, & in Crasso Plutarchus. Scribit in Onirocriticis Artemidorus, forenses diuinaculos dici solitos proictas, goetas, & bōmolochos. Proictæ Græcis uocantur mendicij homines.

Philosophum uerum esse dei amatorem. Philosophiam non cōtingere ab-que mathesi, sed huius item finem esse intelligibilem contemplationem. Mathematicæ unde dicantur. Quid dialectica apud Platonem. Logices distributio. Dialogista quid. Insuper de geometria scitu digna. Philosophiæ laus. Quid puluis eruditus. Quid abacus. Locus Perlii declaratur. Capitulum in columnis partes. Stereobata quid. Alueolatus. Alueati sulci. Abax. Abacion. Catheti. Cymatium. Stylobata. Capitularij qui. Pulueratio.

Caput xxx



Hilosophū uerum Aurelius Augustinus scribit, non temerē haberi alium quam dei amatorē, quia sapientia Deus est, per quem facta sunt omnia, sicuti diuina auctoritas ueritasq; monstrauit. Sed diu antea Platone sanxisse animaduertimus, Boni finē esse secundum uirtutē uiuere. Quod illi demū cōtingat, qui deū norit, & etiamnū imitē. Nec enim de alia causa quis dici beatus potest: itaq; si ametur deus, hoc esse uel exactissimū philosophandi genus, Pythagoras autem, & cum eo multi, qui illo duce purius excitasse mentē uidentur, amplissime astruxerunt, absq; mathematico quadriūo haud facile philosophiā apicē contingi, nec posse uerum percipi. Propterea qui illud neglectui habuerit, cogitare subinde debet, se philosophari haud recte. Quoniam mathematica disciplinā subfellia quaedam sint, ac elementa, uel gradus, quibus cōscendantur altiora. Eas uero sic appellatas Anatolius putat, quod quum cetera disciplinā deprehendi, uel non docente aliquo, possint omnes, mathematica sub nullius cognitionē ueniant, nisi praeuente aliquo, cuius solertia succidantur uepreta, uel exurantur, & superciliosa complanentur aspreta, Vnde & mathematicū in anima, sicut theoreticū nuncupat in Moralibus Plutarchus. Equidem & M. Tullius mathematicos in magna rerum obscuritate, recondita arte, multipliciq; ac subtili uersari scribit. Sunt qui ex demonstrationum firmitate dici mathematicas, opinentur. Ceterum initio geometria praecipue, & arithmetica in mathematicarum album a Pythagora sunt aduocatae, quod ad omnem scientiam, omnemq; disciplinam capeffendam has cum primis accommodas perspexisset. Hinc & illa festiua uox Socratici Aristippi profluxit, opinor, qui ex naufragio in Rhodiorum littus maris impetu, & uentis assilientibus quum foret excussus, ac inibi mathematicas formulas esset intuitus, gaudio gestiens prosiluit, & bene sperare comites iussit, quoniam uestigia hominum nosciteret. Sed enim mathematica speculatio ad cogitationis acumen a Platone suscepta est, quia surrigat animum, & ad rerum diuinarum intuitum aciem mentis exacuat. Quamobrē, inquit Alcinous, nisi finis istius gratia mathesin expetere perrexerimus, omnis nostra indagatio recasura in nihilum est nudior leberide, ac Cinclo pauperior. Etenim ab ijs quae sensui manifesta sunt, ad ea in quae sola mentis inenarrabilis celeritas, & diuina uis penetrare potest, assurgere decet, nam mathematicas speculationes ueluti praeludium quoddam ad diuinorum perpensionem statuere conuenit. Arithmetica quippe, ac geometria, & qui eas colunt, essentiam ipsam uidere desiderant, uerum tamen circa illam somnare quodammodo uidentur, conferant quamuis ad id. Idcirco disciplinas eas, nec scientias quidem esse appellandas putauit Plato. Dialecticam uero utiq; quia ab geometricis suppositionibus ad prima principia confurgit, & inde q; mathematica, efficacior est: nam circa diuina aeternaq; uersatur, immoq; praeposita mathematicis ueluti arx quaedam censetur, ac reliquorum custodia. Quod ne quis forte miretur, quoniam haec non praestet quae uulgō noscitur dialectica, scire conuenit, metaphysicam facultatem, quam & primam philosophiam uocant, dialectices nomine a Platone celebrari: quae logica utatur, tanquam instrumento: haec enim circa dictiones, conceptus, propositiones, syllogismosq; uersatur. In cuius non esse consensendum gyris atq; Maandris, tanquam apud Sirenios scopulos, traditum est. Omnis porro logices disciplina uel finit, uel distribuit, uel colligit. Collectionum ratio triplici calle incedit: aut enim ex ueris & necessarijs necitur probatio: tuncq; disciplina indispicitur nomen, uel *επιδημιωσις*, id est demonstrationis. Aut probabilibus tantum grafatur, & ab Aristotele nuncupatur dialectice. Quod si falsis obrepat, insidietur ue, iam cauillatoria est, ac sophistica. Ex differendi usu, dialogista uidetur dici. sic enim in Auidio Vulcatius scribit: Non deerant qui illum Catlinam uocarent: quum se ita appellari gauderet, addebat, Se futurum Sergium, si dialogistam occidisset: Antoninum philosophum significans. Metaphysica uero, ut Plotinus inquit, de omnibus tractans non opinione, sed scientia: errore, qui circa sensibile accidit, uacans, intelligibili prorsus adharet: circaq; ipsum diligenter agit, falso posthabito, nutriendi animam in ipso ueritatis campo. Sed ut ad mathematicas redeam: omnibus quidem ueluti leuigatissimo ac nitidissimo speculo insunt, resurgentq; ueritatis intelligibilium uestigia quaedam atq; idola. Verum geometriae adest hoc in primis iuxta Philonem, quae initium est, & tanquam

ceterarum

ceterarum metropolis. Haec enim sensibilibus inhaerentes, agglutinatosq; auellit assidue, seducitq; ad intelligibilem aeternamq; naturā, cuius contemplatio sit philosophiae finis. Propterea Platone scimus Eudoxo, Archytae, Menachmoq; uertisse uitio, quod ad organa mechanica solidi duplicationem auocare contenderent: quoniam sic geometriae bonum periret, denuo ad sensum relabentis, nec afferentis uendicantisq; sibi aeternas incorporeasq; substantias: in quibus quum sit Deus, perpetuo deus est. Qua ratione concipiunt aliqui dictum a Platone, Deum maxime *γεωμετρεῖν*, hoc est geometriae intendere. Quamquam super ijs uaria pro ingeniorum captu excogitari queunt. Nec enim erudite minus afferri etiam id potest: nam sic Lycurgus quandoq; dicitur, arithmetica analogiam ut Democraticam & turbulentam e Lacedaemone excussisse: geometricam uero paucorum potentiae moderatae, ac legitimo regno congruentem induxisse. Si quidem arithmetice aequale numero distribuit: geometria uero ratione, ac prodignitate, nec omnia promiscet: sed est bonorum malorumq; discretio insignis: uelut hanc itidem geometricam analogiam rebus adhibet optimus maximus Deus, quam Iustitiam nuncupamus & Nemelin, abs qua commonemur, Iustum praestare aequale, non autem aequale iustum: namq; quam uendicant pleriq; aequalitas iniustitia uidetur maxima. Ceterum ut ad philosophiam quoq; unde exorsus sumus, redeamus tanquam postliminio: haec est uirtus ea, quae (ut Theophrastus inquit) nos in alienis locis prohibet uideri peregrinos, uel necessarijs amissis, amicorum inopes. Sed quamcunq; adierimus ciuitatem, ea nos amplissime donat. Haec adeo uitae dux est, ac uitiorum expultrix, sicuti a M. Tullio proditum nouimus, ut si hanc uel ex conuiujs exigendam censeas, amplius longe peccaris, quam si lucernam restinxeris: haec siquidem sublata, boni ac moderati nihil deterioris fient. At inscitia & inconcinnitate cum uino societatem in euntibus, ne aureus quidem Palladis Ichnus gratum, decensq; conuiuium praestiterit. Quo nomine praesignes multi in una hac quasi tabernaculum uitae suae collocarunt, ueluti plane sit benefactorum omnium mater, ac benedictorum. Nam qui excordes, toti sunt lingua, quid aliud omnino dici aut debent, aut possunt, q; quod M. Cato dicebat, mortuaria glossaria. Ex huius praecipue admiratione Alexis poeta mihi ita uidetur scripsisse, Athenienses maxime omnino ideo uideri laude dignos, quod reliquorum in Graecia leges, a liberis praestari alimenta parentibus cogant: Athenis uero non utiq; omnibus, sed ijs modo, qui liberos artibus erudissent. Proinde nec ignobilis auctor Vitruuius maximas parentibus gratias se testari scribit, qui illum ingenue educandum institutumq; censuissent. Sed & architecto suo idem auctor, quod relatu condignum est, praestare philosophiam scribit, ut animo sit magno: nec tamen arrogans, sed potius facilis, aequus, fidelisq; sine auaritia, quod est maximum. Nullum enim opus citra fidem castitatemq; uere perfici unquam posse. Ne item cupidior sit, nec munuscula iam capret, sed cum grauitate dignitatem tueatur bonae innixus famae: haec enim philosophia praescribit: Ut taceam, inquit, rerum naturalium disertatione, quam physiologiam nuncupant. Digna uero quae non praetereantur, ab Maximo Tyrio prodita: Scis, inquit, cui maxime arbitrer simile philosophi spectaculum? In somnio nimirum manifesto liquidoq; ac uolitantem circūquaq; cuius integro corpore manente, in terram tamen uniuersam excurrat animus, e terra in caelum efferatur, uniuersum transmittat mare, aerem peruolitet totum, cum sole terram ambeat, cum luna circumferatur, ceterorum astrorum iungatur choro, minimumq; absit, quin unā cum Ioue cuncta distribuat. O peregrinationem beatam, o spectacula pulchra, o insomnia uerissima. Porro ex ijs, quae haecenus de geometria protulimus excellētia, latius iam (opinor) patet, quid ita De natura deorum libro secundo Cicero geometricū puluerem eruditi epitheto censuerit honestandum, in quo prisci geometrae formulas delinearent: sicut arithmetices organū abacus erat, quam ab honore Pythagorae Pythagoream appellabant mensam, hyalini pulueris resperione coloratam, ut inquit Martianus, ne in multiplicationibus & partitionibus & in podismis unquam fallerentur, excogitatam descriptamq;. Quod eo gratius adnotauimus, ut Persii carmen fieret notius:

Nec qui abaco numeros, & secto in puluere metas

Scit risse uaser,

Est & in columnarum capitulis, quae puluina conformantur

tur



tur, abacus, pars quaedam in qua & uolutæ sunt cum lineis, quæ catheti nuncupantur. Nam capituli portionem supremam uocant cymatium, quod ipsum & proiecturas habet, quas dicunt Græci ἐκφορὰς. Sunt in eodem qui nominantur puluinoꝝ balthei, illud ex abundantia sit, quod adnotasse nil obfuerit. Parietes, qui subijciuntur columnis, & onera excipiunt, nuncupari stercobatas: quibus mox superponuntur stylobatæ, super quos demum disponi columnas, artis est. Verum stylobatæ ita exæquantur, uti habeant per medium adiectionem per scamillos impares: nam si ad libellam dirigantur, alueolati oculo ostendentur. Capitularij in Iustiniano Codice, ad columnas pertinent nihil: eos ex lureconsultis nonnulli esse coniectant, quos capita contuberniorū appellat Vegetius, turmæ uidelicet præfectos. Alueatos legimus apud Catonem, sulcos uitis infodiendis, latos summos pedes tres, altos pedes quatuor: infimum latum pedem unum & palmum. Rura, alueoli, molæ, bellica sunt cladium instrumenta T. Luio, Punici belli secundi libro octauo. Abax uero, & abacion, inter coquinaria recensentur uasa. Scribit tamen Ammonius, abaca dici, in quo res apponantur: abacion uero, in quo supputationes fiunt. Apud Cratinum legimus, βαλέων ἄβακα. Sunt & aleatorum instrumenta eodem nomine. Pulueratio ad eruditū puluerem nil attinet: est autem quam rustici occasionē uocant, ubi refringitur in uineis gleba omnis, & in puluerē resoluitur.

Seruitutis malum. Vernaculi. Stremmata. Qui dicerentur stigmatiæ, ac literati. Istriani. Nicanor cur dictus Stigmatias. Stremmata. Stira. Equi coppatiæ, & samphora. Trisippion. Trampis. Samij literati. Samæna quid, Cauterium. Encaustum. Eucsterium. Grammatica pocula. Grammaticus. Serui pileati, coronati, apolides, insularij, originarij, ascriptitij. Dulocratia. Partiarj. Fructuarij. Vocalia instrumenta, semiuocalia, muta. Emphyteora. Emphyteosis. Dianæ Persiæ boues. Caput xxxi

**S**eruitutem esse omnium malorum postremum, non modo bello, sed etiam morte fugiendum, ab celeberrimis auctoribus pronuntiatur est. Spinosa uita est, & multis obijciis præpedita: quoniam, ut inquit Imperator, Libertas incõparabile pretium est. Contemptibilis quoque: nam & iure ciuili, serui pro nullo habentur, nec caput habent. Immo uero etiam miserima: etenim quid miserius, aut infelicius, quam addici alicui, qui & uitæ & necis in te habeat potestatem: & si quid acquiras, domino acquiras? Quanquam legimus, Adriani principis constitutio ne sancitum, ne à dominis occiderentur serui, sed iudiciali sententiâ damnari, si digni forent uisi. Quin & uates nobilissimus libro Odyssæ septimo & decimo ita canit:

ἡμῶν γὰρ τ' ἀρετὴς ἀπολείπει τοὺς ὑπόπτους  
ἀνέρες, εὐτ' ἄγχι μὴ δούλιον ἦμεν ἔλυσσι.

Quibus dimidium ei uirtutis perire confirmat, quem seruilis obuallari necessitas. Inde factum puto, seu premente uis, cum qua ne dii quidem (sicuti dicitur) pugnarint, siue educatione praua, seu utroque potius, ut parte plurima serui de prima malitiæ ac uasitiæ nota sint, ac habeantur. Quod furciferi appellatio indicari: & quia malis moribus homines, & lingua proterua, ab hoc ferè genere uernaculi nuncupantur. Hinc dira excogitata supplicia ad reprimendam æstuantis mali, & incrementis audaciæ uim proruptam, nimio plus grassantem, ac in domini perniciem subinde assultantem: quæ cum materno lacte uitorum (ut sic loquar) segetem hausisse uideri potest. Hinc stigmatiæ, siue stigmatiçi appellati, quibus ob insigne flagitium, ac blæfos mores, notis inurebatur corpus, & frons in primis, sicuti commemorat Seneca: unde inscriptos uultus nominat scitissimè Plinius, & Thraciæ notæ in prouerbium adductæ: quanquam illis gentibus nobilitatis loco censeretur, ut auctor Herodotus est, prætulisse frontem notatam punctis. Quæ, quia literarū formam quandoque ostentarent, non stigmatiæ modo, quod Nonius est interpretatus, sed & literati quoque, ita iniusti dicebantur. Nam quod Nicanor Alexandrinus grammaticus, ut proditur à Græcis, festiue stigmatias est cognominatus, non ex seruili fœditate natum, sed quod anxie sollicitèque lubricationibus aliquot ποδὶ στυμῆς cõscripsisset, id est de punctis siue distinctionibus, quibus utimur in scribendo. Stremmata uero aliud omnino sunt: sic enim Græcè intelligimus, quæ Latinis luxata nuncupantur. Stiram, id est σείραμ, sterilem uocant: cuius sit corpus σφῆρα, id est solidum

solidum, nec foetu exsolutum, uel quia sit priuata semine. Morem uero literas inurendi etiam in equis, agnoscere uidetur Aristophanes, qui in Nebulis coppatiā inde equum nominat, cui inultum esset κ: sicuti samphoras, siue sapphoras, quibus σ. Etenim s & y iniusta, uocabant σπυ. Coppa uero est numeri figura, compacta ex κ & σ, hoc modo, ϰ. signat autem nonaginta: etiam si coppatiā quidam interpretati sunt, quasi ἰσσοπυ, quod est ungula terram excuantem. Vero propius est, ab insigni ita nuncupatum: quæ ratio etiam Bucephalos fecit. Et Corinthiorum rex Sisyphus, animalium unguis monogrammaton nomen suum inscribebat, ut furto intercepta eo repeteret argumento. Qua in re obiter & in transcurso illud adnotandum: Fuisse trisippion, ueluti rotulam quandam publica nota, quæ candens malis equorum imprimebatur, qui iam consensissent: dicebatur & ἱππὸς τροχῆς. Trampis uero barbaricū est nauigium, etiam si pro nauis utitur simpliciter in Theriacis Nicander. Nam & nauigium dixit trampin Lycophon, ubi ait: τρομπίσι δ' ἠχίσει, καὶ φρέλιλοι πόδες. id est, subuectabit autem trampis, & Phereclij pedes. Alexandro quippe, seu Paridi, nauem cõpegit Phereclus. Auctor uero Eustathius est, Iliados rhapsodia decima, elemētum cappa quibusdam dici coppa: sicuti sigma, Dorienfes dicunt σπυ: quod docuit Athenæus quoque, ac libro primo Herodotus. Porro ad iniustæ frontis notas alludit Plautinus Olympio, quum ait: Si hic literatus me sinat. Quin & literatos Samios, id est πολυχραμμάτους dici, in Babylonijs significari ab Aristophane, compertū nobis est: in quorum frontibus Athenienses, sicuti scribit etiam in Pericle Plutarchus, stigmata inuulsi sunt: unde iactatum uulgò, Samijs neminem esse literatiorem. Etiam si hoc inde effluxisse malunt aliqui, quod in Samiorum republica Aristoteles scriptum reliquerit, illos quandoque à tyrānis oppressos, inopia ciuium, seruos quoque ad publicam admisisse curam. Vel quia in Samo quatuor & uiginti literæ sint compertæ primū. Sunt qui samæna notam illis iniustam uelint: Est uero samæna nauigium dicrotum, hoc est bireme, rotundum, concauum, ac in uentris similitudinem formatum, ut mare percurrere, & celeriter conuerti posset. Cuius auctor extiterit omnium primus Samiorum tyrānus Polycrates: unde etiam dici Samænam, interpretatur Plutarchus. Alij samænam, numisma intelligunt. Atheniensium uero frontibus iniustam ab Syracusanis equi imaginem, frequens prodit historia. Quoniam uero de iniustionibus agimus, scire oportet, ferramentum quo id fiat, ab re appellari cauterium. Nam in Plutarchi Moralibus lectum est, Cyrenæorum tyrannum Nicocratē post multa crudeliter & nefarie perpetrata, portis quoque custodes apposuisse, qui mortuos dum efferrentur, gladiolis confoderent, & cauteria admouerent, ne quis per fraudem uiuus elaberetur. Hinc illud ex Septimij Florentis apologetico: Risimus inter ludicras meridianorū crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. Quo tamen in loco sunt, qui eucsterio legendum putent, ineptè opinor, quum fateatur dici eucsterium, uelut grammatophylaciū, id est locum, in quo orationes actæque prouinciarum seruarentur. Latine oratorium interpretantur nonnulli. Sed & cauterium dicitur, quo putridæ carnes aduruntur, & ulcera. Ex quo & Hieronymus: Putridæ carnes ferro curantur, & cauterio. Et quinto Therapeutices Galenus, καυτήρια nūcupat θάσσωρα, & escharotica pharmaca. Firmicus Matheos tertio: Et uulnera ipsa facit ignita cauteriorū adustione curari. Inde cauteriata conscientia, apostolo Paulo, ueluti cauterio, siue cautere ambusta. Scitu digna sunt obiter, quæ scribit Auicenna capite uigésimo nono, sen quartæ primi: Cauterizatio, inquit, perutile medicamentū est, iuuamentum in eo præcipuum, ne serpat uitium. Quod corruptum est, ac in membro retentum, resoluit: sanguinis fluctationem in hiber, oblæsas partes refouet leniter. Cauterium, si aureum fuerit, cense tur præstantissimū: cuius ratio est, ut ibi attestatur doctissimus interpres, quoniam aurum uirū mitius, quin urendo fouet leniter insita uirtute: uulnus quod inde fit, celerius coit: porro minus terroris affert aurū, quam candens ferrum. Demum sunt & sua pictoribus cauteria, in ea pingendi ratione quam uocant encausticen, Latine iniustariam dicimus, coloribus iniustis, & ceris igne resolutis. Vnde factum uulgò, ut librarium atramentum dicatur encaustum: ut est Codice de rescriptis & pragmaticis sanctionibus, libro primo. Cauterij eiusmodi commemorat Iureconsultus Martianus titulo de fundo instructo. Sed ut ad seruos redeam, quos diximus appellari literatos ab

ros ab literis fronti inuistis. Sicuti illiteratum, tacitumq; consensum appellat eleganter Gellius, qui nō sit propagatus ex decreto cōscripto, aut lege. Eisdem & cælatos quandoq; legimus appellatos. Sed & Istrianos, quoniam Istrī accolæ punctis ita inurantur, uariaq; alio qui utantur ueste. Grammatica pocula ex fontibus profluunt eisdem: siquidem, ut scribit Athengus, quæ literis forent insignia, sic nuncupabantur: cuiusmodi illud, in cuius ambitu uerba legebantur hæc, *Διὸς σῶτρός*, id est Iouis seruatoris. Capuæ grammaticum fuisse poculum legimus Dianæ sacrum, exq; Homericis concinnatum carminibus. Apud Achæum tragicum grammatici mentio poculi est. Et Tranquillus scribit, Neronem ultimis suis rebus scyphos gratissimi usus, quos Homericos ab cælatura carminum Homeri uocabat, solo illisisse. Ab Hieronymo gruum dicitur ordo literatus, quoniam inter uolandum alpha delinearī uideatur: uel ut alijs amplius arridet, *υψιλόγ*. Cuius inuentionem ex auium uolatu Palamedi attribuunt, id quod indicare uel Philostratus aduertitur. Grammaticus item dicebatur, qui Aegypto sepeliendi ritu, caduere humi posito, circa illa describebat, quantum ab parte sinistra dissecandum foret. Seruis præterea apud Græcos comam nutrire nefas habebatur. Dulocratiam sanxisse uidetur Caius Imperator, permissa passim seruis licentiā, dominos siquid uellent, accusandī, unde ingens illata orbī terrarū calamitas. Pileatos seruos Sabinus accipit, quorum nomine uenditor nihil præstaret, quoniam emptores iam oculis perciperent, quod nam foret mancipiorum genus. Sub coronis uenire dicebantur, qui in bello capti uenundabantur coronati. Insularij, & apolides ab Iureconsultis dicuntur uiles serui ac pessimi, sine ciuitate, & in insulas deportati, & in publicū opus aut in metallum dati. Cæterum, quia in naturali historia queri non cessat Plinius, agrorum cultus, ad damnatas manus, & inscriptos recidisse uultus: sciendum est, quod equidem adnotatu dignū mihi est uisum: in canonicis Decretis, seruos colendis agris destinatos nuncupari tum originarios, tum ascriptitios: sed originarios dici propriē, qui ex ascriptitijs nati sunt in ipso solo, siue fundo, ut Codice de agricolis & censitis, lege colonos, libro undecimo. Et eiusmodi sine gleba, quam coluerunt, uendi nequeunt. Ascriptitij uero sunt qui per triginta annos fuerunt in solo. Qui duobus modis sunt, aut præscriptione, aut duplici confessione, per scripturam bis factam, in qua domino fundi promiserint, se nunquam inde discessuros. Hos etiam partiarios quidam uocant. Hinc tanquam è gleba ascriptos dicimus, qui præcipua premuntur seruitute, nec excutere, aut detrectare iugum queunt. Fructuarios seruos Iulianus intelligit, in quibus usum fructum quis habet, sed alterius est proprietas. Sciendum uero, adhibitos colendis agris seruos instrumenta dici uocalia, sicut semiuocalia boues, muta uero plaustra. Distinguuntur et hæc appellationibus militaria signa Vegetio. In ratione porro agrorum colendorum nominantur etiam emphyteotæ, uerum hi haudquaquam serui sunt: sed ita dicebantur, qui sterilia fere, ac squalentia suscipere prædia, ut plantationibus, & omni politionum genere excolentes fœcunda redderent. Qui sanē profectus uocantur emphyteomata: quia *φυτεύειν* plantare est, unde in emphyteosim dari agros legimus, sed & emphyteoticum contractum. Quin primo item Codicis de sacrosanctis ecclesijs, qui emphyteoticum canonem per biennium nō soluerit, repelli potest. In eodem, titulo de officio comitis sacri palatii, perpetuarium ius dicitur emphyteoticarium. Seruos item liberorum loco agris colendis adhibitos, Appianus docuit Ciuiliū bellorū libro primo. Lectum porro in historia est, quod ab instituto haud ita est distitum, trans Euphratem colū religioissime Dianam Persiam, cui sacra pascantur boues custode nullo, & ut Græci dicuntur *ἄφθ*, deæ charagmate insignes, quæ lampas est.

Lodouici

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM  
lectionum libros ad clarissimum philosophum & medicum Hieronymum Rubrum Patauinum;  
Præfatio octaua.



Etus, quam tibi nusquam interpellatam pro uirili exhibuimus, obseruantia exigere, immo (ut *εμφαλιώτερον* dicam) efflagitare impensius est uisa, ne in miscella hoc genus pragmatia innomina tum te omnino præterirem: quando ne in amicorum quidem rebus *καθ' ἑμέροβιον* agere certum est, uti extempore uiuamus, de futuris nil solliciti admodum: Equidem, ne mentiar, iucunda mihi recordatio subit necessitudinis inter nos susceptæ, quum in patria tua, ubi animi ingenijq; cultum sum indeptus, agerem. Mira me dulcedine perpetuo mores tui exactissimi, summaq; conditi suauitate peruinxerit ita, ut spectrum & animi, & blādissimæ orationis tuæ infixum altius hæserit, Homericum illud de Nestore ingerens assidue,

*τὸ δ' ἔπο γλώσσῃς μελίτῃ γλοκύνῃ ῥέγν' αὐδῆν.*

Accedit doctrina singularis, lectio incredibilis, ingenium subactissimum, exercitatio immensa, Græcæ proprietatis æque ac patriæ peritia summe admiranda: & qua expleri nequit animus, ardescitq; tuendo, perspicax in pensitadīs ægritudinibus prudentia, & diuinandī per certa tamen ac nunquam fallentia magnopere naturæ indicia; donum præcellens: quo nostri,

*τὸ π' ὄντα τὸ τ' ἐσομένον, πρὸ τ' ὄντα.*

Legitimi prorsum ista sunt medici, de quo dicitur, ac recini identidem illud possit elo-  
gium,

*ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντ' ἑξὶ καλῶν*

Hæc demum omnia, non me, qui sum *σκιᾶς ὄντα*, ut ille ait, sed in humanis rebus eminentissimum quenq; sic in tui nominis amorem ac uenerationē dulcissime prolucunt ut nil æque gratum tibi opinetur, q̄ tua perfrui familiaritate, atque interim affluentissimis sapientiæ tuæ aquis rigari. Agnosce cælestem animi tui fœcunditatem: excogitasti præter ista, quæ immensa sunt, & rationem aliam quā uel potentius tibi homines conciliare non desinis. Mira effulget in te liberalitas, mirum impertitū omnibus, quæ ad sunt tibi, studiū, nec supellectili quidem librorum pretiosissima parcendō. Quæ sane rara uis est. Alia nunc mitto uolens, quā munifice mihi haud ita pridem Paulum Aeginetam pudore quodam, rustico penē, expetenti commodo dedisti: Immo neque hæc contentus fini, Galenum adiecisti. Quam alte putas mihi infixæ hæc: Explicari facile haud potest, quā me transierum rapiat tua hæc diuina uirtus, eo quidem exosculanda magis, quod a plerisq; ne dicam omnibus, libri hoc genus in sanctaria intruduntur, immo cōtumulantur. quid enim aliud sunt, ut nil prorsum iudicij nostri diem diffundamus, quā *βιβλιοτάφοι*, sed liuore sordidi, tantumq; non felicitatem omnibus inuidentes. Quamobrēm ita me tibi deuinctum putes, uelim, ut qui maxime: Sed & meā omnia, etiam si psyrīca; & uelut quisquillas, tibi & tuis omnibus expositissima: Experiare tantum, me haud fuisse mentitum, dices: Vale.

Ā Lodouici

# LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTI- QVAVM LIBER VNVS, QVI ET OCTAVVS.

Regibus olim urbes fuisse obnoxias. Pœmanor & Pœmanorū quid. Rex cuiusmodi esse debeat, uel princeps, aut magistratus. Ciceronis nodus explicatur. Imperatorem fato non subijci. Dionysii, Ptolemæi, Antigoni historia. Anax cur dicatur rex. Anactoria Miletus cur. Diopos quid, & adiopos. Palatium pro regia cur. Adnotatur lapsus interpretis Plutarchi de Diopo. Prytania. Caput primum.



**I**NITIO rerum, memoriæ proditum est, urbes Græcas regio imperio, quod tum sanctissimum existimabatur, fuisse subiectas: quo nomine deos quoque regem habere creditur ferè: nam sicuti humanas formas illis plerumque contribuimus, ita etiam uitæ rationem. Sed non ut apud Barbararum gentium plerumque, grassatione tyrannica, & centuriâ uite formidolosa. Verum iusta legum scita, ut inquit Dionysius, & patrium morem: eratque omnium clarissimus, qui iustissimus, legumque studio sissimus. Neque enim huius maiestatis fastigium popularis dabat ambitio, sed spectata inter bonos moderatio. Quod Homerus quoque significat, quum ius dicentes, & fas constituentes reges uocat. Vlysses uerò, ut mitissimum patrem, fuisse scribit. Sed Plato item Homericomore regem pastorem uocat. Nam & apud Aeschylum composito nomine pœmanor dicitur: sicuti & subiectus grex, pœmanorium. Est autem ouium propriè pœmen, ut prodit Ammonius. Quin ciuilem potius uirum Plato nuncupat, quam regem. Inuenens enim mirum adeo humanum ac mitem, si fieri posset, esse debere: ut inter ciues uideatur esse conciuis, ut ita dicam, prudentia, iustitia, cura potius quam alio quouis excessu superior. At Aegypti reges priscos nascentium inspectis genituris, si quæ forent inuenta in signis horoscopantes à regni horoscopo decidentibus, ac potentes beneque collocatos in figura dominatores prætulissent, interfici statim iussisse, legimus, ab his quædamque in dias ueritos. Tamen si ab gentium illarum sacerdotibus proditum scio, disciplinarum, artiumque repertorem fuisse Mercurium: eorum uerò quæ ad uitam spectabant, reges. Quamobrem antiquitus, inquit Diódorus, non ad principum liberos deserebantur regna: uerum ad eos, qui insigniter de hominum essent uita meriti. Quo argumento Aethiops Sabacus, & idem Aegyptiorum rex sponte se abdicauit imperio, ne cælis ex responso sacerdotibus, uolenter id sibi asseruaret. Brutis non ratione pollutibus hominem natura prælatum intelligimus, sicuti scitè admodum colligit Gregorius: quia ita dicatur Genesios nono, Terror uester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes uolucres cæli cum uniuersis quæ mouentur in terra. Omnes pisces maris manui uestre traditi sunt. Præter naturæ rationem effertur quippe, ac tumescit: qui sibi aduersus æqualem deposcit imperium. Proinde, inquit, antiqui patres non reges hominum, sed pecorum fuisse pastores memorantur. Homines quidem uniuersos æquales produxit natura, sed pro meritorum ratione alios alijs iusta utique dei dispensatio, sed occulta præponit, ut humana formidine peccare metuant, qui diuino minus exterrantur iudicio. Verum timoris huius nomine inflari haudquaquam addecet. In quo non propria est affectanda gloria, sed subditorum quærenda iustitia. Certè maiorum hæc consuetudo fuit, ut sacerdos rex esset ac pontifex. Nam regibus expiandæ cædis munus incubuisse, ex historia scimus. Cæsari, inquit elegatissime Seneca, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius uigilia defendit, omnium ocium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium uacationem illius occupatio: ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit. Et syderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quicquam suum facere. Immo uerò nec desuere, qui solum imperatorem stellarum non subiacere cursibus asseuerate

seuerate scriptis produnt. Quoniam unus sit, in cuius fato stellæ decernendi non habeant potestatem: quippe quum sit orbis totius dominus, fatum eius dei summi iudicio gubernatur. Et quia terrarum spatia illius subiacent nutui, & ipse in deorum uenit decuriam, quem ad faciendâ & conseruandâ omnia diuinitas statuit principalis. Quin hoc ipsum est quod obscurius significat M. Tullius in epistolis ad Q. fratrem: Sic te, inquit, ita uiuentem intuebuntur Græci, ut quendam ex annalium memoria, aut etiam cælo diuinum hominem delapsum putent. Porro Xenophon ille, cuius aureum flumen quibusdam scabris & turbulentis obijcibus retardare Cicero dicitur, Cyrum suum, ut sanctitatis antiquæ typum, & exemplar examinatissimum effinxit: neque enim ille talis fuit, sicuti Platoni credimus, id ipsum in legibus statuenti; à M. demum Tullio confirmatum in epistola ad Q. fratrem didascalica. Sed singularis facundia philosophus effigiem quandam iusti imperij conceperat animo & eminentissimi principis, quæ summam grauitatem cum singulari comitate coniungeret. Hanc ille sub persona Persicæ regis exprimendam potissimum censuit. Adeoque scopum attigisse uisus est, ut scopi umbilicum uerius, ut Africæ Scipionem, quanquam spolio ex tertia orbis parte rapto, celeberrimum, non temere legimus eum librum de manibus ponere solitum. Neque enim uulgaris aut exculcata uirtutis est, alijs bene imperare; siue id imperium perpetuum sit, siue certis circumscriptum annorum curriculis. Proinde dictum ab Aristotele est ex Biantis sententia, magistratus uirum ostendit, eo quidem impensius, quia alienum bonum iustitia est uirtutum sola. Sic ad alium, & in communi magistratus geritur. De quo quidè uberius primo De republica à Platone differitur. Eius uis est, ut præsit, præscribatque, quæ recta & utilia, & coniuncta cum legibus. Ut enim populo præsent magistratus, ita magistratibus leges, uereque dici potest, magistratum legem esse iam loquentem: legem uero mutum esse magistratum. Lex porro simul cum mente diuina orta creditur. Itaque uera lex & princeps, apta ad iubendum uetandumque, ratio est recta summi dei: sicut doctissime à M. Tullio colligitur. Facilitas uero & humanitas principis, ac magistratus præcipue sunt uirtutes, itaque Macedonum regem Philippum rerum gestarum gloria longe post à filio relictum, legimus, facilitate aut humanitateque adeo antecessisse, ut alter semper magnus, alter sæpe cothurnatis sceleribus turpissimus deprehendatur. In Romana historia aduertimus, tribunitiæ domus fores non interdum, non item noctu solitas occludi, ceu plane portus quidam ac refugium celebre, quo indigentibus semper & facile pateret aditus. Isthuc ipsum si præsidet uiri uniuersim præsent, saluberrima quædam dubio procul confurget administratio. Nam & in septem sapientum conuiuio præcipua dignum laude putat Solon tum regem, tum tyrannum, si ex monarchico principatu democratiam ciuibus suis comparent. At Bias eum uere principem opinatur, qui patrijs legibus institutisque subiecerit se primus. Beatum esse regem censuit Thales, cui datum foret consensescere, immorique, natura ad id ducere. Anacharsis uero adiecit, si solus fuerit prudens. Sed respicit tyrannicum omnino spiritum, quod à Cleobulo prolatum est: Si inquit, nemini assistentium satis fidat. Præsignem pietate principem facit, ac perinde felicem, Pittaci scitu digna sententia: Si, inquit, non illum timeant ciues, sed illi. Cæterum Chilonis magnopere attendendum oraculum, quo pronunciat, Summa omnia & immortalia principi legitimo esse concipienda. Et rectissime profecto, quippe iustitia legis utique finis est: lex uero principis opus. Princeps imago dei est, uniuersa dispensantis gubernantisque, non Phidias industriam requirens, non Polycleti, non Myronis, sed ipsum semet in dei similitudinem effingens, uirtutis opera simulachrum expingens conformansque omnium plane decentissimum & aspectu iucundissimum, ac deo maxime conueniens. Ab hoc autem quantum denique abijisse diuersus agnoscitur Sicilia tyrannus Dionysius: Quando citra omne uirtutis pensum, nouarum uoluptatum inuentoribus, certa proposuerit præmia. Ptolomæus illuc est turpitudinis prouectus, ut extra quam Macedonum ac Græcorum legibus foret sancitum, uel sorori stuprum intulerit. Antigonus Liberum patrem exhibiturus, quod est Herodiano proditum, causæ loco ac diadematis Macedonici, hedera caput reuinxit: quin & sceptri uice Thyrsum gestitare non erubuit. Porro qui uocis horrore, aspectus truculentia, morum difficultate ac solitudine principatus tumorem austeritatemque exprimunt; nil sane ab colossis di-

stare animaduertitur: qui extrinsecus heroicam aliquam, aut diuinam præferentes specie, intus terrā habent, aut saxa, uel plumbum quoque: nisi quod hoc genus statuæ ponderibus libratæ rectitudinē seruant immobilem, nec quoquam proclinantur aduultue. At imperitus princeps fluctuat sæpe, quatiturque ac circumagitur. Addecer imperantem profecto esse ueluti regulam aut canona, qui ad rectitudinem cōpositus, & nullo flexu uitiat, cætera appolitus coaptatusque dirigit, ac similia reddit sibi. Consimili item ratione præsidem oportet seipsum prius componentem, ac imperium intus ordinantem, sic concinnatis moribus, ciues sibi reddere persimiles. Neque enim succidentis est laplantisque alios dirigere, aut incipientis edocere, aut inculti ornare, uel exordinati ordinare, uel imperare, qui obedire nesciat. Cæterum plerique ex incipientia primū atque præcipuum principis opinantur bonum, nemini subesse. Et Persarum rex omnes præter uxorem, quam in primis pro imperio coercere oportuit, seruos arbitrabatur. Et Moralium octauo scribit Aristoteles, Patris apud Persas imperium esse, haberi que tyrānicum, quando filijs utantur perinde ac seruis, tamen si patris ad filios societas in domo bene instituta regni præferat effigiem, quum patribus curæ sint filij. Quo argumento Iouem ab Homero patrem dici. Sicuti uiri & uxoris societas optimarum persimilis est potestati. Fratrum uero ei, quæ censibus fit: quæ tertia est rerum publicarum forma. At inferat aliquis, Quis igitur imperantē compressurus imperio est? Lex nempe mortalium immortaliūque regina omnium, ut Pindarus inquit: nec ea libris omnino, aut comprehensa tabulis, sed animata intus ratio, cohabitans perpetuō, ac in statione tantum non parata, nec animam ducatus destituens inopem. Persarum regi, sicuti accepimus, præsidio erat ex intimis unus aliquis, huic destinatus munerī, qui mane confurgentem ita commoneret, *ἀνδρα ὁ βασιλεὺς καὶ φροντίζε παραμάτωρ, ὡς σὲ φροντίζε ὁ μετρωμάσθης ἠδὲ ληστὴ*. Confurgerex, & obi negocia, quæ te obire uoluit Mesoromafdes. At solers imperator intus habet hæc, & huiusmodi pleraque dicantem. Inde fit, ut refelli magnopere dignus uideatur Anaxarchus: qui, ut Arrianus prodit, consolatur Alexandrum uino & iræ, consultoribus pessimis succumbentem, per febrem (ut uidetur) somnians ipse, uel morbo arreptus phrenitidos, Hippocratis ac medicorū uinculo destinandus: An tu Alexander sapientes, inquit, ueteres ignoras, ideo assidentem Ioui iustitiam fecisse, ut quicquid ab Ioue decretum sancitumque foret, id iure factum uideretur? Ita magni acta & gesta regis primū quidem ab ipso rege, deinde ab alijs iusta censenda sunt. Sed mea utique sententia, si approbentur ista, ut ab sapiente ac uerè profum enunciata, bone deus, quantum inde erumpet malorum: qui calamitatum laxabitur sinus? Documentis itis ipse Alexander, quem ita philosophi præceptis imbutum proditur memoriam, ad id uelania productum, ut iam diuinos sibi deprecaret honores. Nec satis, nam ueluti bellatorem fortunæ statibus nimio plus elatum mortalis naturæ dispuderet, non Philippo iam se natum, sed Ammone potius, credi uolebat. Quid illa uestis mutatio, & in Perlicos mores degener transitus? quantum hic turpitudinis, quam foeda maiestatis sugillatio? quæ uero Macedonum indignatio? Cæterum quid ita insinuas Anaxarche, assidere Ioui iustitiam? Immo uero, si cōsectatio me non fallit, non assidet iustitia Ioui: sed ipse iustitia est, ac fas ipsum, & legum uetustissimus omnium, ac perfectissimus. Ita certè ueteres prædicant, edocentque, absque iustitia ne ipsum quidem Iouem rectè posse imperare. Ea uero iuxta Hesiodum incorrupta uirgo est, pudoris ac castitatis, utiliumque contubernalis. Proinde reges item *ἀδύοις*, id est castos uenerabilesque nuncupare poetæ solent. Hinc ergo colligendum, regiam facultatem esse sublimem, præcellam, multis uirtutibus circūseptam constipatamque, curis innumeris anxiam, & omnino uitam censerī laboriosissimam, si incumbētem oneris magnitudinem rectè metiaris, gerasque pro ratione ac dignitate. Proinde Seleucū dicere solitum scimus, Si satis norint homines, quam operosum, quamque molestum, uel modo tantarū rerum adeo numerosas epistolas aut scribere aut legere, diadema proiectum neminem excepturum. Quin & Philippus in regione speciosa castrametaturus quum audisset, futurā ibi iumentis pabulino-piam, ὁ Hercules inquit, cuius nam modi uita est nostra, si ad afellorum occasionem uiuendum nobis est? Certèanax ueteribus rex dicebatur, quod Plutarchus tradit, & repetit Eustathius, quia anacos dicitur medela, quod illis subditorū cura incumbat. Dioscurus

scuros autem, id est Castorem Pollucemque, ab nauigantium cura primos omnium ita inuenio nūcupatos. Inest utique uocabulo diuinum quiddam, proinde excellentiam complectimur eo, quod Euripides item significat, *ἀναξ, θεοὺς γὰρ δεσπότης καλεῖται θεῶν*. Est proprium quoque nomen Anax, sic enim cæli ac terræ nuncupatur filius, de quo Miletus dicitur anactoria. Scribit Herodotus Cereris templum in Eleusine fuisse anactorium. Pollux anactoriū pro adyto accipit. Inuenio item reges, siue duces recte diopos nuncupari, quod commonstrat Aeschylus, sicut adiopū uocantur, qui principe carent. Inflectitur uerbū ab *διέπω*, quod est ordino. Aelius Dionysius diopon accipit *διεπέω φύλακα*, id est nauis inspectorem, custodemue, *ἐπὶ τὸ ὄπισθεν, ὃ βλεπέω*. Porro apud ueteres, qui rerum moderamina suscepissent, ijdem & auguriorum erant non imperiti: ut enim sapere, sic & diuinare regium censebatur. Diopos etiam epiplus dicitur, id est *ἐπίπλος*. Diopos regios in Romulo Plutarchus, aut dispensatores accipit, aut uillicos. nā de Romulo & Remo: Præfectos, inquit, ac regios diopos cōtemnebant, & pecoris magistrōs: uel, ut ipse ait, *ἐγχελάρχους*. Sed interpretes diopos dici legatos putat: adeo transferendi onus plane colossicon est. Dignum scitur: Prytaniā, id est *πρυτανείαν*, dici Græcis imperium diei, quum in orbem inter plures digeritur imperandi uicissitudo. Hinc Herodotus: Miltiades, inquit, non prius congredi statuit, quam ipsius aduenit prytania. Idem auctor probulos uocat, quos nostri prouisores. Cæterum attendenda magno pere hæc parte Platonis sententia, qui ad res egregias strenue feliciterque obeundas esse nil prorsum accommodatius scribit, quam prudentium doctorumque uirorum beneuolentiam. Immo uero esse nullum uel iustitiæ uel prudentiæ argumentum certius, quam si amici id genus adsint abunde. Nec me fallit tamen, Gothicum fuisse institutum, ne literis imbuerentur reges. Quod illæ, ac seniorum institutiones longo ab fortitudine interuallo abessent, ac magnanimitate. Quin itē effœminari potius animos, remollitosque ad timiditatem dilabi. Illud denique non præteriero, leuiculum forsā, sed plerisque ignoratum tamen, regiam palatij nomine insigniri coeptam Augusti Cæsaris tempestate, quod refert Dion, quia is Palatinum montem incoleret, ac inibi esset prætorium. Domus item Romulī, a loco dicta Palatium est. Hinc ubicunque fuerit imperator, eius domus palatij affequitur nuncupationem. Dona imprimis regi honesta, Xenophon scribit *ἀναβαδόντες* primo: Equum aureis frenis, aureum præterea torquem, ac denique Persicam stulam.

Regum reuerens in oriente cultus. De Indicorum regum luxu, ac tumore: item Persarum. Grypos curamēt Persæ. Item quem intelligamus Pyrphorum. Pyranon. Grinos quid, Saporis Persarū regis historia. De Cyro pau-cula. Orofangæ. Cap. II

**R**egium ergo nomen sanctum ubique, sed in Oriente uenerationis præcipuæ. Regum ibi maiestas eximia, confluentibus ad nomen Barbaris: quemque sequendis rebus reuerentiæ cultum exhibuere, uel in aduersis præstant constantissime. Quo factum animaduertimus, ut inani tumore, ac nimia insolentes felicitate plerique totis (ut aiunt) cuneis in multam proueherentur absurditatem, sibi que uendicarent, quæ humanæ imbecillitatis oblitos facile coarguerent. Indici regis luxuriam, quam tamen Barbari magnificentiam interpretantur, gentium reliquarum uita facile transcendere, hinc perspici potest. Siquidem ubi uisendum se publice præbet, apparent argenteis thuribulis ministri per plures conspicui. Iter uniuersum, quo uectatur, odoribus uaporatur. Ipse aurea gestatur lectica, margaritis hinc inde propendentibus. Amictus auro interlucet, ac purpura. Lecticam obmuniunt corporis custodes, e ramis cantillantibus auiculis, quas ita de more imbuunt, ut inter seria instrepant cantu. Regiam auratæ suffulciunt columnæ, auro uite cælata obambiente. Inter hæc auium, quibus præcipue oblectantur, argentæ nitent effigies. Regia nulla non hora uolentibus patescit. Vbi capitis curæ, ac ornamento incumbit: tunc admittuntur legationes, & redduntur populis iura. Odoribus perfluunt liti pedes. Si quando in uenatione pro-dire collibuit, feræ leporarijs oclusæ inter pellicū uota, & cantus transfixæ conficiuntur. Hic illis non contēendus labor. Si longior incumbat expeditio, curru uectantur, quem

quem in fratri auro elephantibus ducant affectantibus agminatim pellicum lecticis. Sub sequitur & regina, sed seorsum, nec minore luxu. Vbi somni tempus appetit, regem uino grauem dormitatemque cubiculo inferunt pellices, nocturno dijs patrio ritu aduocatis cum cantu. Iam uero quid superbam Persarum regum molliciem memorem? Adoratio his erat peculiare bonum, circa hanc non facile ad regem patebat aditus. Illum quidem uidisse quandoque, augustissimum censebatur: quoniam is sub maiestatis specie semper ferere latet. At magnus Agesilaus, quod Xenophon scribit, ut semper spectaretur, gaudio exiliebatur, quum turpiter agenti tenebras conuenire, arbitraretur: honesta autem uitae lucem longe plus ornamenti afferre. Porro Persarum regibus illa maxima incumbit cura, ut terrarum orbem mariaque depopulentur omnia, per sua ues dum ueniantur potus, glisceras adipatasque dum conquirunt dapes. Mox uero distenti sic, et adobrutum, mirum est quo studio moliantur soporem. Vni plures adsunt uxores. Per uices regem adire, mos illis est. Cultus regis luxuria praecipue erat insignis. Purpureae tunicae mediū albo intexebatur. Palla uero picturata erat, aureis accipitribus uelut rostris mutuo se petentibus. Zona succingebatur aurea, sed muliebriter. Ab ea propendebat Actinacis, uagina gemmata. Capitis insigne à Persis nuncupari cidarin, animaduerto. Ambit id cerulei coloris fascia, albo intermicante. Et pontifex tamen, inquit Hieronymus, cidarin habet, & nomen dei gestat in fronte. Cuium affectabatur armatorum decem millia, hastis argento coruscantibus, spiculis etiam auro praefixis. Si quando mouenda forent castra, super regis tabernaculum, quod augustale dicimus, conspicua omnibus promicabat solis imaginacula, crystalli inclusa globo. Quum progredi coepisset agmen, ignis quem ipsi sacrum aeternumque uocabant, argenteis altaribus praeferebatur. Sicuti apud Graecos irroboraerat mos, ut in prima staret acie uates laureos gestans ramos & corollas, quem uocabant pyrphorum: cuius meminit Pollux, & in Suda monumentis relatum inuenies, quoniam lampada item praeferebat. Eum iure belli uisulasse, summum habebatur scelus. Apud Herodotum historia octaua, pyrphorum pro sacrificulo accipit interpretis. Est eo item nomine instrumentum prunis ferendis destinatum, quod etiam pyranon uocant. Scitu uero dignum: ante inuentas tubas pyrphoris, seu lampadephoris usos ueteres, qui bellicum canerent, ut sic dicam: nam in medium utrinque progressi, facibus excussis, praelium accendebant. Apud Sophoclem in Oedipode tyranno, pyrphori significat morbos, inducentes febrem: nam πύρ, quandoque πυρετόν indicat: sicuti πυρετός, interdum pro igne positum inuenias: ut apud Homerum, καί τε φέρεται πύρ, πυρετόν. Ignem sacrum insequerantur magi, magos trecenti sexaginta quinque iuuenes puniceis uelati amiculis. Hi tot erant, quot in anno dies. Mox erat Ioui sacer currus, quem albi traherent equi. Post quos insigni magnitudine uisebatur equus solis, sic enim dicebatur. Equorum moderatores aureis uirgis ornati, albis item uestibus uisendos se praestabant. Aderant post, uehicula auro caelata & argento. Insequerantur, quos Persae immortales uocant, decem millia numero. Ante omnes Barbaros hi luxu praediuite honestabatur. Torquibus inter eos aureis exculti quidam incedebant. Auro distincta uestis decorabat alios, tunicis manicatis quidem, sed gemmarum specie ornatissimis. Ab ijs constituebatur, quos regis cognatos uocabant, quindecim millia numero. Foeminas dices, ita ornamentorum luxu ac delicijs distuebant, doryphorae uocabantur, ueluti satellites. Regis currum anteibant regio insignes gemmis collucebat. Eminebant ex eo simulacra duo aurea, cubiti mensura, interiacente expansis alis aquila, materiae eiusdem. Sphragida, id est annulum regis signatorium, uel id genus aliud Cyri praetulisse imaginem, proditur memoria: etiam si tradunt alij fuisse Darij equum, quo adhinniente regnum is arripuit. Sunt qui & regis fuisse ipsius malint. Orofangas uocant Persae, qui de rege sunt bene meriti. Cyrum Persarum regem grypum fuisse memorant, id est adunco naso. Proinde in ciuiliū praceptorum ratione Plutarchus, & alibi, eo habitu homines Persis mire gratos fuisse scribit. Nam & agrestes boues epigrypos esse dicunt Graeci, id est rictu leuiter adunco. Grynon uero γρυμόν dicunt Graeci ijdem, id est truncum, uel stipitem: ex quo uerbum id pro nauī etiam usurpauit Lycophron eo uersu in Alexandra,

Αδύσθ

Αδύσθρον πρῶτον ἐπὶ Ἰσθμῶν. Etiam si ad Alexandrum posse referri, putat interpretis. Quod mater Hecuba per quietem parere facem esset uisa. Verum quod ad Perlicum attinet tumorem, adnotatu digna Saporis Persarum regis epistola, quam ad Constantium imperatorem is dedit sic exorsus: Rex regum Sapor, particeps syderum, frater solis & lunae, Constantio fratri meo salutem plurimam dico. Mox submonet: prouincijs quibusdam cedat, quoniam medelarum quoque artifices urere, nonnunquam & secare, sibi permittant, quo residuis liceat integris post haec uti. Quod ipsum factitēt bestia quoque, quae cur expetatur gnara, id abscissum sponte amittunt, ut in reliquū super sint impauida. Sed & Cyri conditorū hoc insigne uisebatur epigramatio: Cyrus ego rex olim regum, conditus hic sum.

Proditorum foeda taxatio per exempla decurrens historica. Cilicum prauitas. Copis. Quid cilicisimus, canabisimus, Isangelia. Plutarchi locus restituit. Epangelia. Scapha, σκαφόρη, scaphalos. Scaphia uasa. Agraphij crimē, & alogij. Angelus, exangelus aut angelus. Cap. III

**P**roditori nil unquam fidum esse debere, pronunciatum historica grauitate à T. Liuiō est. Id & exemplis aliquot exploratus sit. Cilliconta quendam legimus, Priensibus patriam prodidisse Miletum: id nobilissimo cuique non modo odiosum, sed & tenuioris fortunae hominibus. Fuit Ianus quidam Theagenes nomine, Syrus. Adierat Cillicon carnes empturus, at dissimulato Theagenes odio, ut qui toto animo illi satisfactum cuperet, carniū portionem porrigit, tanquam quod superflueret abscissurus. Illo autem manum proferente, elatam copida Ianus impegit, resectaque manu addidit generosius dictum, Hac, inquit, abhinc ciuitatem prodes nullam. Sunt ex Graecis, qui Cilliconta istum ita cognominatum putent, quia Cilicum prauitas & seuitia infametur passim, quando Achaus illi proprium fuerit nomen: addunt, fuisse Meropis filium. Certe historicus Theopompus per uinolentiam aeditam caedem, Cilicisimum uocauit: sicuti Canobisimum dicimus, Canobitarum lasciuam turpitudinem. Copis autem, si cui forte scrupulum iniicit, uerbum Latinis auribus haud ita frequens, hic esse uidetur Ianij culter. Q. tamē Curtius copidas interpretatur recuruos gladios, quadā falcis imagine, meminit libro tertio Strabo. Inter instrumenta sacrificalia Pollux sphaigidas enumerat, & copidas. Vnde est Demosthenicū illud de Phocione, ἡ τὴν ἐμὴν λόγων κοπίαν ἀνίσταται. id est, uerborum meorum copis exurgit. Plutarchi tralator securim est interpretatus. Porro circūfertur ad hanc maxime rem faciendū bracteatum Antigonī dictum, Qui proditores tātis per, dum produunt, amare: ubi prodidissent, odisse dicebat. At Cæsar in Thracē quendam, Proditionē sibi placere, inquit: proditorem minime. Plutarchus scribit, Rhimotalcem Thracum regem, qui ab Antonio ad Augustum transierat, solitum illi inter pocula societatem petulantius exprobrare. Id quum aegre ferret Augustus, propinans ex accumbentibus cuidam: Ego, inquit, πρὸ δόσιον φίλῶ, πρὸ δόσιος δὲ εἶ ἐμπεινῶ. Proditionem quidem amo, sed proditorum non laudo. Demosthenem Demadi crebro dicere solitum ferunt, ὅτι πρῶτος ἐαυτῶν οἱ πρὸ δόσιου παλοῦσι. Id quod si amplius expēdit, non foret à Macedonibus sanguinarie excarnificatus. Scribit Plutarchus, quod notatu Hercle dignum est, Reges cum primis esse ἀπιστίας καὶ πρὸ δόσιος διδασκάλους: quoniam eum iuari praecipue opinentur, qui iustitiae intendat minus. Proinde nō debere alios criminari, si exemplo ab eis ipsis ducto, quod confert, affectantur tota uī, huc illuc uoluntate tralata. Lathenes, qui Philippo Olynthum prodidit, querebatur se ab illius amicis, ut proditorem infamari. Ei Philippus Macedones, inquit, natura rusticiores sunt, ac rudes, & scapham dicunt scapham. Est autem nauiculæ nomen scapha. At σκαφόρη, uulpes est. Scaphalos uero dicitur ἀτλητής, id est haustor. Scaphitas dici, à Graecis comperi, qui scaphis nauigant, tāquam scapharios quosdam. Scaphides uasa sunt, in quibus melicerides, id est faui collocantur. Scaphisteriū Columellæ purgandis seminibus, aptum instrumentum. Pacton scaphæ genus est Strabonī ἐκ σκυτελιδων, id est uirgis compactum. Scaphia uero uasa sunt, inquit Martianus, ex ære rotunda, quæ horarum ductus stili, seu gnomonis proceritate discriminant. Horoscopa item dicuntur & horologica. Adnotandum uero illud scitu Hercle dignum: Isangeliā, id est ἰσαγγέλιον, dici acufationem iudiciumque

A 4 ciumque

ciumque, quod in proditores intēditur, uel omnino læsæ maiestatis reos: quorum crimi-  
na legibus non continentur, unde & *πρὸς ἀρχαίων ἀδικημάτων* dicebatur  
ifangelia. Quam tamen sanciebat ifangelica lex. Agebantur uero hæc uel in senatu,  
uel in cōcione, ifangelia meminit Demosthenes quoque. Plutarchus de Alcibiade reo,  
quod Cereris & proserpinæ mysteria polluisset domi ea celebrando, hæc (inquit) in  
ifangelia sunt scripta. Interpret locum incuriosius transiit. Angelum esse scribit Am-  
monius eum, qui extrinsecus quippiam nunciat. Exangelum, qui quæ intus fiunt, exti-  
mis promit, quem diangelum uocat Thucydides: aut angelum, qui ex se nunciat, non  
ab alio missus. Epangelia uero dicitur, quum quis accusatur, quod præter leges concio-  
netur, aut rem publicā capeffat. Obiter item sciendum, fuisse agraphij crimen, ubi quis  
ex tabulis publicis ante perolutionem suam expunxisset nomen. Quam rem Demo-  
sthenes significat, & docent præterea plures. Alogij crimen est, quum rationem qui-  
piam reddere neglexerit in magistratu gestorum.

Canteri notio multiplex. Runcina quid. Compluuiatæ uites. Pedatæ, seu  
characatæ. Quid charax, & ridica, & quid tradux. Senecæ locus illustratur.

Canterino ritu somniare, quid. Viticulæ quid: item suffrago. Cap. IIII

**C**anterium Varro scribit De re rustica, libro secundo, equum dici, cui exem-  
pti testes sint: inde appellatum, quod semine careat. Id ipsum fere Pompeius  
Festus cōprobat. Sunt qui opinentur, uocabuli etymon inde trahi: quia cau-  
terio detestari mos esset, per unius demutationem elementi. Nonnulli can-  
terios intelligunt mulos, ad uellaturā quos pascere moris est: unde sit cantericium hor-  
deum. Ab equi porro similitudine canterios item dici uolunt, quibus subiectis mate-  
riarū fabri runcinis, id est ferris maioribus, arborum molles fecant. Eos impolitor ser-  
mo & rusticior caballos uocat, sicuti runcinos minores equos, ex runcinarum (ut pu-  
tant) origine. Nam Plauto deruncinare uerbum positū pro dissecare dissipareque. Quan-  
quam non me fallit, quibusdam id amplius arridere, ut sit runcina leuigandis lignis in-  
strumentum accommodum, quod uulgus simplex planulam dicat. Est & in uitibus can-  
terius, iugum simplex, cum depositis hastilibus, ut Columella scribit, adnectuntur sin-  
gulæ per transversum perticæ in unam ordinis partem. Id fere Plinius quoque prodit, sed  
amplius compluuiatæ dicit uites, ubi iugum est quadruplex, ab cauis ædium complu-  
uijs similitudine ducta, atque itē nomine. Nam pedatas intelligimus admniculo fultas.  
Si uero breuiores palmites sarmento iunguntur inter se funium modo, ex hoc arcus fu-  
nera dicuntur. Pedatas, seu palatas etiam characatas appellamus: quia charax Græcæ  
pedamentum est, siue ridica. Quamquā est ridica fissile admniculum proprie, quod diu-  
tius manet, quam teres palus: a quo palari uitis dicitur, quum palis obfulcitur, sed & lo-  
ca uliginosa palari dicuntur, ubi palis addensantur accipiendis fundamentis. Rusticum  
quoque uulgus characios uocat pedamenta uetera. Traducem uero nominant Galli,  
quum diuersarum arborum obuij palmites alligantur uno conciliati uirgultorum com-  
mitatu, aut quum in uiduam arborem transilem faciunt. Traduces quidā rumpos ap-  
pellant. Sunt qui etiam uites: ut quum ait Varro, iugorum genera sunt quatuor, perti-  
ca, arundo, restes, uites. Traducibus utuntur Mediolanenses in arboribus, quas uocant  
populos. Ex hac uero rusticarum rerum ratione animarum traducem uocari à Tertul-  
iano & Apollinario nouimus, ut sicut corpus ex corpore, ita anima nascatur ex ani-  
ma, & simili cum brutis animantibus modo subsistat. Canterios in cepinis, id est cepa-  
rum locis apud Columellam inuenies forma deminuta pro munimētis quibusdam ce-  
parum, ne Thalli earum uentis prosternantur. Sicuti in rapinis etiam canterios, quum  
operiuntur rapæ, ut à pruinis semina defendantur. Farraginata sunt, ubi paratur farrago.  
Hordeum hexastichon ab ordinum numero, aut uersuum: quidam etiam canteri-  
num uocant, sicut distichon galaticum. Canterios item in architecturæ ratione nomi-  
nat Vitruuius libro quarto: unde canteriatum tectum, sicut asserulatum quoque dictum  
inuenimus: nam quaternata harula aliud est. Vulgus quoque crassiores & robustiores ra-  
mos cāterios solet dicere, nil deluxato admodum uerbo. Ridicula est enarratio cuius-  
dam Plautini interpretis, qui claritate maxima caligans, canterium apud Senecā libro  
Epistolarum decimotertio, pro uehiculo accipit, ubi ait Seneca; Canterio uehebatur  
hippope-

hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret. Quum paulo post se ipsum in-  
terpretetur Seneca: O quantum, inquit, erat seculi decus, Catonem uno caballo esse  
contentum, & ne toto quidem, partem enim sarcinæ ab utroque latere dependentes oc-  
cupabant. Hæc uero ille hippoperas dicit, quasi equestres peras. Gallicos canterios,  
ut uiliores, agnoscere uidetur Plautus, quando in Aulularia ita scribitur: Ego faxim,  
muli pretio qui superant equos, sicut uiliores Gallicis canterijs. In Hieronymi tamen  
ad Marcellam epistola sic scriptum legas: Illi gaudeant Gallicis canterijs, nos solutus  
uinculis asellus Zachariæ delectet. Cruciatem canterium Aufonius item dicit, quem  
tortorem uulgus appellat, & Nonius interpretatur. Carterum illud longe remotius, &  
ex intimo literarum penu ab ingeniosis erutum: in quo enarrando, non scioli quidam  
aut elementarij, quod ferendum foret, sed classicus, & primi nominis cādidatus longe  
fallitur, & apinas nescio quas, & tricas imprudenter ac ofcibūdus, uelut obefæ naris  
quispiam è triuo, effundit. In Plautinis ergo thesauris ita positum est: Cerre hæc mu-  
lier canterino ritu astans somniat. Adagium hoc recōditum ab doctissimo Comico in  
mulierem concinnatum est, que etiam si astare, uigilare, recteque sensibus uti uidebatur:  
tamen quia nānias quasdam Siculis gerris uaniores effutiebatur, ut Menegmo uideba-  
tur, somniare ac dormitare eam dicit equino ritu. Notissimum quippe, dormire equos  
stantes. At somniare eos, locupletissimum testem habemus Aristotelē, sic De anima-  
lium historijs libro quarto scribentem, *ἐπι δὲ θυπνιολογῶν φαίνονται ὁ μόνος ἀνθρώπος,*  
*ἀλλὰ καὶ ἵπποι καὶ λέωνες καὶ βόες, ἐπι δὲ πρόβατα καὶ αἴγες.* id est, somniant etiam manife-  
sto non homines solum, sed etiam equi, canes & boues, quin etiam oues & capræ. Cæ-  
terum Apuleianus enarrator, tametsi pampinarius non est, uerū fructuaris in primis,  
non ab canterio canterinum deflexit, sed ab cantharo cantharinum deducit. Verlicū-  
lo lepidissimo plane luxato, illo intellectu, ut ipse cōminiscitur, foeminam somniatē  
astare ritu canthari, uasis uinarij, qui ea forma figuratur, ut rectus astet consistatque. Ego  
uero canthari eam esse figurā, non omnino abnuerim. Somniare uero etiam uasa, non-  
dum uideo didicisse: ni forsā asino superflue canit lyra, quod si ad formam modo, po-  
sitūque respexit facetissimus poeta: nil insipidius aut exculcatius proferri ab eo potuit.  
Canterinū uero à canterio recte inclinari, cōprobat Columella. Quod caballum à Se-  
neca dici subnotauimus, aduertenda est Hieronymi sententia: Ut statim, inquit, cerna-  
mus tias galeis, caballos quis cedere. Quia uero de uitibus dicta pleraque sunt, illud  
ex abundantia adiecero, Viticulas dici Plinio Palladioque, in plantis flagella, ut cucur-  
bita & cucumere, ab uitū ratione uocabulo deflexu. Denique in uite sobolem radicibus  
hærentē uocant suffraginem rustici, quæ explantanda diligenter est, ferroque alleuāda.

Canthari etymon unde dicatur. Item notiones plures. Scarabeorū species.

Chrysolomelonthion quid. Plinij locus declaratur, item Aufonij. Onides.

Copiriones. Cantharorum item species ex Horo. Canathra quid. Pullaria.

Pullus. Cap. V

**C**antherum dici à Romanis scarabæum, ex paulo politioribus neminem fe-  
re arbitror latere. Vnde uero sic dicatur, sint fortasse qui scire expetant. Igi-  
tur, ne quid eorum desideria remorer, ex animalis generatione factam ani-  
maduerto nomenclaturam. canthona Græci asinum uocant, id est *κάνθωνα*:  
oron autem semē, & quidem scarabæi proprie. Sic uero progigni animal produnt: ubi  
cantharus asini retrimenta, quæ onidas nuncupant, & orbiculari fere uisuntur figura,  
offenderit, insistit, ac pedibus prouoluens interim genitalem urinā effundit, unde ena-  
scitur uermiculus, qui mox sit cantharus. Sed operæpretiū studiosis futurum arbitror,  
si ad id spectantia Aristotelis uerba subiecero, simul ut eius insecti species aliquot obi-  
ter noscitur: *Εἰ δὲ μελολόνηται,* inquit, *ἐκ τῆν σκολιόων τῆν ἢ τοῖς βολίτοις, καὶ τῆν ἀνί-  
δωροι δὲ κἀνδαροι ἢ κυλίουσι κόπρον, ἢ τὰυτη φωλευούσι τὴν χεμῶνα, καὶ ἢ πίκτουσι*  
*σκόληκας, ἢ ὠν γίνονται κἀνθαροι.* id est, melolonthæ, siue scarabæi uirides, qui & galle-  
rucæ item uocantur, oriuntur ex uermibus fimo bouis, aut iumēti creatis. Canthari au-  
tem, id est pilularij scarabæi, iuxta Theodori tralationē, in fimo quem uoluunt, condun-  
tur per hyemem, paruosque uermiculos pariunt, ex quibus ipsi procreantur. Proinde co-  
priones dicuntur Hippocrati. Idem philosophus paulo ante carabos nominauit, quos  
Latine

Latine scarabeos tauros dicere licet. Chrysomelolonthiō reperies in Aristophanis comœdia, cui titulus spheces. Quod, inquit interpres, paruulum est animal, flauī coloris, canthari præferens similitudinem quandam. Id pueri innexo pede mittunt in sublime. Scarabeorum genus grande, cornibus prælongis, bifidulis, quæ sunt dentata forcipibus in cacumine, quum libuit, ad mōrsum coeuntibus, Lucanum uocat Nigidius. Fullonē appellant aliqui scarabeum, albis guttis distinctum. Illud sciendum, à pilularum illa uoluntate, quam esse cantharis familiarem præmonuimus, inoleuisse adagiū Græcis in eos, qui castigati sæpius, nihil proficiunt, sed quod pertinaciter semel arripuerunt, pertinacius fouent, ac tanquam coccyges, sui semper similes eandem recinunt cantilenam: Cantharus pilulam. Quod enim est animal ingenium, nulla prorsus arte uiceris. Sunt præterea Canthari nauigia quædam: nam & in comœdia Græca ita legimus, *ναξιοργυρὸς λέωνδα*. id est, in Naxo confabricatus cantharus. Quippe de insularum nominibus sæpe nauibus imposta reperias nomina. Et enim *λυδίουργυρὸς* quandoque dicitur naues, quia in Cnido compingerentur. Cercyronque à Cercyra, quæ Corcyra est, uocantur. Parona item, id est *πάρωνα*, à Paro: unde forte obtinuit, ut nauium gubernatores passim ita dicantur. Fuit & in Attica portus Canthari nomine celebris. Eadem censetur nomē clatura ex Athenæi calculo pocillum, atque item accommodum mulieribus ornamento. Apud Iureconsultum Iulianum, libro digestorum trigésimo, canthari dicitur, per quos aqua saliant. unde arbitror inoleuisse Mediolani, ut cloacæ euehendis aquis ac fordibus dicantur cantharane: nam & cantharia legimus forma deminuta. Cæterum occurrit mihi parte ista Plinij nodus haud illotis (quod dicitur) transiliendus pedibus. Illi propterea lucem inferemus, ut hoc item nomine plenius bonarum literarum candidatos demerear, si quidem homo homini deus, ut uersiculo Græco comprobatur uideo. Plinij uerba sunt hæc ex libro octauo: *Βοσ*, inquit, in Ægypto numinis uice colitur, Apin uocant, in signe ei in dextro latere candicans macula cornibus lunæ crescere incipientis, nodus sub lingua quem cantharus appellant. Quæritur amplius inter eruditos, quid sit quod ait, Nodus quem cantharus appellant. Sed enim obscuritatem tollit Porphyrius ille doctissimus: & quia de nodo agitur, præclare enodat quod plerisque scio hæcenus latuisse, bonumque, si non & supra synodi Ariminensis multitudinem. Igitur in libro qui est De abstinentia carniū: Scarabeum, inquit, animal rerum diuinarum indocti abominantur, quod Ægyptij summopere uenerantur, animatum Solis effigiem putantes. Lunæ præterea taurū dedicant, quem Apin nūcupant, nigrum præ cæteris, & signa solis atque lunæ habentem. Mutuatur enim ex sole lunale lumen. Solis symbolum est coloris nigredo: nam & solis ardor, nigriora reddit humana corpora: & qui sub lingua est, scarabeus. Lunæ uero coloris diuisio. Adijcit in libro De Iside Plutarchus, quod neutiquam prætereūdum fuit, ita cantharos pilulam excrementitiam sensim in aduersum protrudere, sicuti contrarium mundo sol cursum agat, dum ab occasu in exortum fertur. Et quia scribit ibidem Plutarchus, Cantharos omnes esse mares, quod approbat & Porphyrius atque Horus, & Græci item alij, apud quos ita lectitamus, *κάνθαρος θήλυς οὐ γίνεται, ἀλλὰ πάντες ἄρσενες γίνονται*: id est, cantharus foemina non fit, sed mares omnes gignuntur: hinc succurrit, ut prius quam hæc nobis decedat cura, uel intercalata forte dispereat, Ausonium opera nostra iuuenemus, nubilo difficultatis excusso, quo multos poetæ illius studiosos interpellari nō ambigo. Est epigramma scitissimum in Marcum quædam emasculatorem: quærit lepidissimus poeta ex Pythagora, cuius placita sunt, transire animam in diuersa corpora, quem putet futurum ab ultimo fati die Marcum pullariam, qui erat, ut ipse ait, Peruersæ Veneris postico uulnere fossor

Lucilli uatis subulo, pullo, premor.

Respondet Pythagoras,

Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus,

Non caper aut aries, sed scarabeus erit.

Hoc est, qui foemininum perpetuo execratus est congressum, & pueriles tantum amores est cōlectatus, nō emigrabit moriens in animalia, quibus uterque inest sexus: immo scarabeus fiet, in quo genere non uisitur foemina. Qua ex causa etiam pullaria sciēter à poeta dicitur est, si quidem puer qui obscœne ab aliquo amaretur, eius à quo amabatur

tur, pullus uocabatur, quod Festus scribit: unde Q. Fabius, cui Eburno cognomē erat propter candorem, quod eius natis fulmine icta foret, pullus Iouis appellatus est. Erāt & uiginti uiri cognomento pullarij, qui auspicia coloniarum deductarum causa haberent. Sed horum alia ratio est. Illud postremo adnotandum, uice prouerbij à Plutarcho in Symposiacis esse pronunciatum, Ridiculos uideri, qui in cōuiujs innoxias auersentur uoluptates, sicuti *οὐκ ἀνθηροὶ τὰ μύρα*, id est, canthari unguenta. Canathra uero grypum imagines sunt, ac tragelaphorum lignæ, quibus insidentes puellæ circūferebantur in spectaculis, ut Xenophō indicat, & Plutarchus exponit. Dignū relatu id quoque ex eodem Plutarcho in libro *πρὸς τὴν εὐθυμίαν*, id est, De iucunditate. Illud, inquit, amplius tranquillitatem concutit: quod ueluti muscæ speculorum leuore dilabentes scabris inhaerent, ac ulceribus in superficie corporum erumpentibus affiguntur: sic & plerique felicitium iucundorumque obliti ad tristitia redeunt, & quæ memoria uulnus refricent. Immo uero cantharos imitantur, qui apud Olynthum in regionem quampiā, ex re cantharoleihron cognominatam, sese conijciant, quum inde mox nequeant explicari, immoriuntur. Non transilienda parte hac, quæ prodit Horus, Cantharorum noscitarū species tres: primam esse æluromorphon, id est felis forma: traditum uero marem æluorum cum solis incessu pupillam demutare, ut quæ solis exortu subintendatur, meridie rotundetur, occasuro hebescat sydere: quo argumento apud Heliopolim solis simulacrum effingi æluromorphon: alteram uero speciem esse *δικεραι καὶ ταύροειδῆ*, quæ sacra lunæ censeatur: hinc & in tauro, lunæ fieri exaltationem tradunt. tertia porro *μονόκερος* est, ac *ιδιόμορφος*: quam esse Mercurij produnt, sicuti auem ibi.

Quæ sit prouerbij ratio. Delphini uis in terra. Delphin instrumentum. Delphinis, delphax, delphaciū. Adelphi fratres unde. Delphys. Hystera. Delphinus Apollo. Item de delphine plura. Plinius explicatur. Ventorum in utre oclulorum ratio. Delphinus mensis. Delphicum locus. Cap. vi

**I**n Græcæ facundie auctor, ut uidetur, haud spernendus omnino, sicuti ex Plutarcho accepimus, eiusmodi adagiū posuit, *Δελφίνος ὃν χόρσω βία*, Delphinus in terra uis. Id in eos promptum uidetur, qui quod nesciunt, iudicant, & in quo minus ualeant, toto conatu petunt, nec se intra pelliculam cōtinēt, supra crepidam aliquod ambitiosius affectantes. Delphinorum celeritas utique memorabilis est, adeo ut ocior uolucres, acrior telo credatur, & ut Aristoteles inquit, *ἁπλοῦτα δὲ οὐκ εἶναι ζώων ταχέως, καὶ τῶν ἰνὸν δρωμῶν, καὶ τῶν χερσαίων, καὶ ὑπερβαλλόντων πλοῦτων μεγάλων ἰσότης*, hoc est, omnium uidetur animalium uelocissimus, non aquatiliū modo, sed & terrestrium, superiliunt etiam malos nauigiorū maiorum. Cæterum tam stupendæ agilitatis animal, terræ tamen contactum non patitur, quin inuectum in harenam emoritur confestim. Propterea in Demosthenis uita Plutarchus apud Græcos: nam Latina prorsum *ἀκίφαλος* est. Delphinis, inquit, uim ignorans Cæcilius, in omnibus nimis, iuuenili calore Demosthenis, & M. Tullij collationem ædere adortus est. Quod si unicuique obuium foret *τὸ γυνώδι ζεῦπος*, haud forte diuinum uideretur præceptum. In Epistolis tamen Plinius, collusorem delphinū in terram extrahi solitum scribit, harenisque siccata, ubi incaluisse, in mare dilabi rursus. Verum de delphine mox pluscula: interim quæ se ingerunt, appingemus, ne dilata mox excidant. Delphis itaque siue delphin, ut docuit Aristophanis interpres, instrumentum est nauticum, tum plumbeum, tum ferreum, quod in bello nauali pendens ex antemna: ubi se ostendisset occasio, in hostiles naues demittebatur, deprimendi causa. Erat autem animalis figura compactum, unde & nomē. Thucydides libro septimo, nauem delphinophoron uocat ex qua propenderet delphin eiusmodi. meminit & Pherocrates. Iulius Pollux delphina pro parte nauis accipere uidetur, quum ait: Carinæ affixum dicitur phalcis, siue Lesbium, aut clitopodiū: cuius postrema pars ad proram uergens, parembolis, sub qua embolum stira, id est carina. Super embolum stat, inquit, delphis, quando nauis fuerit delphinophoros. nisi quis Pollucem quoque de instrumento sensisse uideri malit. Nostris tamen temporibus celocium artius surrectum rostrum recuruū, uulgus nauticum delphina appellat. Delphinida, poculorum mensam uocat in Lexiphane Lucianus his uerbis

uerbis: *ποτήρια δὲ ἐκείτο παντοῖα ὑπὸ τῆς δελφινίδος τραπέζης*. id est, pocula uero omnia modis iacebant in mensa delphinide. Hanc Porphyrio Latine delphicam uocauit, quæ in Sermonibus Horatii:

Et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet. Iuuenalis item significauit: Et recubans sub eodem marmore Chiron.

De quo tamē loco quid sentiremus, alibi expositum est. Delphax uero est porculus lactens, ut ostendit Epicharmus, *Δελφάκι τοῖς ἐλευσινίοις φιλασσε*. ducto uocabulo ab delphys, quæ uox apud Pollucem uulua est: unde & adelphi, inquit, dicuntur fratres, qui ex uulua prodierint eadem, quæ etiam hystera dicitur. Sed proprie ex hoc delphax scemellam signat, ueluti quæ delphyn habeat, id est uulua. Delphacium sunt, qui uulgo temporalem dictum suum intelligant. Delphinium Athenis, inquit idem Pollux libro octauo, dicasterium erat, id est statio iuri dicendo, ab ægeō cōstructum. Iudicium in eo primum Thesei factum est, dum interfectos quidem à se latrones fateretur, sed iure diceret interfectos. Septa, id est periphraeta, in delphinio ab Plutarcho itē nominatur, ubi creditur habitasse ægeus: nam & Mercurium in templi parte, qua in Orientem uergit, uocant in ægei portis. Appellatio inde uidetur fluxisse, quia Apollo ibi colebatur cognomento Delphinus: cuius idem meminit Plutarchus, Marathonium taurum illi à Theseo immolatū prodens, qui Tetrapolim infestaret. Sic uero Apollo dicitur, quoniam Castalio Cretensi coloniam deducenti se obtulit ducem, delphinū præferens imaginem, qui & nauem præcesserit usque ad Criffæum Phocidis sinum: unde & Delphi quoque dicti, qui locum tenuere ab illo munitum: uel quod draconem delphina peremerit in Pythone. Colebatur Delphinia item Diana, ut in thesauris Iulij Pollucis obseruauimus. Extat Plutarchi commentariolus, in quo queritur, Terrestria prudentia amplius sibi uendicent, an aquatica. Ibi Delphinij cognomentum Apollinis non inde profuxisse scribit, quod is in delphina deformatus classi ducē se præstitisset: sed quod delphinem emisit, quem consequuti Cretenses Cirrham sint delati. Fuit apud ægænetas Delphinus mensis Apollini sacer Delphinio: sed quem illi *οἰλίσυ* dicunt, ac *δωματίτην*, atque ipso hoc mense rem eidem obeunt diuinam. Sunt qui & agona, quem hydroporphiam nuncupant, Apollini celebratum uelint. Delphicum uero, uti scribit Procopius, erat locus in palatinis ædibus, in quo uersari ac cibum capere consueverunt principes: quod ex Græcæ linguæ usu factum arbitratur: Nam & ibi, inquit, stabat tripus, super quo ab regijs pincernis astituuntur pocula: & Latini mensam eiusmodi, delphicam item nuncupant: uti antea memorauimus. Porro Vliissem in clypeo, delphinis prætulisse insigne, auctor Stesichorus est. Zacynthij, ut Cirtheus prodit, rationē protulere huiusmodi: quod illapsū in mare Telemachum subiens delphin incolumem præstitit. Quo beneficio pater, uelut remunerans, id in clypeo habuerit insigne, & signatorio quoque inculpsit annulo. Quod autem Vliis ab æolo utre oculos traditos esse uentos, fabulæ Homero produnt auctore: aduertendum sanè, quod qui *ἀρρητοῦργικὰ* literis mandarunt, haud omiserunt, Si quis ex delphine utrem sibi quæsierit, secumque habeat, flaturum quem is optarit uentum. Delphino præterea, produnt naturę periti, adeo motum esse familiarē genuinumque, ut standi interquiescendique nescius eundem uitæ sortiatum finem, quem & agitationis. Sicubi uero somno sit opus, euolat in summū, moxque resupinus sensim ad ima deferri se patitur. Ad terræ autem contactum uelut expergefactus resilit denuo stridens, rursumque rationē eandem inquit: quietem sibi hoc modo permixtam motioni machinatus. Delphiniscum Aristoteles paruū uocat delphina: sicut Cicero Diuinationum primo, paniscum paruū pana, & satyriscum paruū satyrum. nam canōnica est Græcis diminutionū formula istiusmodi. Exciderat pene, quod minime fuerat silentio inuoluendum. Scribit diuus Thomas, Delphinum esse futuræ tempestatis prognosticum euidentem, ubi in maris superficiem frequentius se uibret, & quodammodo colludat: siquidem hyemali procella ingruente, ab imo maris consurgunt exhalationes, quæ hyemi fomenta suggerunt: tuncque calor excitatur in delphinis: quoniam uero calidi propria est agitatio, inde contingit id animal crebrius erūpere, ac sese ostentare. Ex quo illud est in Historia naturali, Delphinū tranquillo mari lasciuientes flatum, ex qua ueniunt parte præagiunt, item spargentes aquam, item turbantes tranquillitatem.

quillitatem. Delphinū musicum ideo signum dici, Arati interpret scribit, quia nouem sit stellis insignitus, qui est Musarū numerus: sed stellas tamen in eo decē recentent alij. Ludorū origo. Spectacula an noxia moribus. Missus in ludis quid. Icrium.

Circensium inuentor.

Cap. vii



Vdos scenicos uoluptatis ergo, & ad erugendam matutinam, ac striatam frontem compertos esse primum, scribunt plerique. Et Polybius auctor est, Arcadas, quod erant uita austeri & duri, quo ciuium animos mitigarent, ludos excogitasse: quos postea qui dimiserint, ita animis obduruisse, ut tota Græcia execrabiles haberentur. Nostri ferè in his religionem intelligere maluerunt. Nam & Augustinus: Ludij, inquit, scenici, spectacula turpitudinum & licentia uanitatum, non hominum uitij, sed deorum iustis instituta Romæ sunt. Et apertius alibi: In grauescente pestilentia, ludij scenici auctoritate pontificum Romæ primitus instituti. Megalesia fuisse primos ludos scenicos, Valerius Antias auctor est apud Liuium, Martis magnæ dedicata æde. Cæterum quacunque ex causa fuerint producti primo, nil esse perniciosius morum integritati, putat Seneca. Quippe turba omnis utique animo grauis, & noxia. Nec enim quos extulisti, mores unquam refert: nemo non rubiginis aliquid aut imprimit, aut nescientibus allinit. Itaque nil omnino damnosius, quam spectaculis assidere, quādo per uoluptatem facilius ac procliuus obrepunt uitia. Quid me, inquit, existimas dicere: auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, immo uerò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui. Et quodam loco M. Cicero ludos spectare, hypopolæcum putat. Cæterum est Plutarchi cōmentariolus, quo edocemur, quo quis pacto animaduertat, se in uirtute proficere. Inibi post multa haud præclara parum, afferitur hoc quoque: Qui, inquit, iam magno profectu sunt, non ex orationibus modo & libris utilitatem aucupantur: uerum ex spectaculis quoque, & (ut semel dicam) ex omnibus. Quod ab Aeschylō factum legimus, & plerisque alijs: siquidem quum apud Isthmū pyctarum, id est pugilum certamen spectaret Aeschylus, cognouit ex duobus cōcertantibus alteri uehementi impacta plaga, ab uniuerso theatro maximū ædi clamorem: quum tamē percussus nil admodum quereretur. Id admiratus Ionem Chium, qui fortè astabat, leniter tangens, Aduertis (inquit) quā efficax meditatio sit, & consuetudo? Plagis affectus nō clamat, clamant spectantes. Illud hinc opera subnotarim parerga: In spectaculis quādoque Missus nominari. Cōfici missum unum intellige, ubi à calce ad calcem procurrentes equi rursum ab meta circumflexa calcem repetebant. Sic uerò dicitur, unde emittuntur equi. Hinc Maro:

Hic uiridem Aeneas frondenti ex ilice metam

Constituit signum nautis pater, unde reuertit

Scirent, & longos ubi circumflectere cursus.

Erant sanè missus quatuor & uiginti, pro horarum numero. Quando cælesti ratione circum distingui solitum, accepimus. Etenim duodecim uisabantur hostia, pro numero domiciliorū cæli, sicuti planetarum imagine metæ septem. Certantium classes quatuor fuere, suis distinctæ coloribus. Nam praefinus, seu uirens herbidadam uerni temporis indicabat lætitiā: roseus, æstiuam flagrantiam: albus, pallecentem autumnum: fuscus, hyemis nubilosam tristitiam. Circensium inuentorem produnt Monagum apud Asiæ Helidem. Icria inuenio dici foros, unde spectantur ludij: quanquam & nauium catastro mata sic dicantur quoque, quia & gubernantis sedes. Ex Hegelandro scribit Athenus, Demetriū ab Phalereo oriundum, sed luxu celebrem, Aristagoræ in Panathenæis metreticulæ icrium excitasse apud Hermas, illis surrectius.

De scena, & scenophegijs, scenographia, ichnographia, orthographia, megalographia, & scenicis locis. Sylscenia quid, & lysceni, ac scenopcei. Quid thymele, & qui thymelici. Declaratur Plautus & Vitruuius. Qui actores primarum, aut secundarum partium. Histriionum iura. Cuneus. Personati. Machinæ scenicæ. Martialis locus illustratur. Gerra. De profcenio & stropha, antistropho, epirrhemate, paregoremate. Charoniae scalæ. Pilarij, & uentilatores. Plinius & Martialis amplius declarantur. Epodos, antistropha, strophalis.

Cap. viii

B Scenam



**S**cenam scribit Cassiodorus, eam dici theatri portionem, quæ inter duo pro-  
tendatur cornua: quæquam prius nõ ferè aliud scena erat, quam ueluti ten-  
torium ab rusticis in umbrationis causa excitari solitum: sicuti in nauis puppi  
scena est Trierarcho structa, & in Hebræorum ritu scenophegia celebran-  
tur, ducta origine ab Mose, à quo de Aegyptiorum seruitute liberati sub tabernaculis  
id genus in solitudine agebant. Græci tamen scenophegia scribunt, ratione etymologica  
id monstrante. Iosephus Iudaici belli libro secundo, propter Scenophegiorum festos  
dies populum ascendisse Hierosolymam, auctor est. Scenographia in architecturæ ra-  
tione est frontis, & laterum abscedentium adumbratio, ad circiniq; centrum omnium  
linearum responsus: sicut ichnographiam uocant circini, regulæq; usum: unde, inquit  
Vitruuius, capiuntur formarum in solis arearum descriptiones. Dicitur ichnographia  
prædiorum, ubi imaginaria loci representatio iudicibus exhibetur, in rem præsentem  
ut sic perducantur. Nam orthographia est erecta imago frontis, modiceq; picta ratio-  
nibus operis futuri figura. Megalographia uerò pictura est, simulacra deorum conti-  
nens, seu fabularum expositas explicationes, aut Troianas pugnas, cuiusmodi apud poe-  
tam nobilem admiratur Troianus princeps. Apud Xenophontem in cõmentario De  
Lacedæmoniorum republica, Sylenia, id est συληνια, dicuntur cõtubernia in publi-  
co conuiuantium Sparta. Qui & οἶκοι σκηνῶν, pro eo posuit, quod est domi conuiuia  
celebrare. Quin & συκκίους, pro comessatoribus, conuiuiscq;. Scenopœi, id est σκην-  
νομοιοι, in Actibus Apostolorum esse uidentur, qui aulae contexunt. Interpres artem  
reddidit scenefactoriam, tum obscure, tum inepte. Scenarum genera tria reperio, tra-  
gicum, comicum, satyricum. Tragica scena cõformatur columnis & fastigijs, signisq;  
ac regalibus instruitur rebus. Comica priuatorum ædificiorum speciem habet, & me-  
nianorum. Satyrica ornatur arboribus, speluncis, montibus, rebus agrestibus alijs, in  
topiarij operis speciem. Scena, histrionum erat propria: ut inquit Pollux. Orchestra au-  
tem chori, in qua erat thymele, siue pulpitem id esset, siue ara. Hinc Vitruuius libro  
quinto: Ampliorem habent orchestram Græci, & scenam recessiorem, minoreq; lati-  
tudine pulpitem, quod logeum appellant. Ideoq; apud eos tragici & comici actores in  
scena peragunt: reliqui autem artifices suas per orchestram præstant actiones. Itaq; ex  
eo scenici, & thymelici Græcè separatim nominantur. Et in Symposiacis Plutarchus,  
Alia quidem ad thymelem & orchestram reiecit. Hoc libetius apposui, quia in ob-  
seruationibus suis uir doctissimus non satis uidetur tenuisse, qui dicerentur thymelici,  
quorum mentio est Iureconsultis quoq;. Digestis de his qui notantur infamia, etiam si  
maximè uirtutis codicibus. Sed & in canonicis Decretis relatam uocem commemoramus.  
Et thymelica nuncupantur apud Phurnutum acroamata, quæ Baccho adhiberi  
confueuerant: *ἡ δὲ τὴν πρὸς τὰς ἀελίας αὐτῶν οἰκιστοῦσα*. Illud uerò metaphora honestiore  
ab Plutarcho in Galba est pronuntiatum. Vel quam, inquit, thymelem uerentur, aut  
imperatoris tragœdiam. Hinc item Plautinæ obscuritati in Amphitryonis Prologo  
lux affertur plurima:

Sive ambissent qui palmam histrionibus,

Sive cuiquam artifici.

Porro & in uetere Græcorum auctore ad uerbum ita legimus: Gymnica certamina pa-  
rent Elei, thymelica Corinthij, scenica demum Athenienses. Quod si quis horum sub-  
sultarit, peccarit ue, plagis eum afficiant Lacedæmonij. Hoc uerò obiter dictum festi-  
uius est ob diamastigolin, id est difflagellationem, Spartanis in solennibus etiam festis  
celebrem, heortasticen Græci dicunt. Sed enim quia cœpimus, Latinæ linguæ delicias  
pro uirili iuuenus parte. Idem Plautus sic paulo post scriptum reliquit:

Vt conquisitores fierent histrionibus,

Qui sibi mandassent, delegati ut plauderent,

Qui ue, quo placeret alter, fecissent minus.

In nodi huius Gordiano impeditioris explicatione hærebunt forte Plautinorum sa-  
lium studiosi pleriq;. Ego autem amota uesica omni, paucissimis Ciceronis uerbis nu-  
bilum hoc Plautinæ fabulæ facilitate tota illustrabo. Sic enim in Verrè scribit Actio-  
ne prima, siue diuinatio dici illa debet: Vt in actoribus, inquit, Græcis fieri uidemus,  
sæpe

sæpe illum qui est secundarum aut tertiarum partium, quum possit aliquãto clarius di-  
cere, quàm ipse primarum, multum summittere, ut ille princeps quàm maxime excel-  
lat: sic faciet Halienus, tibi seruiet, tibi lenocinabitur, minus aliquãto contendet, quàm  
potest. Persona uerò primarum partium, ut ne hoc quidem tacitum præteream, intelli-  
gitur, quæ sæpius actu ingreditur, quum habeat comœdia actus quinque: secundarum ue-  
rò quæ minus, minusq; procedit. Ex quo & Terentius:

Primas partes qui aget, is erit Phormio.

Plautinum porro sensum adiuuat item Horatius in epistola ad Lollium:

Vt puerum sæuo credas dictata magistro

Reddere, uel partes mimum tractare secundas.

Qua in parte Porphyrio inquit, Secundarum partium actores omnia summissè agunt.  
Scribit Tacitus annali primo, Actum de modo lucaris, id est pretij, & aduersus fauto-  
rum lasciuiam multa fuisse decreta: ex quis maxime insignia, ne domos pantomimorū  
senator introiret, ne egredientes in publicū equites Romani cingerent, aut alibi quàm  
in theatro spectarentur. Et spectantium immodestiam exilio multandi potestas præ-  
toribus fieret. Obseruatum illud quoq;: Immunes uerberum histriones, Augustū quã-  
doq; respondisse. Proinde dictas nonnunquam sententias, ut prætoribus ius uirgarum  
in histriones esset. Histrioniam nõ esse pudori in Græcia, scribit Liuius. Arenarios ap-  
pellat in Antonino philosopho Iulius Capitolinus: bestiaris, in amphitheatri arena  
cum bestijs solitos colluctari: quos æquè ac scenicos idem infames significat. Quia ue-  
rò cunei loca dicebantur, in quibus notæ uilioris homines sederent, hinc scite admo-  
dum nullis auctos honoribus, ac intra priuatum se mensum cõtinentes signaturi, inter  
cuneos residere dictitamus. Illud amplius obseruandum: Atellanos dici priuatim per-  
sonatos: quoniam id esset illis ius, ne in scena personam deponere cogerentur: quod hi-  
strionibus alijs pati necesse erat. Hinc quæ ab ijs agebantur fabulæ, peculiari appella-  
tione nuncupabantur personatæ. Sed ut ad scenã reuertamur, illud sciendum: Loca in  
scena ad ornatum comparata Vitruuium scribere, à Græcis periactus appellari, ab eo  
quod in his locis machinæ essent uersatiles, quæ quum aut mutationes fabularum sunt  
futuræ, seu deorum aduentus, cum tonitruis repentinis uersentur, mutantq; species or-  
nationis in deorum: sicuti apud Plautum,  
Sed quid hoc? Quam ualidè tonuit? Di obsecro uostram fidem.

Verbum autem id periactus, accusandi casus est multitudinis numero, hoc est *περι-  
ακτος*, à uerbo *περι-ακτεω*, quod circumductionem signat. Vt ut eo uocabulo Plutar-  
chus in libro quo scrutatur, bellicis rebus illustriores fuerint Athenienses, an sapiētia:  
sed pro ipsi accipere machinis uidetur: ita enim scribit, *καὶ μηχανὴς ἐπὶ σκηνῆς περι-  
ακτος*: id est, & machinas à scena periactus. Sed & Græci ita produunt, Ceraunoscopion  
periactos est alta. Apud Athenæum sellas periactos obseruauimus: bronteum uerò ma-  
china sub scena, hoc est amphora calculis marinis plena, qui in æneum deijciebantur  
uas, ac circumacti sonum efficiebāt tonitru per similem. Hinc & in nostris literis Pom-  
peius Festus ita scribit: Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcher in-  
stituit, ut post scenam lapidum cõiectus ita fieret, ut uerorū tonitruum similitudinem  
imitarentur. Ceraunoscopium, altior intelligitur machina instar speculæ, ex qua fulmi-  
num iactus exhibebant. Crade autem in scena pægmatis erat species ad ficulneæ arbo-  
ris imaginem, quam craden uocant Attici. In comica tantum scena producebatur cra-  
de. Nam tragica admittebat propriè dictam *μηχανήν*, id est machinam, in qua monstra-  
bantur dij, aut heroes in aere, ut Bellerophontes & Persei. A rusticis comperi tamen,  
dici machinā locum, in quo asinum quæ cogitur admittere: nam parietes duo in ædifi-  
cantur aduerso cliuulo, haud ita inuicem seiuncti, ne foemina ineuntem marē reijciat,  
uel colluctando auertat, sed capistrata in scenforē patiat. Sunt qui craden interpretē-  
tur hamum illum æneum seu uinculum, quo uincti tenerentur, qui ita penderent. Cra-  
das intelligere animaduertitur Theophrastus in ficu summos in ramis coliculos tene-  
ritudine insignes. Inducebantur uerò in tragœdijs dij, qui repente commutatis rebus,  
fabulæ finem imponerēt. Propterea M. Tullius De natura deorum primo: Vt tragici  
poetæ quum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum. Et Aristo-  
teles

teles primo Metaphysices: Anaxagoras, inquit, mēte sic utitur, ueluti tragico quodam deo, qui repente monstrari solet. Parapægma uerò ad scenæ rationem pertinet nihil: est enim eo nomine canon, aut organi species astronomici, quod significat Vitruuius, parapægmatum disciplinas nuncupans, quibus syderum occasus, & tempestatum comperiuntur significatus. Erat tamen & supra scenam quod dicebatur theologium in surrecto, in quo Iupiter, cæteriq; comparerent dii. Vbi uerò ex imo in altum rapiendus erat aliquis, sicuti ab Aurora Memnon raptus memoratur, quod Quintus Calaber secundo Relictorum ab Homero significat, machinam qua id præstatur, dictam inuenio geranon: de qua mihi uidetur intellexisse Martialis Epigrammatum primo: Raptus abit mediâ quod ad æthera taurus harena:

Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.

Est eo item nomine ligneum instrumentum, in quo qui dicuntur ἀλφειοποιῖ, farinas contundunt: ex quo & γέρας, nuncupari ἀλφειῶν animaduertimus. In oratione pro Ctesiphonte Demosthenes γέρας σκηνῶν, quum dicit, scenæ intelligit integumenta. Nam sunt quidem Gerra Perarum scuta: sed & operimentum quodlibet sic nuncupatur: quin & teli genus Plutarcho in M. Antonij uita. Aeoras autem, id est αἰώρας, uocabant funes intentos uehementer, quibus sustinerentur, qui per aerem ferri uidebantur, heroes aut dii. Eccyclema pægmatis erat species, subiectis rotis, quo circumactio quæ intus acta fuisset, spectatoribus ostendebatur. Scansoria uerò machina, quam uocant acrobaticam, est quum ita fuerit collocata, ut ad altitudinem tignis statuis, & transversarijs colligatis, scandatur tuto spectandi causa. Buleuticum dicebant theatri partem senioribus assignatam: sicuti Ephebicus dicitur, ubi spectant Ephebi. Hemicyclium quoq; secundum orchestram locus erat, de figura sic cognominatus. Eius erat usus, ut locum aliquem à ciuitate seiumctum monstraret, uel etiam in mari natantes. Quem admodum & stropheum, in quo exhibebantur ad diuinitatem tralati heroes, uel etiam in bello aut mari perfuncti fato. Fuerunt & Charoniæ scalæ, ex quibus idola, seu simulacra destinabant. Charonia uerò porta ad theatricum usum facit nihil. Erat ea in nomophylacio Athenis, per quam damnati ad ultimū ducebantur supplicium. Charonium item dicebatur. Celebrantur & Quintiliano Institutionum decimo, miracula in scenis pilariorum & uentilatorum: qui ea quæ emiserant, ita librabant, ut uenire in manus uiderentur: quæq; iuberetur, decurrere. Ad quod planè respicit Martialis illud ex libro nono:

Summa licet uelox Agathine pericula ludas,

Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.

Sed & hinc Plinio lux infertur plurima libro octauo in elephantorum natura: Vulgare, inquit, erat, per auras arma iacere, non auferentibus uentis. Amphitheatrum scribit Dion, ex hoc dici, quod per ambitum sedilia disponantur absq; scena. Traditum ab eodem in Caligula est illud quoq; Senatoribus tunc primum subiecta pultuarina, ne tabulis affiderent nudis. Concessum quoque in theatra pileos ferre Thessalico more, defendendæ insolationi, id est ἵνα μὴ τῆ ἡλίου παλαπρόωνται. Scenam nonnulli interpretantur medianam theatri portam. Parascenia uerò ab utroq; latere spatia. Nam proscenium ante scenam locus erat, parapetasmaq; siue uelum aut item pulpitum. Vnde per adagium scitissimum proscenia dicimus, quæ speciosa extrinsecus uidentur, quum mira intus lateat foeditas: sicut meretricula quædam, ut scribit Athenæus, Nanius nomine, proscenium est cognominata, quæ uestium & auri cultu plurimo speciosa uidebatur, quum exuta foret uel turpissima, magno eorum errore, qui animi foeditatem intelligere maluerunt. Hæc item, si Sudæ credimus, facete dicta est Capra, quod Thalli cuiusdam cauponam faciētis bona deglutisset, tanquam germina hœdis in pastum obijci solita, quæ Thallos Græci uocāt. Meminit Apollodorus in tractatu De scortis: sed & Antiphanes lucubratione eadem. Ex proscenio in scenam uocabatur Mimi ad fabulas agendas, uicissimq; ἐς scenam illuc reuertebatur: unde actuum in Latinis comœdijs internoscitur distinctio: sicut in Græcis choro in orchestram demigrante. Episcenium autem dici uidetur rectè superior scenæ pars. Vitruuius de scena apud Alabandenos ab Apaturio concinnata in minusculo theatro, quod illi ecclesiasterium uocant: Præterea, inquit, supra eam episcenium, in quo tholi, pronai, semifastigia, omnisq; rectoriarius

rius picturis fuerat ornatus. Adijciamus porro ex Græcorum grammaticis excerpta, quæ nostra hæc adiuuent scitamenta, & coronidem capiti huic appingant. Igitur chorus, inquit, comicus in orchestra inducebatur, quam nunc logion dicimus: & quum hypocritas, id est actores alloqueretur, scenam spectabat. Abeuntibus uerò histrionibus, ad populum conuertebatur: & hæc uocabatur stropa. Erant autem iambica tetrametra: mox antistrophon accinentes, rursum tetrametra adijciebant. Erant ut plurimum sedecim carminum. Dicebantur uerò hæc epirrhemata, id est ἐπιρρήματα. Vniuersalis autè chori trāitus uocabatur parauasis, quod ab legitima statione in aduersum theatri prospectum trāgressio fieret. Fiebat id, ubi quid differere cupisset poeta extra subiectum argumētum sine actoribus per chorū, quibus peractis, cōuertebatur is denuo ad priorem stationem. Paregoremata, id est παρεγρηματα nuncupabatur, ubi quid intus ageret chorus, quod tamen in theatro exaudiretur: sicuti ranarum chorus apud Aristophanem. Sed enim & in poemate lyrici carminis auctores usos comperimus stropa, antistropha, & epodo: & stropa quidem, ubi à dextris in læuum fieret conuersio, qui & mundi intelligitur motus ab exortiuis partibus ad occiduas: nam & Homerus ἔφατ' ἡλατὶ πρὸ ἀναθλιπῶ. Antistropha uerò quum ab læuis in dextra obuerterentur, cuiusmodi est errantium uertigo, ab occasu in ortum: at epodo, ubi in uno consistentes loco carmina concinerent. Quando & terrenæ naturæ congruit status. Strophalinx, uel strophalis ad stropham pertinent nihil: nam ijs nominibus casei orbem nuncupāt Græci. Scenicos deniq; Alexander Cæsar sic alendos dicebat, quasi seruos nostros. Hieronymus uiduæ cauendos monet calamistratos, & fractos in sceminā histriones. Iam illud leuioris operæ, dici elegantur excuneatos, qui à sedilibus exclusi, facto toto theatro, stare coguntur. Stadium pro theatro quandoq; positum apud Græcos, scimus. Mīmorum strophas legimus apud Hieronymum, sed obliquè dicta eo uerbo intelligunt nonnulli.

Theoricæ pecuniæ quæ sint, & stratioticæ. Error interpretis Plutarchi duplex. Stratis & craste quid. Deliasq; Item qui theori, & quid theoris, De Salaminiæ & Paralo nauibus. Item quid achana, artaba, qui colacreta. Thearion. Theoricum locus. Plutarchi locus explicatur. Inibi quid palintocia. Lucar. Atocia. De māduce. Interim & locus alius restituitur Plutarcho ex Alcibiade de Salaminiæ. Caput 1x



Erum quia in res theatricas, & animorū remissiones incidimus, adijciamus porro quæ non inutilia comperta nobis sunt, præfertim ex Græcorum doctrina locupletissima. Igitur theoricam pecuniā inuenimus appellari, qua foros nobis & sedilia in spectaculis eōparamus, quia thea illorum idiomate dicatur spectaculum. Quod hypotheli in Olynthiacas Demosthenis orationes prima Libanius significat, explicatur & in orationis eiusdem enarratione, unde & illud excerptimus: Moris fuisse Athenis, ut res publica duos elargiretur obolos, alterum pauperiores comparandis sibi alimentis impēdebant, alter theatri architecto erogabatur. Neq; enim lapideo utebantur theatro ea tempestate. Propterea Demadem dicere solitum accepimus, Theoricam id genus pecuniā esse democratiae gluten. & Laconem uirum (sicuti uidetur) rerum haud quaquam imperitum, uehemēter falli Athenienses, qui ludis tantum impenderent studij, & quæ in classis exercituumq; apparatus forent absumēda, in theatricas erogarent uoluptates. Hinc in rebus Græcis theoricorum sæpe archon memoratur. Huc planè respexisse Plutarchus in Pericle animaduertitur, quum ait: Sunt qui putent plures, ab eo primū ad cleruchias & theorica, id est τῶν ἑλλήνων ἰσχυίας καὶ θεωρικῶν, esse Athenienses productos. Id quod assequi interpret minus ualuit: sic enim scribit, Auctorem fuisse Periclem spectatores emittendi. Pecuniā hæc ex ciuitatis parabatur prouentibus. Quæ quod prius ad bellicos usus contribueretur, ut inquit post alios etiam Harpocratio, stratiotica dicebatur. Propterea Plutarchus doctè ac eleganter ait: Socrates cibos potusq; uitandos docet, qui nulla indigentia pelliciunt, lacessuntq;: sed & quæ ex ijs sentitur iucūditas, ordinanda est, ac necessitati subijcienda: Sicuti, inquit, faciunt, qui ex theoricis stratioticas conflant pecunias. Stratiotides autem naues Thucydidi nuncupantur, quarum una est functio, uti pugnaturos

subuectent pedites. Verū quia & equites, inde hippagogi eidem nuncupantur quoq; Plutarchi interpres in Pericle stratiotidas dici prætorias, est opinatus. Stratis uerò ad hunc usum facit nihil: signatur autem eo uerbo semificcum scœnum, iumentis gratissimum. Id & crastem uocant, unde profluxit κρᾶσιζέδαι uerbum. Theoricorum meminit in Philippicis Demosthenes. Cæterum Pericles primus, uti attigimus, uidetur popularem aucupatus gratiam exstratioticis theoricis constituisse ciuitatis prouētus, ne iure spectandi tenuiores priuarentur. Theori uerò, id est θεωροί, interdum quidem spectatores dicuntur: tamen si aliud sentire Ammonius uidetur: sed & qui scitatum oracula mitterentur, quod docuit Pollux, multiq; præterea ex Græcis. At qui Delum proficisciebantur, etiam Deliasæ uocabantur, id est δηλιασαί: quoniam est deorum patria Delos. Ammianus: Cyclades, inquit, ideo sic appellatæ, quod omnes ambiunt Delon, patriam deorum insignem. Sed uniuersim quoq; qui diuinarum rerum curæ præficerentur, hoc intelligebantur nomine, quoniam ὄρημ dicunt τῶν φροντιστῶν: ut apud Hesiodum,

*ὄρη γάρ τ' ὄλην πλεταε νεκῶν τε ἀργύρων τε.*

Propterea qui ad publicos mitterentur conuentus, quos panagyres Græci uocant, quales quinto quoq; anno celebrari solitos libro sexto Herodotus scribit, & qui ad sacra certamina, sic item appellantur. In Plutarchi parallelis θεωρίων ἄγην, id est theoriam ducere, diligens lector comperiet. Nauis autem qua ueherentur, Theoris dicebatur, id est θεωρίς, qualis ab Atheniensibus in Delum mittebatur quotannis ex Thesei uoto, sicuti in Phedone Plato meminit. In quo id dignum scitu, eodem Platone teste, tum urbem lustrari solitam, & de nemine capitale sumi consueuisse supplicium. Apud Plutarchum in Demosthene sacerdotis uaticæ nomen est Theoris: quod interpres uel incuria præterijt, uel inscitia. Scribunt Aristophanis interpretes, Athenis naues duas publico fuisse destinatas muneri, Paralum & Salaminiã, ex quibus Salaminiã euocatos ad iudicium subueheret: Paralus uerò aueheret theorias, id est ad rem diuinam Delphos aut aliò missa. Sunt & Paralí, homines qui nauí ea subuectarent: sicuti historia octaua comprobatur auctor Thucydides. Verum & terra maritima rectè dicitur Paralus. Salaminiã meminit Plutarchus, καὶ τῆλθ', inquit, ἀπίσειε τῶν σαλαμινίαν πῶς ἄντιον, id est, & deniq; ad eum salaminiam misit. Interpres uocabuli inscitia: Quosdam, inquit, populus elegit, qui una trirème Salaminiã primò, inde Siciliam peteret. Trirèmem quandam Hermionida uocat Thucydides ab Hermione in Laconia ciuitate. Dignum scitu quod lectum de Pericle est, rarerent ab eo populum adiri solitum: quod uelut Salaminiã se (ut Critolaus inquit) ad maiora seruaret. Vas autem in quo recondentur eorum cibaria, qui ad theorias mitterentur, achana uocabatur: quamuis non desint, qui eo nomine Persicam intelligant mensuram. Sicuti apud Aegyptios erat artaba, quæ caperet medimnos Atticos μ ε, id est quadragintaquinq; sicuti testis Aristoteles est. Artabam tamen libro primo Herodotus mensuram intelligit Persicam, capaciorem Attico medimno tribus chœnicibus Atticis. Achanas inuenies in Plutarchi Arato. Inuenio item colacretas dici, qui pecuniæ præessent, quæ ad res diuinas erogaretur: nam & Androtion scribit, Delphos petentibus theoris argentum à Colacretis numerari solitum. Custodiebant & hi pecuniã, quæ iudicibus contribueretur, ut adnotatum à grammatico Aristophane est: sed omnino & ciuiliū pecuniarum quæstores erant. Postremo theoricam uiam nominat Pollux: qua theori (ut arbitror) ad oraculum pergerent Apollineum. Thearion comperi in Aegina fuisse publicè destinatum locum, ubi celebrarentur symposia, de Theororum nomine nūcupatum, ad Apollinem qui mitterentur. Quamquã in Pythij templo in Aegina thearion accipiunt alij, ubi uersarentur theori theophylaces, id est diuinorum gerentes curam. Thoricum in Attica locum Acamantidis tribus celebrat primo rerum Græcarum Xenophon, muro ab Atheniensibus circum munitum prodens. Theoros deniq; etiam theopropos in Cimone Plutarchus uidetur appellare. Ex ijs quæ de theoris protulimus, puto, explicatur amplius Plutarchi obscuritas in causis, ultima libri parte, ubi Peloponnesium theoriam in Delphos per agrum Megaricum profectam scribit, interpres Latine reddidit, solennes spectatores: errore, ni fallor, non despicabili. Sicut omiffum est ibi quoq; uerbum, quod Græcè est πλανητικῶν. Sed hoc forte ex librarijs prorepsit mendum, Obiter uerò est palintocia, scœneris

scœneris iam persoluti à creditoribus repetitio. Quod fecisse Megarenfes constat, qui tyranno excusso insolescentes, plebiscito cauerunt, ut à scœneratoribus usuræ, quas persoluisent prius, repeterentur. Quæ res ex facto dicta palintocia est. Atocia in Diolcoride, ubi de cedria mentio est, libro primo, intelliguntur ab Hermolao, quæ abortum concinnant: quod approbat & Ruellius. Id reprehendunt quidam, quod Græcis atocia sint, quæ sterilitatem inducunt. Cæterum ex Plinio comprobari prior tralaris uideatur: sic enim apud eum legitur libro uigesimo quarto, capite quinto. Porrentū est, quod tradunt, abortiuum fieri in Venere, ante perfusa uirilitate. Apud Romanos quæ in spectaculis absumeretur pecunia, lucar dicebatur, quoniam lucorum prouentus, qui plures circa urbem dicati dijs erant, in ludos erogarentur. Scribit Pompeius Festus, manducem dictam olim fuisse in pompa antiquorum effigiem, inter cæteras ridiculas formidolosasq; ferri solitam, magnis malis, ac late delibecem, & dentibus meticulose infremetentem: de qua dixerit Plautus,  
 Quid si ad ludos me pro manduce locem,  
 Quapropter clarè crepito dentibus.  
 Quam & Iuuenalis significasse uidetur illis uersibus,  
 Tandemq; redit ad pulpita notum  
 Exodium, quum personæ pallentis hiatum,  
 In gremio matris formidat rusticus infans.

Engastrimythi qui sint, & pythones, aut engastritæ, & engastromantes, extra quam opinatur Hermoleos sit. Iacobæ Rhodiginæ historia. Emaculatur locus in canonicis Decretis. Caput x

**P**lutarchus in cōmentatione quæ est, Cur oracula defecerint: Fatuum, inquit, ac omnino puerile censendum est, arbitrari deum ipsum, perinde ac engastrimythos, olim eurycleas, nūc uero pythonas nūcupatos, insinuantē se prophetarū corporibus, orē illorū eloqui. Hactenus Plutarchus. Qui uero dicant engastrimythi, nō constat ferè. Hermoleos Barbarus, qui ex Plinio balbutientē pro uirili deterit barbariē, se arbitrari scribit, eos qui in uaticinio peluibus utant, dici à Græcis engastromantes: quæ uox ab engastrimytho non ita disparat, quoniam (inquit) gaster genus est ualis, cuius formam alij aliter accipiant: quod tamen etiamnum nomē uulgò seruet: & gasterium ita dicatur Aristophani. apud cuius interpretem ita lego in comœdia, cui titulus σφῆκες: Eurycles, inquit, engastrimythos celeberrimum nomen Athenis indeptus est, ut qui per assistentem dæmonem uera prorsum uaticinaretur, proinde engastritæ ac euryclitæ diuinaculi omnes ab hoc appellati Eurycle, qui id primum fecit. Cur uero engastrimythi uocentur, aperit liquidò poeta ipse, quum ait:

*Μιμησάμενοι τῶν εὐρυκλεῶν μαντεύειν καὶ δῆνοιναι,  
 εἰς ἀδολφίας γαστέρας φέδους, λαμοδιῶν τὸν ἀχέαιον.*

Imitatus, inquit, Euryclis uaticinium & mentem, in alienos ingressus uentres comica multa effudit. In ijs de uase, ni fallor, intelligi haudquaquam potest. Adde, quod in canonicis Decretis, causa uigesimasexta, quæstione tertia, uentri loqui dicuntur, qui engastrimythi à Græcis appellantur. Sunt qui per errorem & animi somnium altius hunc Euryclen dictum uelint ἐπισημῶν, quum scribendum liqueat engastrimython. Accedit Suda item auctoritas, qui engastrimython exponit engastrimantim, quem nunc (inquit) pythona uocant nonnulli, Sophocles sternomantin, Plato autem Euryclea, ab Eurycle uate. Philochorus in tertio De uaticinijs, etiam mulieres uocat ἐγαστρομῶντες. Id ne quis ut fabulosum, risu excipiendum putet, testatum uolumus, tempestate hac, immo uero hæc prodente me, fuisse in patria mea mulerculam humili loco, Iacobam nomine, ex cuius uentre immundi spiritus uocem, præteruenem quidem, sed tamen ubi uellet dearticulatam & prorsus intelligibilem, audiui ipse, uerum & innumeri alij, non Rhodigij modo, sed & tota ferè Italia. Quando futuri auida potentum mens sæpe accersitam uentri loquam, ac omni exutam amictu, ne quid fraudis occultæ lateret, inspectare ac audire concupiuit. Cincinnatulus dæmoni nomen erat. Hac ille appellatione gestiens inclamanti subinde respondebat. Si de præteritis aut presentibus scitareris, quæ reconditissima forent, responsa dabat sæpe mirifica, Si de futuris, semper mendacissimus

cissimus. Sed & inscitiam suam nonnunquam murmure incerto uel bombo uerius ignorabili retegebat. Hosce ego proprie dictos engastrimythos puto, id est uentri loquos; quanquam eo nomine apud Græcos intelligi simpliciter uidentur, qui dæmonis afflatu aliquid præfagirent. Eustathius denique Pamphilius librum de engastrimytho concinnauit aduersus Origenem. Quod autem de pythoibus ex Plutarcho attulimus, mendum tollit ex canonicis Decretis, causa uigelima sexta, quaestione tertia: simulque uerbi obscuritate, ante nos minus percepti. Nam Helenum & Cassandram pythonicos Eustathius uocat: quia essent *ἑρπυγὶ τῶν δαίμονων*, id est dæmonibus obnoxij. Et Methodius Hieronymi testimonio, aduersus Origenem librum condidit De pythoissa, id est *πυθωνισσῆς*, ut ait Sophronius. Nam tertio *πυθωνισσῆς*, Origenes dæmonem pythonicum quosdam ab tenella ætate possidere scribit.

Purpurata meretrix Babylon, cur dicatur à Hieronymo. De Babyloniorum moribus pluscula. Lucretij locus explicatur. Aureus Babylonis calix, qui sit apud eundem. Cur mors purpurea. Blatta purpurea, & succubitana. Purpurator. Murilegulus. Carmes uermis. Carmesinus color. Porphyrius cete. Onyx quid. Buccinum. De purpurario infectore digna scitu. Polypia. Sepidia. Heluus color.

Caput XI



Irabamur haud ita pridem, quum scitissimas & multifariam doctas beati Hieronymi epistolas euolueremus, quid ita uir sanctissimus, & propterea maxime uerax, Babylonem purpuratam dixisset meretricem. Etiam si eo nomine intelligi uideat Roma, cuius delicias non concoquebat tanti uiri stomachus. Nam & prima epistola Babylonis nomine, Petrus *εὐαγγελικῶς* Romam indicat plane. Quum, inquit, apud Babylonem uersarer, effemque purpuratæ meretricis colonus. Dicit hoc anxieque ex historia quaesitum. Tandem dicti rationem ex Plutarchi scientissimum philosophi, tum historici lectione aucupari sum uisus. A quo sic memorijs proditum obseruauimus: Xerxem Persarum regem quandoque in Babylonis excanduisse uehementius, quod ab eius ductu auspicijsque desciscere forent ausi, eoque nomine comparato ingenti exercitu, quum expugnata urbe insigniter uictoria esset potitus, ut rebelles animos, nec satis in fide constantes reprimeret, ulciscereturque, imperasse traditur: in reliquum, uti arma ne ferrent, sed psallerent, tibijs uterentur, scorta alerent, cauponæ indulgerent, ac sinuosis tunicis inducerentur. Haec tenus Plutarchus. Apud alios item sic ferme legimus, Babylonis mulieribus morem fuisse ex oraculo quodam cum hospitijs turpiter permiseri, turba et cultu plurimo apud aphrodisium comitantibus, thominge lingulis coronatis. Qui uero admittebatur, posito super genibus argento, quantum uideretur, mulierem mox longe à sano abductam inibat, idque argentum ueneri fuisse sacrum. Haec nimirum probarint satis superque, cur purpurata dicatur meretrix Babylon. Adduntur & illa, Nil admodum fuisse moribus eius urbis corruptius, nec ad iritandas immodicas uoluptates instructius, Babylonios in uinum præcipue, quæque ebrietatis uelut appendices sunt, fuisse procliuiter effusos: foeminarum item conuiuia celebrantiu in initio modestum compositumque fuisse habitum: mox tanquam merore incaluisent, summa exuere consueisse amacula, sensimque pudorem profanare. Postremo etiam eo adduci impudentia, ut ima corporum reuelare non erubescerent. Putet forte aliquis, damnati infelicis pudoris prostibulas ista solitas perpetrare: immo uero nobilissima cuiusque matronæ decora hæc habebantur. Quam perditæ essent mores, id porro abunde arguerit, comitatæ arbitrabantur uulgati corporis uilitatem. Tradunt auctores grauissimi, Macedonicum exercitum Asiae domitorem, tanti ducis nomine illustrem, inter tot & tanta flagitia diebus modo quatuor & triginta saginatum euertatumque, ad ea quæ insequerentur discrimina, adeo ignauiores fuisse futurum, si hostem habuisset, ut post tot tam ampla gloria deuictas gentes, tot terrarum spatia sub Macedonicas leges redacta, mature perire potuerit. Porro ne quis frustra ex diuerso hæc in unum congesta, opinetur: ad hæc omnino libro De rerum natura quarto, respexisse Lucretium contenderim, ubi amoris nouimenta colligens ita scribit:

Adde, quod alterius sub nutu degitur ætas:  
Labitur interea res, Babylonis sunt:

Languent

Languent officia, atque agrotat fama uacillans.

Nam quod afferri potest de uestibus plumario & polymitaro opere illustribus, quando auctore Plinio, colores diuersos picturæ intexere, instituit maxime Babylon: & in Catone Seniore Plutarchus scribit, hæreditate oblatum Catoni *ἐπιβλημα τῆς ποικίλων βαβυλωνίου* statim iussu uendi: mihi sanè Platonis legibus, quod dicitur, magis friget, ni forte per trabem meam, ut aiunt, festucam uideo alienam. Satius id, grauiusque multo, si sensum ita concipias: Amori libidinique mancipatos in eam labi sceditatem, ac famæ dispendium, in quod magno dedecore illapsa Babylon est. Illud uero obiter testatum uolumus, loqui nos de Babylone, quæ in Assyria est: quoniam altera quoque in Aegypto Babylon est. Assyriam condidit Babylon sapientissimus, ut memorant, Medifilius, non (ut uoluit Herodotus) Semiramis: quando duobus annorum millibus eam ciuitatis huius inædificatio antecessisse uidetur, diligentibus chronicorum supputatione: Aegyptiæ Babylonis Stephanus meminit, atque Strabo, & Ptolemæus. Sed Strabo eam magis Arabiæ contribuit. Vnde & Arabum lingua Chairum illam uocant, quæ trox non aliud nobis indicat, quam Babylonem. Eam uero condidit ex antiqua Babylone profugi quidam. Apud Babylonem porro festum agi solitum, scribit Xenophon; in quo Babylonij omnes uniuersam noctem biberent, & lasciuibus carminibus saltationibusque indulgerent. Cuius occasione celebritatis à Cyro captam olim urbem, idem testatur. Pelles Babylonicæ sunt apud Iureconsultos inter species ad uectigal pertinentes. De his, quales fuerint, in Pellium mentione, plura ex Hieronymo afferemus. Calix Babylonis aureus uice adagij usurpatur à Hieronymo: Multa, inquit, de perfectione dicuntur, ut qui uolumen philosophi nesciunt, sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Meminit elegantissime item Ambrosius quodam loco: Ille, inquit, apud me primus, qui omnium perditissimus: ille meus est, qui suus non est: ille mihi gratior, qui sibi iniquior. Calix aureus Babylonis in manu mea, inebrians omnem terram: animo meo biberunt omnes gentes. In sanctis quippe literis meretriculæ uersutioris typum habet Babylon, quæ gētibus aureo poculo inscitiam propinet, unde scelerū mox agmen promicet, & errorum inexpugnabilis acies. Apud Hieremiam capite quinque gelimoprino, sic adnotatū comperit: Calix aureus Babylon in manu domini, inebrians omnem terram. Sunt qui sermone ornatum sic dici concipiant, quo uitijs inebrientur omnes: qui sit tamen in Domini pontificio constitutus. Origenes: Babylonis, inquit, calicem aureum accipe dogmatū prauorum uerba pestifera, eloquentiæ cultu decora. Omnino per parabolam ab Propheta dici ea, scribit Nicolaus Theologus. Indicari autem Babylonis regem, is est (ut inquit Origenes) Nabuchodonosor, qui gentibus innumeris propinariat mæroris potum, superbe ac crudeliter, quod Domini fiebat uirtute, sibi arrogantius ascribens. Verum quia à purpura exorsi sumus, desinamus in eandem, auctarij adijciantes quippiam, quod de Græco suggeratur penur: & illud primum; Ab recentioribus purpuræ genus certum, dici blattam Byzantiam: unde blatteas uestes in Vopisco, purpureas intelligit Hermolauus: cuius sententiam ad uerbum, ut solet, in suas Annotationes transferens Iureconsultus quidam, aliena lasciuens plumula, dum pennas nido maiores propandit, in errorem lapsus manifestarium, Aeginetæ Pauli auctoritate purpuram dici blattam interpretatur. Quod nec uere dictum, nec probe est. Eo autem libentius in hæc præter morem excurrimus, quod non citra stomachum tursum, nostras hæc lectiones ab eo impudentius expilatas, me prorsum haud nominato, cui insigniter insidiabatur. Fuit hoc molestius, quoniam amicum hæc tenus prætulit: magis autem multo, quia Iureconsultus. Quod doctorum genus nimio quandoque plus tumens sacerdotum decuria se ascribit: nam iustitiam, inquiunt, colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes: ueram, ni fallimur, philosophiam, non simulatam affectantes. Cæterum uti sincerioris Iureconsulti fuerit functio hæc, ita ab palliatibus quibusdam, & una tantum elatione insignibus est prorsum disparata. Sed bene est, furta male feriatorum renudabit aditio hæc secunda. Proinde ad institutum ipsi postliminio redeamus. Succubitanam dicunt purpuram quandoque, ab Aphricæ oppido, quod Succubi uocant. Mortem Home-  
nariam

nariam interpretentur, uel nigram quoq; sicuti *κίμα πορφύρεον*. Quod Arati Phano-  
menon interpres comprobat, ubi canit poeta:

*οὐτ' εἰς ἄλι πορφύρεον οὐρα.* Nam quum uentus mare ceruleum crispicans ni-  
tescere facit, purpurare undas, dixit poeta Furius. Sed quæ una modo inferatur plaga  
purpurea dicitur recte, uelut etiam Aelianus scribit, icu tantū uno à porphyreis, id est  
purpurarijs uiuentē conteri purpuram, ut inde præstantius profluat *βωμυα*. Dignum  
scitu quod de purpurario traditum infectore legimus: qui uisus fraude agere in tingen-  
di ratione, quum eo nomine, ut tum res erat, ad ultimum duceretur supplicium, iocis  
etiamnum superesse locum arbitratus, ad Homericū illud potissimū adiecit animum:

*τὸν δ' ἐλαβε πορφύρεον δέναντα, καὶ μάλιστα λεπτὰν.* id est,  
cepit uero hunc purpurea mors, & Parca fortis. Id tamen sic à Theocrito pronūciatum  
sapiente uiro, Athenæus scribit, quum legeretur epistola, qua à Chijs purpurā petebat  
Alexander. Purpurarios intelligunt, purpurarū piscatores. Hos & purpuratores uocāt  
nonnulli. Qua forma dicuntur spongatores quoq;. Murilegulos Iureconsulti muricis  
& purpurarum perquisitores nuncupant. Meminit Codicis libro undecimo Iustinia-  
nus, titulo de monetarijs & murilegulis. Monetarios Sudas monetæ artifices interpre-  
tatur. Sunt qui ad textrinum opus referre uocabulum malint. De monetariorum bello  
grauissimo Sextus Aurelius, & in Aureliano Flauius Vopiscus. Indicam purpurā ex  
sandice parari, prodit historia: tantæ uero creditur excellentiæ, ut illi appositæ aliæ quæ-  
uis, specie cineris decolorari animaduertatur. Purpuræ item genus est, serico præcipuè  
accommodum, nouis excogitatum moribus, casu (ueluti asolet) suffragante, retrimen-  
titijs gallinaceorū fordibus fortè sic infectis. Est autem ex uermiculo, quem Pœnorum  
lingua Carmē dicit: unde officinis frequens carmesini nomenclatura. Habetur autem  
certis locis carmesis, uti proditum eruditus est, ex herbæ radice, quam saxifragam uo-  
cant, quæq; pimpinella sit, uel ei proxima. Sunt qui opinentur chromasinū quoq; nun-  
cupari posse, quia sit radix Syria, quæ uocetur chroma: cuius est apud Theophrastum  
mentio. Porphyriū purpurula dici Latine ualet. Nam grandiores quædam mnxæ uo-  
cantur, ueluti dicas mnxæ pretium exæquant. Eadem ratione polypia dicuntur poly-  
pi parui. Sic & sepidia, paruæ sepix. Auctor deniq; Procopius est, apud Byzantiū Go-  
tici belli temporibus cete comparuisse magnitudinis miræ: Porphyrium, inquit, illi uo-  
cant. Id uero annis quinquaginta locis infestius circumiectis omnibus fuerat, nec ab Iu-  
stiniano etiam si percupido, ulla qui uerat ratione expugnari. Demum delphines infe-  
ctum auidè, ac ita limo impactum explicari haud amplius eualuit: sed accolis hinc in-  
de accurrentibus funium ac machinarū uī pertractum in siccū, cubitorū triginta men-  
sum per longitudinē excessit, per latum uero decem. Purpuræ operculum calchen alij,  
unde dicitur Calchas, Galenus onyca uocat: tamen si dicit onyx, unguis odoratus, quē  
ostracion itē appellant, uel ostracon quoq;. Cionia, inquit Dioscorides, quasi columel-  
læ uocantur purpurarum buccinorumq; partes mediæ. Purpuræ filium esse buccinum,  
prodit Athenæus. Color inter purpureum nigrumq; interlitus, heluus uocatur: unde  
heluolæ dicuntur uuæ, ait Columella libro quarto, quas etiam dixere uarias nonnulli,  
quoniam euariet sæpius color.

De aurea apud Babylonem arcula. Item de miræ naturæ loco apud Seleu-  
ciam. De auibus, quas uocant deorum linguas. Item de Babylonij aliqua.  
Babyloniæ flammæ quæ sint. Caput XII

**N**am quoniam in Babylonem incidimus, quo locupletiores dimittamus studio  
forum aures, si quis tamen harum auscultationum sititor (ut sic dixerim) est  
futurus: adijciamus item quæ uetus nobis lectio suggerit, & à proposito dis-  
sentanea non sunt. Siquidem apud Babyloniā in Apollinis templo auream  
miræ uetustatis arculam quandoq; compertam legimus, ex qua conscissa uis pestilen-  
tis ac perniciosissimi aeris sese profuderit, ut diffusus non eos modo qui aderant, uene-  
nosa ac letali infectos tabe cōficeret, sed pestifera incredibiliq; potestate grassatus lon-  
ge lateq; etiam Parthos afflaret. Id prorsum censerem dictū incredibile, ni Ammiani  
Marcellini lectio compar nobis miraculum suggereret. Prodit enim hic M. Antonij  
& Veri temporibus, apud Seleuciam post direptum templum, & perlatum Apollinis  
simula-

simulacrum Romam, fuisse à militibus inuentum angustum foramē, quod prius Chal-  
dæorum uates occlusissent. Eoq; militari auiditate reterato, letiferum atrocemq; adeo  
uaporem exsiluisse, ut funestum malum ac teterrimum à Persarum finibus in Gallias  
uicq; furens sit debaccharum. Sed quoniam miranda percurrimus, nec illud ignoratum  
uelim. Ad regiam basilicam apud Babylonem, magos recto aureas alligasse alites qua-  
tuor, quas illi deorum linguas uocabant: & habuisse quidem uim, ut animos multitudi-  
nis in regis beneuolentiā, conciliatu inenarrabili aduocarent. Quod etiam si captum  
hominis supergredi uideretur, non tamen ut absurdum, fortè quibusdam uideatur rei-  
ciendum. Nam in primis grauis auctor Iosephus, quendam se Eleazarum uidisse testa-  
tur, qui inspectante Vespasiano & filijs, annulo ad nares maniaci adactio, eum euesti-  
gio liberari: profiteturq;, Solomonem instituisse carmina, quibus ægritudines mitigen-  
tur. Quod uero ad Babylonios attinet, unde exordia duximus, illud haud quaquam re-  
latu indignum, quod de Græco penu est: Babylonios uenatibus assuetos, ubi in solitu-  
dine deprehenderentur, nec cibaria percoquendi esset occasio, cruda oua fundæ impo-  
sita, uertigine assidua tandiu rotare cōsueuisse, donec coquerentur. Babyloniæ porro  
ciuitatis uastitatem illo argumento maximè comprobatur Politicorum tertio Aristote-  
les: quod capta quandoq; ab hostibus urbe, tertio demum die uix id persenserit pars ul-  
tima. Babylonijs postremo laudi datum scio, quod in ædibus cōtignationum quatuor  
habitarent. Sicuti orator Aristides, Romanos ex assentatione dixit, Maximas domos  
maximis impouisse domibus. Dionysius tamen in Panegyricorum ratione, recta *πυ-  
ρροφα καὶ ἐφόροφα* apud Babylonem ab Herodoto memorari scribit, quod signat, con-  
tignationum quinque aut sex. Scire tamen oportet, libro primo Herodotum scribere;  
trium aut quatuor cōtignationum. Apud Hieronymum proverbij faciem habet, quod  
ait, Poteram quidem liberè proclamare, & inter gladios quoq; ignesq; Babylonijs di-  
cere, cur aliud responderetur, quam quaritur? Et rursus aduersus Pelagianos, Qui mi-  
nas, iniurias, paupertatem ferre non possumus, quomodo flammam Babylonis uince-  
mus? Intelligi uero per figuram, opinor, urbis Romanæ deuastationem: de qua ad Mar-  
cellinum Hieronymus: Animus, inquit, Romanæ urbis uastatione sic est confusus, ut  
(quod dicitur) propriū ignorare uocabulum, diuq; tacui, sciens tēpus esse lachrymarū.

Demosthenis excellentia, & mors. De crico multa. Rhoptrum coruus. De-  
cussare. Quæ sit annularis ratio. Quid hestor. Cricore sphæra: item circite,  
porcos, & porce. Dextrocheria, siue dextrariola. Psellia, psolois, psile, psal-  
litum. Puellæ Ephesiæ historia. Sinonis historia, & Laocoontis. Pericarpia,  
echini, ophis, bubalia, chlidones. Fulminum genera. Psolus, acropsolus.

Caput

XIII

**D**emosthenem illum omnium qui fuerunt, quiq; mox sunt futuri, in eloquen-  
tia maximum, ita eruditorum pleriq; laudare sibi permiserunt, ut dicerent,  
aliorum quidem monumenta semel in uita perlegisse, abunde pulchrum ac  
fortunatum uideri oportere. Illum uero tanquam unicum ac singulare natu-  
ræ opus, non semel quidem legendum, sed eatenus inhærendum, ut quantum humani  
ingenij ratio patitur, illius colorem, saltem polypodis modo, aut chamæleontis expri-  
mamus effingamusq;. Sed enim hic tantus, tamq; incomparabilis oratorum antesigna-  
nus, & planè coryphæus: non in libellis, sed in maximis causis, & id in literarum domi-  
cilio percognitus, pessimo tamen interijt exitio. Scribit quippe Eratosthenes: Virum  
hunc in crico pertuso, quod esse brachij gestamen, quidam interpretantur, præsidio ul-  
timorum casuum, consuesse uenenum gestare inclusum, quod etiam hauserit intrepidi-  
dè, ne quid indignū tanta uirtute à Macedonibus pateretur. Hinc natum, ut quod spe-  
ciem quidem habet extrinsecus, & oculos aspectu iucundo allecat: intus uero perni-  
ciam seruat euidentissimā, cricum dicamus Demosthenis. Nam & Cleopatram in cne-  
stide concava, crinibus implexa occultataq; uenenum habuisse, produnt nonnulli. Cne-  
stidem sunt qui laminulam interpretentur. Quid uero sit cricus, non alienum fuerit, ex-  
plicare pluribus. Lysias quidem aduersus Andocidem impietatis reum, rhoptron in ia-  
nua id appellasse uideretur, quod nos cricum dicimus, ijs ferè uerbis, *ἐδινον τοῦ ἰστροῦ ἐν  
τῷ ῥοπτροῦ τοῦ ἱεροῦ*, id est ad sacrum rhoptrum equum destinauit. Meminit in Amphia-  
rao

rao Aristophanes, & rerum Græcarum octauo libro Xenophon. Coronem Homerus appellauit, quamuis sit & corone arcus extremū, atq; item summa uirilis membri pars. Iulius item Pollux scribit, quam coronem Homerus appellauit, dici quoq; *κόρακα*, id est coruum: nam & corone, cornicem signat. Cricum Theodorus anulum interpreta- tur, secundo Aristotelis De animalium historijs, ubi sic Græcè scriptum est, *οἶον κρι- λῖος χαλκῶς λεπτῶς*, id est (inquit interpres) ut annulus æneus tenuis. Theophrastus quoq; libro De stirpibus quarto, cricum pro annulo usurpat, Plinio interprete, etiam si in Græcis codicibus modo impressis inueni, crocum scribi, non cricum. Et Sudas, Ancilia, inquit, sunt *κρίνοι τῶν ἀλυσῶν*, id est annuli catenarum. Nostri recentiores an- nularem rationem appellauere, quam Ptolemæus cricoton aptissimè nuncupat: quæ fortè non alia sit, quam quæ Latine decussatio dicitur: cuius rei commemorat Hermo- leos quoq;. Vnde Plinius: Ducantur deinde alia duæ lineæ in decusses obliquæ. De- cussandi uocabulo utitur Vitruuius, apud quem est item decussatum perducere, quod est per integram longitudinē diuidendo, ac dissecando trahere, ab numeri denarij per- fectione uocis proprietate deflexa, unde & decumanus limes, & decumanus fluctus. Hinc literam *ξ* decussatam, præfectamq; obelo, legimus talentum significare, quod no- ta ea numerum sexagenarium indicet. Et Africanus talentum omne pondo sexagin- ta tradit. Vbi uero Argonauticon tertio scribit Apollonius, *βοῦ στωδρασε κροῶν*, lo- cum eum explicans interpres: Corone, inquit, id est iugi crico. Homerus item *Ἰλιάδος* uigesimo quarto, *ἄνδρ' ἐκρίων ἔσορι βάλμων*, id est cricum autem hestoti iniecerunt. Quid uero sit hestor, docet Pollux: Zygodema, inquit, dicuntur, quibus iugum tem- ni coniungitur. Clauus autem cui inuoluuntur zygodema, uocatur hestor. Apud eun- dem cricos ferreos dici libro quinto, in retibus animaduerto. Inde *κρικῶν δὲ* uerbum inflectitur, quod Latine infibulari dicitur: nam quorundam Aethiopum historia secunda, *ἰσίων κρικῶν* legimus, id est uelorum ansulas. Cæterum, ne quid scienter omittam, quo miscella hæc nostra elucubratiō instructior fiat: in monumentis Gellij auctoris & do- ctissimi & excultissimæ eloquentiæ, cricotem legimus appellari sphaeram, quam erudi- tiores intelligi uolunt pertusam. Quamq; Leontius mechanicus sphaeram *κρικῶν* di- xit, hoc est circulorum. Apud quem item inuenies, hemicricium meridiale, pro semi- circulo, & infra cricum nuncupat meridiale. Vt nulla prorsum reliqua fiat ambigui- tas, quin cricum nūc annulum, nunc circulum recte interpretemur, quales sunt, quibus compingitur sphaera: quæ aenea à Martiano uocatur circite. Sed & quibus contextitur thorax; nam *κρικῶν δὲ δώρακα* legimus, id est cricotum thoracem, quem *ἀλυσίδοτον* in- terpretantur, id est hamis uelut catenatum. Est suus quoq; in hasta cricus, quem incitio res cuspion dicitant, quo adnectitur firmitus cuspis ligno. Porcen nūcupat Homerus. ut quidem scribit Horus, *ἀπὸ τοῦ ποδὶ χειρ*, id est ab continendo. Orion plausibilis putat, si à *πέρω* inflectatur. Nam porcos etiam apud Platonem in Sophiste, septum est quo conclusi pisces haud facile euadant. Sunt qui cyrton interpretentur, sed perperam, ut ex Platone liquet. Dicitur porcos, quia amplexetur, occludatq; ingredientē piscem, id est *ἀπὸ τοῦ ποδικίδου*. Lycophroni in Alexandra est, in Istro animal *πέρωσκιδίς*, id est cruribus quatuor, pelle prætenui, quæ sufflata utris præstat imaginem, amphibium est: agit enim in aquis, uerum & in terra depascitur. Lycophron: *ὅποια πόρκος ἰσρίων πέρωσκιδίς*. Cæterum id prætereundum haud quaquam; postea quàm ab Troia di- gredi assimularunt Græci, & Sinon Aesimi Anticliæ fratris filius, & inde Vlyssis exa- delphus, se ipsum conuerberans equo assedit ligneo, à Troianisq; in urbem admissus, suis eam prodidit, face sublata, ut prodidit Lefches, dracones duo, Porcis & Charibœa, ab Calydnis insulis, in quas cōiecerant se Græci, enatantes, Laocoontis filios pereme- re ob coniectum in equum ligneum hastile. De porce, sic item inuenio, esse cricoma li- gno, cuspidiq; continendæ aptissimum. Sunt & crici nomine brachiorum ornamenta, qualia ferè dextrocheria sunt in Iulij Capitolini historia scribentis, Maximinum polli- ce ita uasto fuisse, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo. In libro Iudith, quædam scribitur induxisse sibi sandalia, assumpsisse dextrariola, & in aures: quæ non alia sunt, quàm dextrocheria. Quæ uero circa manuum iuncturam ferunt præsertim mulieres, quam

quam uocant Græci *καρπῶν*, unde & in carpum mittere manum medici dicuntur, si- cuti aliàs docuimus, ubi arteriæ motus ac pulsus prætentant; ea inquam ornāmēta pe- ricarpia nominantur, & echini, ophis, psellia, chlidones (quibus utebantur Samij, ut scri- bit Athenæus) bubalia. Et quoniam pselliorum incidit mentio, non ineptè forsitan fe- cero, si & historiam adiecero breuissimam: Galatarum rex Brennus, quum depopula- retur Asiā, Ephesum cum exercitu uenit, ac in Ephesiæ puellæ amatorios incidit la- queos. Ea uerò congressuram se pollicita est, insuper & Ephesum prodituram, si psellia sibi & mundus contribueretur muliebris. Adnuit Barbarus, ac militibus imperauit, in eam conijcerent quod haberent, aurum, quo auarior puella adobruta perijt: sicuti pro- didit Rerum Galaticarum primo Clitophon. Pselliorum meminist Athenæus, ex mar- garitis solita confici prodens quandoq;. Psallion autem, non aliud quàm frenum est. Hinc Ephoros legimus Spartiatarum oligarchiæ iniectos, uelut psallion. Psellia uerò manuum fuisse ornamenta, significat *ἀναβολσεως* primo Xenophon, Persas prodens habuisse *σερεπῶντος ποδὶ ἑστ' τραχήλῳ καὶ ψέλλια ὑπὸ τῶν χειρῶν*. In summis tamen ea bra- chijs solita gestari, nominis argumēto comprobari ualet, quando psellium Dores sum- mum dicunt: unde & quæ summis enunciatu labijs accentuuncula, psile nuncupata. Pfolon autem fumum dicunt, sed & flammam, *καὶ τὴν πυρία*: unde psolois, id est *ψο- λῖος*, tria item indicat, nigricans, cinericium, splendidum. Nam Euphorion *ἀπηνη* di- xit *ψολέοσαν*: & alibi, *ἀχλύν τε ψολέοσαν*, & Aeschylus, *καὶ ψεφε πικαῖω, καὶ πικαῖω ψόλω*. Dicunt & genus fulminis psoloenta celeriter ruentis, & omnia comminuētis, ut inter- pretatur Sudas. Meminit Meteororum tertio Aristoteles quoq;. Et grammaticus qui- dam: Fulminum, inquit, alia nuncupantur catæbata, alia psolentes, alia argetes, id est *ἀργυρῆς*. Sic enim Homero item dicuntur. Si uerò syllaba prior *α* mega recipiat, ut sit *ψαλός*, tunc indicatur ea uoce *λεπτόδερο*, id est sine præputio. Nam qui parum id patitur, acropolos nominatur. Porro quod ad cricos attinet, illud adiecisse non fue- rit (opinor) parergon, ne quis scolorum interim probationem requirat grauiorem, re- censei inter ornāmēta cricos, auctor Politicorum septimo Aristoteles est, ubi edocet, in quibusdam locis legum finem esse propositum eum, ut ciuitatibus dominantur fini- timis, indeq; multa sanciri, quibus ad bellicam uirtutem excitentur homines, *καθ' ἅπαντ' ἢ καρχηδονί φασί, ὅτι ἐν τῶν κρικῶν ἰσόμεν λαμβάνειν, ὅσας ἀν στρατεύσονται στρατίας*. hoc est, ut apud Carthaginenses ferunt, cricorum ornatum accipere pro expeditionum numero, in quibus stipendia fecerint. Dignum scitu & illud, cricos compedum elegan- ter dici à Græcis, & priuatim à Plutarcho in caulis, ex quo & Valerius Martialis annu- los nuncupauit.

Demosthenis sententia de molestijs quas subire necesse est, si rempublicā capeffas. Item de Demosthene pauca. Cap. XIII

**D**emosthenem item, ut & hoc subsignemus, ac nonnulla scitu non indigna, Athenis profugum, memoriæ proditū est, Fortunæ turbinibus infractum, adeuntes iuniores à reipublicæ cura impensissimè conatum auertere, quum diceret, Si duæ uia initio proponerentur, quarum altera ad suggestum fer- ret ac concionem, ad euident exitum altera, præuideat autem aliquis, quæ in ciuiliū administratione occurrerent mala, quàm atrox inuidia, quæ subeunda certamina, quibus criminibus uita obnoxia, præstare nimirum, id inire iter, cuius exitus mors est. Quod illum non esse frustra uaticinatum, docuit infelicissimus finis. Siquidem ob ea quæ ora- tor in re publica gesserat, misso ab Antipatro Archia quodam, qui fugientem retrahe- ret, ac in Neptuni templum, quod est in Calauria insula, is se coniecisset, cœpit huma- nē Archias multa differere, monēs, posse illum sibi omnia de Antipatro polliceri. Nec histrio, inquit Demosthenes, unquam persuasisti o Archia, nec nuntius nunc persua- debis. Ad hæc illo iam cōmotiore, ac uultu minabundo & irato Demosthenē territan- te, *Νῦν ἔφη λέγεις, τί ἐν τοῦ μακεδονίου τρίποδος*, hoc est, nunc Macedonici tripodis tesponsa patefacis. moxq; ita interijt, ut paulo antè monstrauius.

Tripods Delphicus fuerit ne uas, an quid aliud. Holmos quid, & ogmos. En holmides, Hermata, Tripodis notiones plures, Magides mentæ. Senecæ C historia

historia. Epidorpiæ. Microtrapezi. Tetrapus quid. Tetraori. Instans tempus an dicatur futurum. Impossibile, an dicatur nō Latine. Cillibates quid sint. Dorides item quid: item dory, & unde. Xerolophos, thema, thematum, ecdoria. Doryphoros dici prætorianos. Cap. xv



QVonia uero tripodis facta mentio est, operæpretium me facturū opinor, si quæ ex mutis (quod dicitur) magistris didicimus, in medium attulerimus, ut labores nostri proficiant omnibus: eo quidem amplius, quod nō ferè inter grammaticos constat, quid tripodis nomine intelligendum sit, ubi de oraculo agitur Delphico. Quum ex recentioribus quidam in literis clarus, tripodem scribat, siue cortinam fuisse uas pulueribus plenum, ex quo perflans spiritus Phœbadibus uaticinij præberet potestatem. Ego uero pluribus auctoribus contenderim, ac euidentius probarim, tripodem illum Delphicum haud quaquam fuisse uas: quando Aristophanis interpret pythiam tripodis insidentem uaticinari solitam scribit in Pluto: partemq; eam in qua sederet, uocari holmon: unde à Sophocle Apollo dicitur enholmos, quin & uates dici enholmides quodam genere uidentur, ratione eadem. Quāquam est & holmos coquinæ usibus accommodum uas: & holmeus orbicularis lapis, ad quem legumina cædantur, & alia quædam. Ogmos uero nunc metentium indicat ordinem, nunc interiectum arboribus ociosum spatium, quod est ab Theone obseruatum. Ex quo scienter solis circulum Aratus ogmon nuncupauit, quoniam sit in signiferi medullio constitutus: *ἡλιος μέγαρον ὄγμου ἐλάδιον.*

Vbi uero in Equitibus Aristophanes, *ἐπιτιμῶν ἀπὸ τριπόδων*, interpret rursus inquit, in tripodibus sedebat promantis. Et Strabo: Auctores, inquit, certi memorant, diuinū ipsum domicilium profundam & curuam esse speluncam, non admodum lato patentem ore, unde auram quidem referri, sacro aiunt efflante numine. Excelsum autem hostio imminere tripodem, quem quum pythia uates inscenderit, hausto diuinationis spiritu, dei responsa referre & metro & oratione soluta. Amplius in libro De mysterijs labylichus; Sibylla, inquit, in Delphis duobus modis suscipiebat Deum, uel per spiritum quendam tenuem igneumq; qui erumpebat alicubi ex ore antri cuiusdam, uel sedens in adyto super sedem æneam, habentem tres aut quatuor pedes, & deo dicatam, & utro bique diuino se spiritui exponebat, unde diuini ignis radio illustrabatur. Laetantius grammaticus super eo Papinij uersu, qui est Thebaidos primo: Salue prisca fides tripodum.

Tripodis, inquit, species est lauri tribus radicibus, Apollini cōsecrata, propter triplicem uim diuinationis. Est & mensa Apollinis tripodis corio serpētis pythonis tecta. Sed quid pluribus agimus in re confessi? Aduocetur tamen & Diodorus, post quem pudeat in manifestis ambigere. Etenim Bibliothecæ sexto & decimo uolumine sic propemodum scriptum legimus: Vatem, inquit, unam constituere, mox & substruxere machinam, qua conscensa uaticinari tutò posset; habebat illa bases tres, unde & tripodis nomen inditum. Tripodem porro dici mensam, libro secundo cōprobat Athenæus. Nec tamen abnuerim, uerbi huius notiones esse plures: quippe Iulius Pollux De uocabulis rerum quinto libro, inter aurium ornamenta tripodam recenset: putatq; à figura esse impostam appellationem, sicut & Homerus *τριγύλινα ἔριματα* nominauit, ut trium pupillarum imaginem præferentia. Sunt autem hermata, Latine inaures. *γλήνη* uero pupilla, aut etiam oculus ipse. Libro autem sexto idem Pollux: Erant, inquit, mensæ quædam primæ, secundæ, tertiæ, & tripodes, quibus superiacebant. Nominis item meminit Hesiodus. Auctor in Nerone Dion, Senecæ datum crimini, quod Agrippinæ congrederetur, & quod aliud scriberet omnino, aliud sequeretur: nam tyrannos lacerans tyrannodidascalum se præstabat. Quin ditium locupletatum calumnijs, ingentes congestisse opes, ac cedrinæ materiæ tripodas habuisse quingentos *ἐλεφαντόποδας*, id est eburneis pedibus, æquales uniuersos, similesq;: super quibus, inquit, uescebatur. Adolescentulis porro lætabatur intempestiuis: ad idq; ipsum Neronem impellebat, quem & in matris necem creditur adhortatus. Choragicos dici tripodas item obseruauimus apud Plutarchum in Nicia, quod is *χορηγίας* omnes facile superasset. Quas uero imponimus, ut collibuit, & tollimus trapezas, id est mensas, nunc magidas uocat, quo nomine

mine utitur Sophocles quoq;. Magidis præter Plinium meminit Paulus Iurēcōsultus: sed ita, ut eo nomine tabulerium accipiat interpret, aut schacherium. In Græcis auctoribus, præsertim medicis, magidas inuenio pro offis positas. Trapezas item pro appofitis cibarijs inuenies. Epidorpiæ uero trapezæ uidentur fuisse omnium postremæ, quibus inferrentur bellaria. Sunt & qui uocentur microtrapezi, quibus parua paratur mensa. Sunt in eodem auctore libro decimo, scelithria, quæ (inquit) sunt parui tripodes. Nam sella quædam Theislica dicebatur tetrapus, opinor, de pedum numero. Tetraoros Sophocles, *τετραοροσ* accipit. Et alibi: obsonijs subiecta mensa recte dicitur tripus: ut apud Aristophanem, & Xenophontem *ἢ τῆ ἀναβολῆς*, apud quem sunt & tripodia. Quod uero tripodis superimponitur, etiā cyclos dicitur, & holmos: quoniam, inquit, & Delphici tripodis epithema, cui propheta insidet, uocatur holmos. Tripodis autem empyri, quo apud ignem uterentur, mediā Homerus uocauit gastera. Apud quem etiam pro uase tripum dici, liquet ex eo uersu,

*καὶ τρίποδ' ὠτῶν τε δὴ ὡ καὶ ἐκροσὶ μέτρων.*

hoc est, Et anatum tripodam duarum & uiginti mensurarum. Hunc autem tripum inter funebres certaminis præmia Achilles proposuit. Alioqui non ijs modo, qui fortiter quippiam fecissent, sed & poetis in uictoria tripodam contubui, honestissimum censebatur, quando Hesiodum Homero deus eum retulisse, proditum memoriæ scimus. Factum uero id in Amphidamantis laudatione. Ad quem bello peremptū celeberrimus quisq; ex poetis certatim celebrandum Chalcidem confluerat. Fuit autē is bello præclarus, ut qui Eretrienfes multum diuq; infestasset. Quod in Septem sapientum conuiuium Plutarchus scribit. Dabatur & ijs tripus, qui dithyrambicum carmen cecinissent ad imitationē Apollinei tripodis, ut quidam sunt interpretati. Memoratu dignum, quod Hesiodicæ aspidis interpret scribit, Tripoda item dici cratera magnum, trium ferè pedum, qui nunc (inquit) Barbarè uocatur *χρῆς*. Sunt qui epistaten interpretentur tripodam æneum, qui chytropodis uicem impleat, id est ollæ pedibus sultæ. Quamquam eo nomine quidam Vulcani imagunculam figlini operis intelligere malunt, quæ focis affisteret: uel etiam lignum oblongum coracas habens, unde coquinaria propenderent instrumenta: meminit in Auis Aristophanes, & explicant interpretes. Omnino ita distingui tripodas animaduerto, ut dicantur alij *ἐμπυριβήτοι*, aut *ἀθωνες*, ab ignis usu, & ad hoc ipsum cōparati: alij autem anathematici, ornatus gratia domibus dicati, uel tunc, prorsum ignibus immaculati intactiq;: proinde ab Homero etiam apyri nuncupati, etiam si hos intelligunt nonnulli, qui necdum ignibus sint admoti, æthonas uero iam flammis succensos. Apud Athenæum sunt apyri tripodas uino dicati, uelut crateres. At in quibus calefiebat aqua, loetrochoi: ex quibus aliqui dicebantur *ὠτῶνες*, id est anati. Tripoda musicum organum à Delphici tripodis similitudine nuncupatum, multi scribunt, ac triplicis citharæ usum præbuisse. Relatu dignum est, quod in musica Martianus scribit: Tripoda trini cursus præfagia polliceri, hoc est extantis, instantis, rapti. Qua in parte commonendus est lector accuratus: instans, dici de futuro, non de præsentis, sicuti philosophorum modo scholis extritum est. Nec me fallit tamen, grammaticum Diomedem libro primo, instans tempus pro præsentis frequenter usurpare. Quin & Fabius quoq; libro quinto, tempus in præteritum distribuit, instans, & futurum. Sed & primo Diuinationum Cicerō, instare, de præsentibus dixit: quin & secundo De oratore, liquidò instans, pro præsentis est positum. Nec non apud Gellium libro decimo septimo. Ita ni Lynceo fueris oculatior, uel memorosior Mithridate, in tendiculum præceps eas, necessarium est. Sicuti quum impossibile, non Latinum uerbū male feriat uideretur: quo tamen utitur Boethius, non reformidat cum Iurēcōsultis Quintilianus libro quinto. Mos autem ueteribus frequens fuit, exculpendi in tripodibus epigrammata. Id quod nec tacuit Gellius, quum ait, Hesiodum atq; Homerum aliquo tempore eodem uixisse, epigrammatis argumento probari, quod in tripode scriptum fuerat, quem in monte Helicone posuisset Hesiodus. Hæc uero repetit Gellius ex Varonis libro De imaginibus primo. Et Priscianus scribit, legisse se epigrammata in tripode uetustissimo, qui in Xerolopho fuisset Byzantijs, Scribit Suidas xerolophon dici à quibusdam thema, & tripodam thematiū, Sciendum præterea quod à tripode non ita

diffitum est, cillibantas fuisse apud priores trium crurum ligna quaedam, quibus in praetio fatigati scuta imponebant. Id quod clarissime monstravit Aristophanes,

*Τοὺς λιλιβωντας οἰστὸν τῆς ἀσπίδος.*

quod est, Scuti cillibantas feras, o puer. Inde forte natū illud Varronis tradentis, mensam uinariam rotundam quandoque appellatam Cillibantum, ut etiam in castris: quam aliquid sentit ipse, & nos alibi commemorimus. Porro ut ad tripodem redeamus, scribit Apollonius Argonauticon quarto, Iasonem quum in Illyricum appulisset, ut ab Hylaeis nauigandi rationem edoceretur, dono illis dedisse tripodam, cuius hoc fuerit factum, ubicunque foret is, ciuitatem nunquam hostibus cessuram in praedam. Dicitur quaedam tripodam autem esse: uti apud Callimachum,

*ὅτε ποίσι ἐπέφραδε αὐτῶν.*

Eo uero censetur uates nomine, quum ex se quippiam, scitante nemine, uaticinatur. Et quia hoc capite de mensis fuit mentio nobis plurima, addamus praeterea illud auctarium, quod scribit Aelius Dionysius: Mensas quaedam coquinarias dici doridas, & τῶν δειρῶν, quod signat polire: unde etiam inflectitur δειρῶν, quo nunc hasta significatur, nunc simpliciter omne lignum, etiam in arboribus; ut

*οὐ γὰρ πῶ ποίον ἀνύλυθεν ἐκ δειρῶν γαίης.*

Doryphoros pro praetorianis sequens usurpauit aetas, & apud Dionem est obseruati. Ecdoria uocant Graeci medicamenta, cuti soluendae accommodata, urendi potestate ac ui, & τῶν ἐκδιδραίων, quo indicatur excoriatio, aut etiam deglubitio. Doratissimum hodie dicunt, ubi hastis res geritur in pugna. Eparchon τῶν δειρῶν φέρων Graeci uocant, quem nos praetorianorum dicimus praefectum.

Delphici oraculi quae tradantur initia. Eiusdem deficientis rationes. De Tiresiae item oraculo. Parnasus mons unde dicatur. Coretas pastor. Mantea, anaetora, anacea. Cap. xvi



Ossea quam satis superque de tripode differuimus, aptissimum (opinor) fuerit, inseruisse huic potissimum loco: quae auctor Diodorus Bibliothecae sexto & decimo uolumine de oraculi Delphici primordijs prodenda censuerit, quando id toto orbe terrarum festo concursu celeberrimum intelligi priores uoluerunt. Igitur fuit, inquit, secretio quaedam ijs in locis, ubi postea constructum adytum est. Illuc forte compascetes arresperunt capres, quod uastatum ibi solitudines forent, nec omnino incoleretur Delphi. Quae uero ex ijs in hiatum despectare coepisset, euestigio mirabiliter exultans lasciuire, ac uocem prorsus dissonam emittere. Id quum amplius admiraretur pastor, ut sunt hominum ingenia plerumque latentia scrutandi auida, accessisse traditur: moxque eodem affectus modo, quo caprae prius, sed insuper futura quoque praecineret coepisset. Re uero latius uulgata, accurrisse multo plures, qui omnes comiliter afflati coniectationem praebuerunt, oraculi uim ex terra esse. Caeterum quia temulenti spiritu, quae ἀδμα uocant δαιμόνιον, plerique interirent, uisum fuisse, uatem unam astituere, quae citra reliquorum noxam panderet futura. Ad id uero etiam pegma fultruxere, quo insceto secure uaticinaretur. Habebat id bases tres, propterea tripodis nomen est sortitum. Praeficiebantur primo uirgunculae puritatis ratione. Postea uero quum Phocadus amore obretitus Thesalus Echecrates illam stuprasset, sancitum ut quinquagenaria mulier, uirgineo tamen cultu, uaticinandi potissimum gereret. Haec uero Diodorus. Id uero oraculum superstitione uana, & hominum inscitia, multoque amplius immundorum uasricijs spirituum illuc euectum est, ut non omnium modo gertium fieret affluxus, sed passim praepotentium quoque regum ac principum populorum dona mitterentur opulentissima, ut inde Delphici maxime celebrentur thesauri. Et Aphetorias opes, ut immensas praesignesque certatim memorent Graeci. Nam ab aedendis oraculis Aphetora dici Apollinem nouimus. Lego in Graecorum thesauris, Parnasum quaedam omnium principem oraculum adijisse Delphicum, unde sit monti adoptatum nomen, etiam si Larnasum prius dictum produnt alij, quod Deucalionis arca, quam λάρνακα uocant, illuc sit delata. Super oraculo Delphico uerba Ciceronis sunt Diuinationum priore libro: Terrae, inquit, uis pythiam Delphis incitabat, Naturae Sibyllam. An non uidemus, quam sint varia terrarum genera? Ex quibus & mortifera quaedam pars est, ut Ansan-

ut Ansancti in Hirpinis, & in Asia uidimus Plutonia. Aliae peracuta ingenia gignunt, aliae retusa: quae omnia fiunt ex caeli uarietate, & ex disparili aspiratione terrarum. At libro secundo idem M. Tullius: Euanuisse, aiunt, uetustate uim loci eius, unde anhelitus ille fieret, quo pythia mente incitata, aederet oracula. Sed quum de ui agatur non naturali solum, sed etiam diuina, quo tandem modo euanuit? Uetustate iniquies. Quae uetustas est, quae uim diuinam conficere possit? Quid tam diuinum, quam afflatus ex terra mentem ita mouens, ut etiam prouidam rerum futurarum efficiat? Caeterum oraculi uanitatem quum multa alia, tum Demosthenis illud coarguere uidetur. Qui pythiam promantin, ab praedicendi usu sic nuncupatam, dicebat *Πυθίαν*, id est quasi cum Philippo facere, quod eodem spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret. Plutarchus in libro De oraculis, quae defecissent, Delphici oraculi originem eandem ferè facit quam Diodorus: sed adijcit, Pastorem illum qui omnium princeps ex afflatu sit uaticinatus, Coretam fuisse nuncupatum. Et mox desinentis uaticinae potestatis rationes allaturus, plurimas ait in terra contingere mutationes uarietatesque rerum: quando & multis locis metalla defecisse, manifestum sit. Lapis carystius mirandae fuit apud priores naturae, quoniam *νηματόδης* erat, id est netilis, aptusque duci instar lanae liniue. Conficiebantur inde chiromaxtra, id est mantilia, item retia reticulaeque, quae ubi sordes contraxissent, coniecta in ignem caudori suo citra ullam omnino noxam restituebantur: uictrixque illa omnium uis ignium aliquid tandem nata erat, in quod ius nullum haberet. At nunc, inquit, euanuere omnia haec: uixque in metallis uisuntur uelut ines, aut praetenues, qui intercurrant, capilli. Eiusmodi porro & in manticis pneumatibus, id est spiritibus uaticis coniectanda sunt. Nec enim aeterna est eorum uis, quae senij plane sit nescia, uerum & ipsa mutationibus obnoxia censerit debet. Probabile namque sit, imbres nimios quandoque potestatem eam restinguere, plerumque & fulminum casu distillari. Praecipue autem terra motibus agitata permiscere ima potest, & meatus occaecare prorsum. Nam & in Orchomeno quum atrox debaccharetur pestilentiae malum, plerisque hominum uis quidem crassantis morbi absumpsit: sed & Tiresiae defecit oraculum, quod & nunc uelut feriatum coticescit. Auctor item Dion est, Delphicum oraculum ab Nerone solum, adhiatum, unde sacer sese promebat spiritus, iugulatis hominibus, quin & regione Cirrhæa militibus contributa. Dignum relatu in libro De mundo, cuius auctor ab alijs Aristoteles creditur, ab alijs Theophrastus, spiritus e terra efflationem hanc plane confirmari, quo uel furentes efficerentur, uel uaticini.

Quam esse ex inimicis utilitatem maximam censuerit Plutarchus. Inimicum esse uulturi assimilem. Hieronis os fetens. Duellij historia, & Biliæ uxoris.

Caput

xvii



Citum est, ac memorandum in primis, quod a Plutarcho uiro doctissimo & prudentissimo, inque disciplinis auctoritate graui relatu animaduertimus in commentariolo, quibus quis rationibus iuuari ab inimico possit. Primum inquit, omnium mihi uidetur, quod est ex inimicis maxime noxiū, id si modo attendas, effici utilissimum posse. Inimicus siquidem peruigili cura rebus insidiatur tuis, uitamque ambit hinc inde, ansam quaeritans: nec insperat per quercum modo, sicut olim Lynceus, nec per lapidea, uel testacea: sed per amicos, per seruos, per familiares uniuersos: adeo efficax est, expeditusque eorum, quae uel facias, uel consultes, explorator, inspectorque. Praecipue uero siquid delinquas, inhæret affixus, scrutaturque. Et profecto uulturum exprimere uidetur mores, hi quippe tabida tantum consecretantur cadauera: nam pura, beneque habentia, ne sentiunt quidem. Consimiliter inimicum uitae modo labes mouet, agra illum excitant, ac quae computruerint. Ad haec aduunt, haec contrectasse gaudent, haec conuellunt, qui te odiose insectantur. Inde uero eximia, ac praecellens profuit utilitas, si ista ueritus, exploratè pensiculateque tibi perpetuo intedas: te obserues, ne quid incuriose, incuriosè, sed prospicienter omnia dicas, agasque: ut ueluti in accuratiore diata, uitam praestes incusabilem, inculpatam, ab omnique sequestratam uenenosiore morsu. Qui enim sic affectiones reprimit, sedatque, & qua maxime pollemus, rationem uelut in specula continet, metu, prouidaque, & sagaci cura, meditationem concipit, & propositum aequabilem transigendi uitam, ac omni procul abiunctam



Etiam crimine. Id enim prorsum in hoc usu euenit, quod ciuitatibus contingere certum est, quæ hoste uicino affliduè infestentur. Hic siquidem ingruens terror ad moderatiōnem redigit, concordiam conciliat, sanæq; ac recte ualentis reipublicæ amorem inducit. Eodem modo inimicus infestior uel nolentes ad sobrietatem reuocat, in desidiam labi non permittit, aut neglectum: efficitq; assuetudine ista, ut tanquam in statione quadam positi, εἰς τὸ ἀναμάρτητον euadamus, id est in statum infontem, ac prorsus Theonini dentis nescium. Quibus enim Homericum illud altius infederit, ac (ut sic dicam) fuerit ad manum,

ἦκεν γυθῆσαι πρίαμῳ, πριουμοιο τε πῦρ δόδω,

Lætari utiq; Priamus posset, rursumq; Priami filij: auertitur inde, longiusq; abducuntur ab ijs, quæ inimicus læte naso crispante uideatur excepturus, ubi uelut per frumentarios, quod in amicos curiose dicitur fecisse Adrianus, omnia uel anxie fuerit scrutatus. Mirum est, quam proficiat in summam uitæ studium hoc, & æmula cōcertatio. Celeberrimum est Nasicæ Scipionis apophthegma, Quibusdam enim astruentibus, rem Romanam nunc demum obscuratam stabilemque uideri, Carthagine funditus euerfa, & (ut ait ille) impactio mœnibus aratro: Immo uerò, inquit, nunc periclitamur maxime, quando nec quos extimescamus, nec quorum nomine erubescamus, reliquos nobis fecimus. Adde præclarum Diogenis documentum, ciuile in primis, ac philosopho condignum: Quo nam pacto ulciscar inimicum? Si bonus, inquit, honestusq; ipse fias. Inimici equos probari qui aduertunt, torqueri nō cessant: si commendari canem, si elaboratos excultosq; uideant agros, si pulchre florecentem cōgerminatēq; spectent hortulum, ingemunt. Quid facturos putas, si iustum te comprobe uirum, mentis integræ, bonum, uerbis probum, factis purum, uictu moderatum, profundo persluentem (ut ille ait) mentis sulco, unde prudens egerminat consiliū? Si inimicum malè habere cupis, non impudicitiam substratæ uirilitalis, non molliciem opprobraris, non securilitatem, non id genus alia plerq;. Caterum esto ipse sciens, temperatus, uerax, aduentibusq; perhumanè utaris, ac iuste. Quod si ad proba euectus fueris, id sit præcipua cura, ut ab ijs quæ coarguis, abducas te longius: introspecte animam, putrida circumspicita, ne quis insurret illud tragicum,

ἄμαρ ἰατρὸς, ἀντὸς ἐλκεῖν βρῦον.

Aliorum medicus, ipse ulceribus scætet. Si inscitiam fortè tibi in altercationibus obiecerit, intende discendi ardorem, allabora eo procliuius: si timidum appellarit, uirilem exacue promptitudinem: si ut lasciuum incessiuerit, atq; intemperatē, exterge ab anima, si quod lætèter inoleuit titillantis uoluptatis uestigium, memor semper: Nil foedius reciprocante crimine. Si cui turpiter ac inhonestè agenti incurrisset Plato, abiens, seque intuens dicere solebat, μή ποί ἄρ' ἐγὼ τοιοῦτῳ; an & ipse talis? Qui inimici cōuitia patitur, insigniter inde iuuari potest. Nam dicere solitū Antisthenē accepimus, Reuocandis ad bonam frugem uel amico esse opus ingenuo, uel ardenti acricq; inimico: alter enim rectè monendo, coarguendo alter increpandoq; auertit à uitio. Genus autem hoc remediū tanto uideri præstantius debet, quod (ut nunc est) ubi fidenti opus audacia est, amici ἰχνοφώνους, id est graciles uoce se præstant: sicubi adulatio intercurret, impendio sunt loquaces & obstreperi, uel tinnuli quoq;. Vbi admonendus amicus, muti prorsum. Proinde ab inimicis audienda ueritas, quam negligit amicitia. Nam & Telemachus medicinam inuenit ex hoste. Et qui Thesaliam Promethea perimere cogitarat, perfanauit, abscessu quod phyma uocant, patefacta uia. Ita profecto est, Inimicus ὁ ἀμιδῶ διδασκαλῶ, id est gratuitus magister, ac sine mineriali, semper ex eo discere aliquid licet eorum, quæ nos lateant: ac eo quidem impensius, quod plura longe, ac sepius præsentit, perspicitq; inimicus, quam amicum professus: quando, ut Plato ait, τυφλοῦταα τὸ εἰδέναι πρὸς τὸ εἰδόμενον, occæcat amor in eo quod ames. Odium uerò ferè garrulitati adnexum implicitumq; est, ac πολυπραγμονεῖ, id est satagit alienarū rerum. Sic enim ut possumus, transferamus: nec tamen inde damnari aut coargui Latinæ linguæ tenuitas debet, quando ut testis locupletior Hieronymus est, etiam Græci plerq; nostra per circuitus transferunt. Hieron ex inimico audiuit primum, sibi foetere animam: quam obrem commotior, Quid ais uxor, cur non commonuisti? At illa, ut quæ modesta

modesta foret, puraq;: Quoniam, inquit, ita uiris omnibus olere opinabar. Postremo id cogitandum, agricolarum peritissimos tradere, allium & cepas bonitate proficere, si ros is uiolisq; applantetur, quod in eas acrimonia, & quod olidum est, secernatur. Eodem ipsi modo inimicum ex propinquo patiamur, quo feliciter agente, cōmoueamur, exacuamurq;: ac ita confurgamus, ut ex æmulatione connitamur pari industria perfungi, aut etiam sublimiorem nobis locum uendicare. Quod si malis artibus euadatis nobis superior, uel gratia, uel honoribus, æquo id animo patiendum, imò eo amplius nostra ipsorum integritate latandum. Siquidem quod intra, quodq; supra terram aurum est omne, in æquilibrio uirtutis stare nequit, sicuti à Platone dictum grauissimè est. Illud uero superpondium fuerit, quod ex Plutarcho dictum de Hierone est, id ab Hieronymo aduersus Iouinianum primo, in Duellium refertur, qui Romæ primus nauali certamine triumphauit, & uxorem Biliam tantæ pudicitia, ut illo quoq; seculo pro exem-plo fuerit, quo impudicitia monstrum erat.

De uulturibus adnotata quæpiam. Cur caudicis dicantur togati uulturij.

Item imperatores paludati uulturij. De uulturum odoratu, & odoris ratione.

Caput XVIII



Vltrem animalium omnium innocentissimū, Hermodori Pontici sententia pronunciauit, quia nil prorsus attingat eorum, quæ ferant homines, plantent, alant. Animantium præterea nullam interimat. Volucris quoq; uel mortuis abstineat, quod cognationis intellectu. In augurijs certe auis præstantissima uultur habebatur, quod Hercules comprobarit, necnon Romanæ urbis primordia manifesta faciunt, forte quia rarissime uulturij conspicitur, & inde oblatu aliquid semper creditur portendere. Aut quia, sicuti fabulantur Aegyptij, & in Hexaemero Ambrosius uideatur approbasse, uulturij omnes fœminæ sunt, ac ut zephirus arbores, sic illæ euro grauidæ fiunt: aut borea, ut prodit Horus. Immo certa & firma inde signa fieri, uerissimum est. Horus hieroglyphicè uulturis imagine matrem prodit indicari: in Onirocriticis scribit Artemidorus, in Italia ueteri lege uultures à nemine solitos necari: quin & illis insidias cōcinnantes ἀσεβεις inquit, opinabantur. Verum quia animans hæc cadauera iam tabida summè affectat & rapit auidissimè, ex quo & Catullus,

Lingua exerta uisio sit data uulturio,

propterea quodam loco Apuleius, caudicos & oratores forenses probrosis incessens uerbis, quod eis, ut Columella dixit grauissimè, cōcessum sit in medio foro latrocinij, rogatos nominauit uulturios, ut quibus præuaricari, reos prodere, uendere aduocationes, & sanguinaria rapacitate homines excarnificare, frequentissimi sit moris. Sicut M. Tullius pro Sextio, Uulturios paludatos appellauit Gabinium & Pisonem imperatores, qui pretio nundinarentur omnia. Porro & ratione eadem salibus suis Plautus inseruit uulturios pro talis in Curculione: ut enim uultures carniuori sunt, & rapto uiuunt, compari modo & tali uoratores ita sunt, ut dispolient ex toto aleatorem, atque ut Plautino item uerbo utamur, deruncinent. Captatores quoq; dici uulturios, non Seneca modo, sed indicauit Catullus item illo uersiculo,

Suscitat à cano uulturium capite.

Memorable est quod tomo De ideis primo, ubi ποδὶ σεμνότητῳ λόγον differitur, Hermogenes adnotauit, quosdam appellare solitos uultures, τῶν φωνῶν ἐμφύχους, id est animata sepulchra, παρὰ δὲ τοῖς ἑσπερίοις τακοῖσι σοφισταῖς πύμνομα εὐροῖς ἀν, τῶν φωνῶν τε γὰρ ἐμφύχους εἶναι γύπτις λεγούσιν, ἔνυ πῆρ' εἰσι μολύβια, ἄφιοι καὶ ἀλλὰ τοιαῦτα ψυχρῶν οντων τῶν μολύβια, id est apud subligneos uero hosce sophistas plura inuenias utiq; quippe uultures dicunt sepulchra esse animata, quibus digni sunt ipsi maxime: & frigidiora his alia non pauca. Illud uero ne utiquam prætereundum, quod ex Hieronymo compertum nobis est: Vultrem, quum cœperit oua ædere, quippiam ex Indico tractu afferre, quod est tanquam nux, intus habens quod moueatur, sonumq; subinde reddat. Id uero sibi ut apposuerit, multos foetus producere, sed unum tantum remanere, qui im-musulus à plerisque dicitur. Masurius uero pullum aquilæ eo nomine intelligit, prius q; albicet cauda. Vulturum odorandi uis mirifica ab auctoribus traditur classicis: nam & in magia significat Apuleius, Si uero, inquit, naribus nidorem domesticum præsentit,

C 4 uincit

uincit idem sagacitate odorandi canes & uulturios. Cui enim cani, cui uulturio Alexandri cæli quicquã ab usq; Aeenfium finibus oboleat. Scribit diuus Thomas, per quingenta millia passuum ab uulturibus. Addit Hieronymus, etiã ab aquilis, præsentiri cadaveris putorem, sed & eo amplius. Illuc autem usq; odorem, uel corporalem euaporationem pertingere, prorius absurdum, præsertim quum sensibile medium immutet undiq; secundum eandem distantiam, nisi præpediatur. Neq; enim sufficeret ad tantum spatij occupandum, etiã si in fumidam resoluatur euaporationem integrum cadaver: quando certus ac præscriptus est refractionis terminus, ad quem naturale corpus peruenire potest, qui est raritas ignis. Sed nec huiusmodi odore cadaver noscitur sensus ratione immutatum. Proinde dicendum, quod & alibi hoc opere attigimus, ab odorabili resoluere quidem posse fumidam euaporationem: sed eam tamen non produci ad eum terminum, ubi odor percipiatur. At ipsum medium spiritaliter immutari ultra q̄ commemorata euaporatio possit peruenire. Sunt & qui futuram stragem præfensione quadam mirè percipi, tradant. Et comprobatur in Hexaemero magnus Basiliius, quo nomine Marti sacros censuit uultures ueterũ auctoritas, uti scribit Phurnutus, quoniam plurimi uisuntur, ubi sint *πύματα πολλά ἀφ' ἰφρατε*. Etiam si deo illi asinos immolarent nonnulli de turbulenti ruditus ratione, ob bellicos clamores. Alij autem canes, *ὅτι θρασύ υἱὸν ἰσθμίου τοῦ ζώου*. Quin & ingruentis mali certissimum haberi præaugium, ubi exercitum aues insequatur eiusmodi. Cuius rationem scrutari, difficillimum censuit Albertus, ni stellarum potestate occultiore fieri, collibet credere. Coruus equidem ipsum hoc quandoq; fecitasse, compertum est. Scribit Horus: Veteres imperatores accuratè solitos explorare, in quam belli partem spectarēt uultures, inde uictoriam coniectantes, uel profligationem. Quod autē Albertus idem scribere Aristotelem tradit, Vulturis nidum nunquam esse uisum: id uero perspicue falsum est, quod amplius liquebit, si quis sextum De historijs animalium adierit librum. Propterea uulturũ nidos in Germania uisitari frequentes, facile impetrarit fidem. Porro de uulturijs scitus admodum narratur apologus aduersum fœnore sese illaqueantes, Vulturius quidam uehementer agitated uomere amplius cœpit, simulq; etiã queri, ac sese afflictere, quod intestina eiectione uideretur. Pax sit rebus, inquit alter, non est quod ægro sis animo, neq; enim tui euomis quippiam, sed cadaveris portiones quod nuper conscidimus. Eadem ratione fœnore adobruti non agros euomunt distrahuntq; proprios, sed fœneratoris, quem ijs dominum præfecerunt. De uulturibus apud Ambrosium quod attigimus, sic comperi: Concubitu perfrui iam nullo, nec coniugali usu, nuptialisq; copulæ ulla misceri forte: ac ita nullo masculi femine concipere, & citra coniunctionem generare: natos uero inde in multum superesse æui, adeo ut ad annum centesimum uitæ series producat. Vultures itē sunt qui tradant, animalia cuncta uidendi præstantia exsuperare.

Quid sit quod monogrammos deos dixit Epicurus. Quod solidum corpus: & quæ mathematica corpora. Monocroti, dicroti. Apuæ. Aphyæ meretricis cur. Euthygrammæ quid, & euthyoriæ. Polygrammi. Canabi qui dicantur, & clematides Aegyptiæ. Philetæ, ac Philippidæ macilētia. Cap. XIX

**I**ncero libro De natura deorum secundo, Epicuri sententiam exagitant sic ferè scribit: Non sunt dij, inquit, his corporibus, ut aut casus aut ictus extimescant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum. Quæ uerens Epicurus monogrammos deos & nihil agentes commentus est. Quæsitum inter doctissimos, in ueterũ literarum tractatione diu multumq; uersatos, qui nam dicantur Monogrammi, aut quid eo uerbo intelligi uoluerit Epicurus. Ego uero pro uirili bene consultum omnibus cupiens, quæ mihi uetus lectio suggerit, promam gratissimè, expendet mox lector candidus: siq; ad stomachum facient, percoquat, ac citra liuorem finat ire in corpus, nullis magnopere, auxieq; cuniculis ductis, aut araneorum obiectis casticulis: quos plerumq; argumentationum eculeos rentur scioli, in quibus aduersarium suspendant: si qua minus arriserint, transiliat, putetq; nos fuisse homines. Monogrammos igitur ex monumentis Marcelli inuenio dici, homines macie prætenues ac decolores strigososq; ac incurtiores & uesculos. Quæ nuncupatio uidetur ex picturæ ratione inflexa, quæ linearis dicitur, ut ex Plinij doctrina percipi licet, quod prius quam

quam coloribus corporetur, lineis ad umbram fingitur. Probat porro Nonius Lucillij auctoritate, cuius sunt uerba:

Vix uiuo homini, & monogrammo.

Cæterum ex ijs non omnino quidem elucescit Ciceronis nodus, ad intellectum tamen auctus aperitur, qui plenus fiet, si placita Epicuri de natura diuina exploratius nouerimus. Quæ ab Anthropomorphitarum hæresi haud ita disparantur, qui rustica simplicitate deum habere humana membra arbitrantur, unde & appellationē sortiti creduntur. Omnium, inquit, animantium formam uincit hominum figura. Deus autem animans est: ideo ea profecto figura est, quæ pulcherrima sit omnium, quoniam deos beatissimos esse constat: beatus autem esse sine uirtute nemo potest, nec uirtus sine ratione cõstare, nec ratio unquã sine hominis figura. Hominis igitur specie esse deos, confitendum est. Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus: nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem. Addamus porro, ut perspicua magis tota res fiat, quod aptissime concipit mathesis. Omne corpus, quod solidum est, ac stereon Græci uocant, triplici constat dimensione, longitudinis, latitudinis, profunditatis. Ex his tribus, lineæ ductu una confurgit dimensio, quam longitudinem dicimus, citra ullam latitudinem. Planities uero, quam epiphaniam uocant, longo latoq; distenditur: alto tamen caret. Soliditas autem perficitur, si illis altitudo accesserit. Cæterũ id magnopere aduertendum, quod corpus quodlibet superficie quidem cluditur, tanquam termino. Hic uero terminus quamuis circa corpus sit, incorporeus tamen intelligitur: est enim hæc incorporea natura prima, nec tamen pure, quando non nisi circa corpus apparet. Propterea etiã si superficiem à corporibus res non sequestrat: intellectus tamen ipsum hoc facit. Hæc superficies sicuti terminus corporum est, ita terminatur & ipsa lineis, quas suo nomine grammæ Græci dicunt: punctis uero finiuntur lineæ. Deniq; corpora hæc sunt, quæ mathematica uocant. Ex his uero iam dilucere arbitror, cur deos non habentes corpus, sed quasi corpus: ut acute delirabat, Epicurus etiã monogrammos nuncuparit. Nam nec superficies quæ lineis connectitur, corpus est, sed quasi corpus: quia citra corpus non est. Sic & monogrammos pictura, quasi superficies quædam concipi debet, quoniam non est corporata coloribus, qui profunditatem imaginibus tabulisq; addere uidentur. Qui porro emaciati supra modum sunt, & pellucidi quodammodo, ut quibus nulla adesse carnis uideatur altitudo, rectissime profecto & hi monogrammorum insigniuntur cognomine. Monocroti apud Xenophontem Rerum Græcarum secundo, ad monogrammos pertinent nihil. dici Latine ualent uniremes: sicut dicroti, biremes. Dignum relatu id quoq; in Græcis obseruatum monumentis, & ab Apollodoro proditum: meretriculas quasdam fuisse Aphyas, id est Apuas cognominatas: quod minutulæ forent, albæq; oculis grandioribus, nomina eis fuisse Stagonion & Anthis: ex eadem causa in libro De meretricibus, Nicostratida dici Apuam cœpisse, scribit Antiphanes. Alioqui et Apuas, auctore Chrylippo, Athenis ob rei affluentiam nimiam esse dicitabant *πληχίον ὄλον*, id est mendicorum obsonium. Quoniam uero de grammis, id est lineis actum nobis est, obiter, exq; abundantanti subnotandum, Euthygrammas apud Vitruuium. dici rectas lineas, ex quibus geometria circini tradit usum, e quo facilius ædificiorum in areis expediuntur descriptiones, normarumq; & librationum & linearum directiones: *εὐθυγράμματα* Græci, æquè semper meantem cursum uocant. Polygrammos melanuros uocat Aristoteles, atq; item melanogrammos ab linearum multitudine uel nigricie, quibus interstinguantur. Sciendum quia hac de re actum nobis, macie prætenues dici ab Græcis canabos quoq; ut scribit Pollux. nam & poeta Sannyrion ita est cognominatus: quoniam sit exile lignum canabus, pileorum textrinae accommodum. Sed & procero corpore homines, ac nigro, uti est apud Demetrium Phalereum, Clematides dicuntur Aegyptiæ: quoniam eiusmodi ferè sit herba ea, in Aegypto proueniens ubertim. Philetam Coum, poetam adeo macie attenuatum ferunt, ut plumbeos globos pedibus adnexos haberet affidue, ne à uentis auferretur transfusus. Philippides in eandem uenit decuriam, & inde conformatum uerbum *εὐλιπυδία*, pro emaciari.

Camilli

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN ANTI-  
 quarum lectionum libros Lodouici Cælij patruī, ad ma-  
 gnificos comites Octavianum abbatem, Lactantium  
 priorem, & Petrum de Rouerellis fratres,  
 Præfatio nona.



**H**umanarum obuolutionum antiquiorum famosiores uariam pe-  
 lagi. uastitatem deuagantes, uarijs mentium captionibus irretiti,  
 summam humanæ felicitatis amplitudinem conati, diuersis diuer-  
 sa proprijs suis affectibus consono diciturunt: bonam alij extol-  
 lentes fortunam: honestam alij uoluptatem, scientifici contempla-  
 tus solo affectu faginati: alij natura ipsa præministra omnibus ho-  
 minibus scientiæ desiderium insitum esse doctissimè tradiderunt,  
 ut qui summi boni amplissimam insignituram primarum causa-  
 rum contemplatu aut adeptam, aut adeptioni dispositam, certo certius arbitrentur.  
 Cuius assertionis amplitudinem & si alias ( ut sic dicam ) olfecerim, toto nunc animo,  
 certissimoq; meæ mentis affectu serius conspicatus affirmo. Eoq; magis quod ad uos  
 doctissimi bonarum literarum cultura micantes Octauiane abbas meritisime, Lactan-  
 ti prior dignissime, Petre comes illustris, mihi omniuaq; patroni obsequiosissimi: qui  
 uos non nisi doctrinata scientiæ fastigijs anhelantes, toto animo, toto mentis affectu  
 inhiantes perspiciens, ac eadē deuinctos opinione id ipsum sentire suadeor: ut qui non  
 nisi solam doctioris Mineruæ initiaturam toto animo fontes eadem uobis ipsis pro-  
 gymnasmata præmonstretis, ut & cuiusq; uestrum bonæ indolis amplitudinem multo  
 ante hac præsignatam optime comprobetis: & Rouerellæ familiæ decantatissimæ sim-  
 briatis literaturæ præconijs, uestro ipso genio, uobis ipsis suggerentibus refertissimè  
 demonstretis insignituram. Quod eo mihi certius assertum cognosco, quo uos bona-  
 rum literarum studia amplius elucere curantes, si quid in eis absconditū esse scitis, non  
 nisi ut in clariorem lucem prodeat curetis, ut doctiorum mentes amplius excitate la-  
 tius euagantes diffundantur. Qui me pluries Antiquarum lectionū lecturam, doctis-  
 simi Lodouici Cælij patruī mei sceturam antea æditam, additionibus maximis demum  
 defricatam, quasi doctiorum mentibus insidiatum detineam, tanto affectuositate im-  
 pulsū argueritis, ut non nisi ipsius promulgatione in uos gratioris meæ certitudinis ef-  
 fectum uidear ostensurus. Quam quum, & si iam diu ante hac præmeditatam, nunc ue-  
 stris potissime impulsus persuasionibus ut prodeat destinatus, impressoribus excuden-  
 dam tradere decreuerim, eius ( ut amplissimis defensoribus munita securius prodeat )  
 portiunculam hanc nonam uestro nutui dicatam uolui. Nec ab re: quos & doctissima  
 Minerva eruditos, & doctiorum animis gratius propensos adeo dignoui, ut ipsius, to-  
 tiusq; operis patrociniū uos alacriori animo subituros non dubitauerim. Hanc igitur  
 uestra illa innata animi sinceritate, pusillum equidem munusculum, at mei in uos  
 affectuosi ancillatus insigne non immeritum accipite, Camillumq; Richerium uestris  
 omnium nutibus obsequiosissimum fontes curate.

## LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTI-

QVAVM LIBER VNVS, QVI NONVS.

Musices laus: cur data hominibus: rursus à quibus studium eius sit deri-  
 sum. Cleon cantor. Ateas Scythia. Apollo medicinae inuentor, & musicae  
 rex. Mercurij inuenta. Caput I



**S**ummam eruditionem, & animorum institutionem longe  
 præclaram esse in neruorum uocumq; cantibus sitam, à Græ-  
 cis semper ferè creditum est. Hinc legimus Epaminundam  
 Græciæ principem fidibus præstantissimè cecinisse. Proin-  
 de, sicuti commemorat M. Tullius, Themistocles quum ali-  
 quot annis antè in epulis recusasset lyram, est habitus indo-  
 ctior. Quando uti testis item primo Therapeutices est Ga-  
 lenus, abesse à conuiujs lyram, uel id genus aliud, turpissi-  
 mum censebatur planè, *ἡμεῶν δὲ πάλαι ἦν τις πιδύνας  
 σωβόδης, καλὸν φησόμενον.* Sed & Lycurgus, quamuis duris-  
 simas Lacedæmonijs suis leges iniungeret, musices tamē studium egregiè uidetur am-  
 plexatus: quando ipsam hanc natura parens impertiuisset animaduertitur, quo transmit-  
 ti laborum onus molestissimum posset procliuus. Remigem, ut Fabius inquit, cantus  
 hortatur, & singulorum fatigatio quamlibet se rudimodulatione solatur. Quin & con-  
 cionum fluctibus inseritur, agētīq; Graccho seruus Erycinus eburneola fistula modos  
 incinebat. Pythagoras, & qui deinceps studia consecrati sunt eadem, Mundum ipsum  
 non citra musicas rationes concinnatum coaptatumq; argumentorum subtilitate colli-  
 gere sunt uisi. Quin & artium ueluti præstantissima diuinis se inseruit rebus, & quod te-  
 statum quoq; Ptolemæus reliquit, numinibus placandis adhibetur. Plato etiā esse gen-  
 tibus contributam putat musicam ad præclarius quoddam præstantiusq; opus. Nam  
 quum sit concinnitatis inter frequentamenta uaria præcipue artifex musica, non ideo  
 à dijs data, ut ad delicias conuertamus, & aurium pruriturum: sed ut, quod animæ conso-  
 nantiam turbat & harmoniam, huiusce uoluptatis delinimento sedari, ac ad ordinem  
 redigi ualeat. Caterum & grauissimè Pindarus: *ὄσα δὲ μὴ περὶ ἄλκις ἔως, ἀτὺρονται βιὰν  
 τρεῖς ἄϊον π.* Quæcumq; non amat Iuppiter, uocem auersantur Pieridum. Profundè  
 Socrates iam senex, institui lyra non erubescerebat. Thebis porrò Pindari statua uisitur  
 nulla: uisitur autem, inquit Athenæus, cantoris Cleonis: in cuius sinum, Thebas Ale-  
 xandro diruente, quum fugiens quidam aurū immisisset, rediens anno trigesimo pōst,  
 iam Thebis frequentibus, cum fide totum recuperauit. Præclara est comici Eupolis ad  
 musices præconium pertinens sententia, qua negocium esse sancitur *βαθὸν καὶ καμπύ-  
 λον*, id est profundū flexuosumq;. Propterea in Hyacintho Anaxilas: Musica per deos,  
 inquit, perinde ac Libya, semper quotannis nouam quampiam feram parit. Magnus e-  
 quidem iuxta citharæcedum Theophilum, stabilisq; thesaurus musica est: mores enim  
 instituit, componitq;, ac mollit irarum ardores, quod uel Homericus abunde Achilles  
 significat. Musici quidem proprium munus, in sono gratiam, in cantu sermonis elegan-  
 tiam imitari: meminisse uero animi motus multo impensius, uti consonent, curandum  
 quàm uoces. Inconcinnum quippe musicum uideri, cui in maxima uocis ac lyrae con-  
 sonantia dissonat mens. Porro Dauid oraculum est, ac Mercurij: postea quàm mouen-  
 te deo canimus, & deum canere nos oportere. Quo fit, ut insignitius barbarā quorum-  
 dam feritatem mirari non desinam, quos inauspicatissimis etiānum dictis artem no-  
 bilissimam insectatos nouimus. Nam Scythicum regem Ateam Scythicam planè fer-  
 ritatem & barbaram incitiam respicientem, memoriæ proditur, quum captiuum Isme-  
 niam, tibi cinem illum celeberrimum, quem Boeotios complures ischiadico diuexatos  
 morbo modulis suauioribus persanasse tradunt, tibia incinere iussisset, ac illum cæteri  
 suauitate demulcti summa prosequerentur admiratione, laudibusq; efferrent plurimis  
 & uerissimis, inculto barbaroq; iure iurādo identidem comprobasse, Equestrem hinni-  
 tum

tum sibi uideri iucundiorē molliorēq̄. Verum in Barbaro, & hoc quidem Scytha, uox huiusmodi minus forte mira. Quid uero Spartanis facias? Quando Zeuxidam filius Archidamus, quā nīmio plus admiraretur quidam citharœdum, uim q̄ eius laudaret: O præstantissime, inquit, quodnam bonis uiris præmiū statues, cui tantum aridet citharœdus. Rursum quum ex assistentibus quidam intulisset: Psaltes eximius hic est. At, inquit, apud nos bonus cantor, bonus cupediarius est. Ceu nil prorsum interit, cupedijsne, ac lautitia concilietur uoluptas, an modulatiore ex organis sono. Quin & gentis eiusdem Demaratus, ubi psalten inaudisset, subiicit, ἡ καὶ δὲ φαίνεται μοι φλυαρεῖν: non malè mihi uidetur nugari. Inter Aegyptiorum placita etiā illud audio celebrari, musicam non modo inutilem uideri, sed & noxiam, ut qua uirorum remollescant animi. Emeropes Ephorus Phrynidis musici duas ex noue n̄ fidibus ascia abscedit, infusurrans μὴ κρητύργει τὴν μουσικήν, ne musicam deprauet. Eudamidas, quum cantor quidam mirè placuisset, ac scitarentur nonnulli, cuiusmodi ei uideretur: Μεγας, inquit, κληκτὴς ἢ μικρὸν προδύμαλα, demulcor magnus in re minuta. Postremò quur. Ilyram conuiciū intulisset quispiam, dixit Spartiata, ἡ λακωνικὴν δὲ φλυαρεῖν, non est Laconicum nugari. At præsci theologi medicinæ repertorem Apollinem prædicant, & citharæ pulsandæ regem arbitrantur. Proinde scienter admodum in hymnis Orpheus, hunc uitalibus radijs sanitatem cunctis, ac uitam elargiri cecinit, ac morbos propellere: porro q̄ canoris fidibus, quod est motibus, uiribusq̄ suis omnia contemperare: nam hypate, id est uoce graui hyemem: neate, id est acuta æstatem, uocibus autem medijs uer pro ducere, ac autumnum. Quum uero idem sit musicæ dux, ac medicæ cōperton scientiæ, non mirum, artem utraq̄ ab uiro sæpe uno eodemq̄ exerceri. Vocū harmonias comperisse Mercurium primum in Aegypto, scribit Diodorus, sicuti literas quoq̄, ac palæstram, & numeros, medicinā itē, ac astrorum motum, sed & Ilyram chōrdarum tritum, ob tria anni tempora: nam æstatem acuta præfert, hyemem grauis, uer autem media. Quin & uerborum ab eodem excogitatam interpretationem, quo argumento sit Græcè dictus Hermes.

Musicæ studium esse omnibus insitum. Hippothoros nomos. Eius inītia uideri tria. Cigni tamen præcipuè amoris potentia. Amoris potestas mira. II

**M**usica uero capi omne quod uiuit, inde colligunt Platonici, quoniam celestis anima qua uniuersitas animetur, originem sumpsit ex musica. Certe ex Strabonis doctrina didicimus, elephantēs cantu mulceri, & tympanorum sono. Et in Symposiacis Plutarchus scribit, Brutorum pleraq̄ deliniri, afficiq̄ plurimum musica, sicuti fistulis ceruos. Vbi uero saliantur equæ, nomen incinifolitum, quem uocent hippothoron. Cantu uero delphinas moueri, testis Iocuples est Pin-darus. In homine autem peculiaris adesse uidetur ratio: quia modulatio sonus & flexa nimis concentus, in corpus musicæ memoriā deferat, cuius anima in cælo fuerit conscia. Propterea nullum ferè haberi tam immite, tam asperum pectus, quod non oblecta-mentorū talium teneatur affectu. Afferunt illa quoq̄ Peripatetici, insitum esse omnibus, oblectari naturalibus motibus, cui rei sint argumento pueri, qui uix dum nati modulis permulcentur. Omnino propterea delinimur numeris, quia ratum ordinatumq̄ computandi modum habent, mouentq̄ nos pro sua æquabili serie ordinate. Indiciū uero id maximum, esse ordinem ex naturæ ratione, quod quum ordinate laboramus, bibimus comedimusq̄, naturam uiresq̄ nostras seruamus augemusq̄. Consonantia igitur ea in primis causa demulcere potest, quia sit permixtio siue contemperatio contrariorum aptè inter sese coeuntium, & proportionem custodientium. Adhuc, quod spiritus qui aereus sanguinis uapor est, ac ueluti animæ nodus quidam & corporis, aereis quoq̄ odoribus sonisq̄ temperatur & cantibus, ac interim alitur. Apud Aegyptios sacerdotes, eorundem traditur fuisse functio, remedijs, fidibus ac mysterijs incubuisse. Musices autem principia esse tria, deprehensum ab eruditioribus est, mœrorem, uoluptatem, ac enthusiasum, id est numinis afflatum. Dolores siquidem mirabili quodam modo, & lapsu lubrico uocem ad modulos inflectunt luctuosam flebilemq̄. Quo nomine in epilogis rhetoras, & in fletu actores, sensim animaduertimus modulari pronūciationem. Quod efferuiscens itē gaudium efficit uberius. Afflatos autem fatidico spiritu

spiritu eatenus externari, & ab naturæ consueto reuelli spectamus, ut etiā futura ratione pandant metrica. Verum enim uero si amoris potestatem amplius in apertum promas, explicesq̄ pro dignitate, liquebit luce clarius, nullam prorsum affectionem æque ad cantum & musicam nos prouehere iucunditatē. Ex quo inuulgatum id apud Græcos, cuius Symposia con primo meminit Plutarchus: μουσική δὲ ἀρα ἔχει δὲ ἰδὲ σκα, ἢ ἀν ἀμουσῶν δὲ πρὶν, id est musicā docet amor, & si fuerit indoctus prius. Amor siquidem industriam exacuit, estq̄ plane artium inculpatus magister. Et proinde Plutarchi eiusdem interpretatione, Plato πᾶντος eum ἀναχρηστὴν nuncupat, ut qui intentatum relinquat nihil, & sese inferat omnibus, καὶ γὰρ λαλοῦ ποιεῖ τὸν σιωπηλόν, id est silentij cupidum ad garrulitatem producit. Iam uero desidiosum, resina, ueternoq̄ priore excitat mirifice, ac de cessatore ærem facit, & ad omnia præcelerem.

Melorum genera tria. Modos esse uarios pro morum dissimilitudine. De Dorio, Phrygio, Lydio, Ionico. Quæ quis in ratione musicæ excogitarit primus. De Calaminis insulis, seu saltaribus: item Torthebiæ palude, siue nymphæo. Polycephalos. Synaulia. Tibiæ inuentor. Syrix. Horatij locus explicatur. De elegorum inuēto. Fistularum genera. Syrix, syria, syrma, hyriscus.

Cap. III



Cribit autem in harmonico Cleonides, nec omisit Boethius; & ab Aurelio Macrobio reconditisimæ scientiæ uiro, Naturalium secundo traditum sci-mus, ut Aristoxenum præteream, & ex eius diagrammate Vitruuium, melorum tria esse genera, enharmonicum, diatonicum, chromaticum: sed ex ijs quod principe loco positum, nimis intrusa, nimisq̄ recondita difficultate desertum oleuit. Tertium mollitiæ insita, infamiæ nota non caruit. Medium uero, id est diatonicum mūdaneæ musicæ doctrina Platōnis ascribit. Nec tamen desuere, qui mollius illud eneruatusq̄ (ut sic dicam) genus, toto affectaret pede, cuiusmodi Agathon tibi cē memoratur. Illud nimirum constat, Musicos modos Gentium uocabulis distinctos designatosq̄. Etenim quo una quæq̄ gaudebat pro morum ratione, eodem modus ipse cēsetur nomine. Delectationem utiq̄ similitudo cōciliat. Hinc nata Phrygia, Lydiā, Doria modulatio. Phrygiū modū etiā Barbarū appellat Porphyrus. Eius propriū est, ut inquit Lucianus, entheon: Lydij uero, bacchicū: Dorij, honestum & graue. Adijcitur a plerisq̄ Ionicū, quod floridum intelligunt, ac iucundum. In rebus serijs priscos inuenio Dorium adhibuisse, non Phrygiū, nec Lydiū. Quare, quum quid lætius ac iucundius uel dicendum uel optandum esset, Ab Dorio dicebant in Phrygiū. Verum tamen quid Casiodorus super ijs prodat, attendendum magnopere: Dorius, inquit, prudentiæ largitor est, & castitatis effector: Phrygius uero pugnas excitat, uotum furoris inflammat: Aëolius animi tempestates tranquillat, somnumq̄ iam placatis attri-buit: Lydius intellectum obrutis acuit, & terreno desiderio grauatæ celestium appetētiā inducit, bonorum operator eximius. Ex ijs uero lux multa Quintiliano infertur, scribenti, in materia declamatiūm ponit tibi cinem solitum, qui quum sacrificanti Phrygiū cecinisset, ac ille actus esset in furorem, fugebatur accusari, Lydiā tamen harmoniā Plato libro De republica tertio, plurimum reprobat, quæ acuta sit, & lamerationibus accommodata: prima enim eius constitutio fletus lamentationisq̄ causa facta est. Nam Aristoxenus in primo De musica, Olympum tradit, in Pythōis sepultura cecinisset tibia secundum Lydiū modulū funerals. Hac Politicorū octauo Aristoteles de Lydiā mixta etiā comprobauit. Compositam uero & mediocriter afficere Doricam retulit. Phrygiā distrahere animum, & rapere. Quam obrem non rectè uideri Socratem in republica eam admisisse modulationem: Subdorium & subphrygiū uocat Aristoteles idem in quæstionibus encyclijs, astruens ea in tragœdijs non esse choricā. Subphrygiū uidetur dici modicè remotum à uero naturaliq̄ phrygio. Mixolydius itē modus commiserationis est, ac tragœdiæ congruens. Hunc Sappho inuenisse prima traditur. Damon uero Atheniēsis, ut pleriq̄ consentiūt, remissam reperit harmoniā, quæ mixolydio contraria est; iados autem per similes. Sunt qui Lydiā modulationem ab Cario Iouis, & Torthebiæ nymphæ filio primum repertam uelint: qui quum forte erraret, incidit in paludem; quam mox de matris nomine Torthebiā

D thebiā

rhebiā fuffit appellari: ubi, quum nympharum, quas etiam Musas interpretantur Ly di, ut auctor Stephanus est, praeſuaues inaudiffet cantus, edidicit, atq; itē reliquis inſi nuauit. Memoria proditur id quoq; in Torrhebia palude, seu lacu, quē dici item nym pharum uolunt, eſſe nympharū inſulas, quā tibiārum cantu in ambitum motentur; pro ptereaq; Calaminas uocari à calamis: atq; item Saltares, quoniam in ſymphoniā can tu ad iſtus modulantium pedum mouētur, ut Plinius ſcribit: tam eſi à calaminis diſtin guere uidetur. Clonas elegus poeta & epicus tibiānicas regulas & concentus conſti tuiffiſſe memoratur primus, ſicuti Terpander citharædicas leges princeps omnium per ueſtigaffe narratur. Elegias, heroica item carmina Polimneſtus Colophonius. Sunt ta men qui elegum carmen primitus enunciātum tradant, à Naxio quodam Theocleſi re nte, ſiue iſ fuerat Eretrienſis, aut ab Callino, ſicuti Terentiano placet: ac inde ab Ho ratio dictum in Arte poetica, ex hac opinionum inter auctores in conſtantia:

Quis tamen exiguos elegos emiferit auctor,  
Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Olympus Phryx tibiānicam primus ad Græcos intulit, & dactylos Idæos, Midæ re gis temporibus, & tibiālem inuenit legem, quæ polycephalos dicta eſt, forte non di uerſa à nomo, quem xynauliam ſiue ſynauliam uocant. Ea uero eſt, quum tibiānes duo incinunt idem: aut certe, ubi cithara & tibiā concentum faciunt. Fuit autem Olympus hic Marſiæ diſcipulus, & ἀλγητικὸς νόμος ſcripſit, & θρηνητικὸς, id eſt, tibiānicas leges & lugubres. Tibiā uero uſum Hyagnim primum uolūt, aut (ſicuti Apu leius inquit) primus in canendo manus diſcapedinauit. Primus duas tibiās uno ſpiritu animauit, primus dextris & læuis foraminibus acuto tinnitu & graui bombo concen tum muſicum miſcuit. Porro ſunt qui Apollinē non citharam modo, ſed etiam tibiā in ueniſſe tradant, Cui rei argumento ſit ſimulacrum Deli, cuius dextra teneat arcum, læua gratias ſuſtineat, quarum ſingulæ ſingulæ muſicæ inſtrumētā manibus geſtarent, una lyram, tibiās altera, media fiſtulam teneret ore. Puerum præterea, qui laurum tem picam Delphos inferebat, tibiācē pone affectabatur. Et quæ ex hyperboreis ſacra mit tebantur, non ſine tibiās, fiſtulis, citharis fuiſſe memorātur. Sunt autem fiſtulæ, quas ſy ringas uocant, generis non unius: eſt enim quæ dicitur monocalamos, à Mercurio in uenta, ſicut à Sileno polycalamos, à Marſia cerodetos. Scire conuenit tamen, ſyringos notionem eſſe non unam, quippe eſt quando appellatione ea in rotæ foramen iniecta portio axis intelligatur, quā & foramen ipſum. Meminit Sophocles,

Καὶνθ' δὲ τὸ αὐτὸ ἐσχετὸν σὺλλω' ἔχου,  
ἔχου π' αἰ σὺειγα.

Oblongior item foſſa dicitur ſyrinx, ſed hæſtæ reſpoſitorium quoq; Syriſten uocant in ter græſ marem, id eſt *συρισην*. Syriſcum eſſe uas tradunt plexile, in quod conſiciantur ſici: ſed hyriſcum pronunciant aliſ, Syriam pro craſſiore accipiunt indumento, pin guioreq; à *σσύρην*. Vel quod in Cappadocia, quam Syris contribuunt, conſici ſole ret. *Symæa* in Lacedæmone certamen erat, præmio propoſito, quod ex farina & mel le, nuncupant ſyrmeam.

Quæ muſica probis admittenda moribus: item quæ inſtrumēta ceteri im proba debeant. Magadis, magma, ecmagma, crocomagma, ſpadicarij. Quin tilianus declaratur de ſpadicibus. Hypoſpadij, tibiā, paſtides. Baia. Baſus color. Balius. Baliç equi. Barbitos, brabyla, pſalterium, naua, nablas, nabli ſte, panduriſte, crembalum, ſambyce. De iynge plura paulo, & uulgata mi nus. Quintilianus locus de pſalmate, ubi plaſmate forſan reponēdum, quod quibusdam placet.

Cap. IIII

**A**ETERŪ iſs omiſſis forte præſtiterit, Ariſtotelica ſubtexere placita: Melorum (inquit) diſtinctionem, qui in philoſophia uerſantur, eam afferunt: ut aliam dicant moralem: aliam effectiuam, id eſt *πρακτικῶν*: aliam uero *ὑποουσιαστικῶν*, hoc eſt abſtractiuam. At Cato De liberis educandis: Melos alterum, inquit, in cantibus bipartitum eſt: unum aſſa conſtat uoce, alterum uocant organicon. Proinde pergit Ariſtoteles: Tibiā in diſciplinam recipiendæ non ſunt, nec aliud arti ficioſum inſtrumētum, ut eſt cithara; uerum quæ auditores efficiunt bonos, tibiā pro ſus

ſus moralis non eſt, ſed magis *ὑγιαστικῶν*, id eſt concitatrix. Adde quod & ſermone uti prohibet, & faciem deformat ita, ut ne à familiariffimis quidē pernoſcaris. Propterea apud Plutarchum Alcibiades inquit, filiſ Thebanorū quum diſputare neſciāt, egre gie tibiās utantur. Quin & à Pallade, idem inquit Philoſophus, nō alia magis cauſa ab iectas tibiās, quas illa reſererat: ut ipſe uult ex fabula, quam *ἡσὲ τὴν ἀγνημοσὺν τὸ πρὸσώπου*, id eſt ob faciēi deformitatem. Tibiārum conſuetudo cœpiſſe uidetur poſt Medicas uictorias, quum Græci iam de ſe magnifice ſentirent, deſita uero Athenis di ſciplina ea, Alcibiade auctore, quum percreuiſſet, ab illo abiectas infractasq; tibiās, pudēſactō deformitate oris. Quod in commentario Pamphilæ nono & uigeſimo ſcri pum fuiſſe, adnotatum Gellius reliquit. Improbata item ſunt & inſtrumēta alia, ut pa ctides: quanquam apud Poſtucem ſcribitur *πυκτίδες*, apud Plutarchum item alicubi. Eſt uero organum dichordon, ut ſcribit Sopater: quod & magadis eſt, ut arbitratu r Sappho: Ariſtoſenus diſparaffe uidetur, quum ait, Magadin & paſtida ſine pleſtro *πὲ νίρε* in uſum pſalmo tātum. Ab Herodoto proditur libro primo, in bellum pergere ſo litum Halvattem fiſtulis præcinentibus, ac tibiās, & paſtidibus, quod eſt ſidibus, ſicut interpretatur Valla. Paſtida legimus in Theocriti epigrammate. Scribit Anacteon, eſſe magadin pſalticum organum, à Lydis excogitatum, unde eſt apud Theophilum *μαγαδικῶν* uerbum, quod magadin pulſare ſignat. Alicubi tamen Ariſtoſenus, aucto re Athenæo, pro eodem uidetur accepiſſe. Sunt qui paſtides uſam in primis Sappho tra dant. Organa hæc liquido diſtinxit Diogenes tragicus, atq; item Phyllis Delius in ſe cūdo De muſica. Magadin nuncupatā credit Duris à Magdie, qui fuit genere Thrax: Magadin eſſe pſalterium, putat Apollodorus. Magmata uero Græcis unguetorum di cuntur feces: ſicuti ecmagma uocatur conſperſio, & ſubacta maſſa, quāquam Galeni aſtipulatu crocomagma eodem ceteris nomine: quod crocini olei fecem indicat. Sed & barbati, & quæ ad uoluptatem tendunt, heptagona, trigona, ſambyce: poſtrēmō quæ chiturgicam depoſcunt ſcientiam, hoc eſt peritam manuū geſticulationem, omnia reſiſciuntur. Euripides eos coarguit, qui lyra in poculis utuntur: Ad iram enim (inquit) potius, lucumq; adhibenda muſica eſt, non in ſuper cantu addecet ſoluere, qui iam uo luptatibus diſfluunt. Fabius quoq; muſicā reſiſcit ab oratore ſuo, quem perfectum con cipit & format, quæ in ſcenis effoeminata, quæq; impudicis fracta modis ſit. Item pſal teria & ſpadicas; etiam uirginibus probis reſcufanda ſcribit. Quum tamen in Them ſtole Plutarchus illum ſcribat neſciſſe lyra uti, ac pſalterium tractare. Verum quia in Quintilianum impēgimus, & locus hic quem aduocauimus, adhuc faciſſit negocium multis, non ſatis percipientibus, quid ſibi uelint ſpadices hac parte, quum ſcribat Gel lius: Spadica eſſe Doribus auulſum è palma termitem cum fructu. Atq; item in libro ſe cundo, eſſe punice coloris ſpeciem. Nam & enarrator Maronianus, ubi Georgicon tertio, Poeta de equis ait:

Honesti spadices, glauciç.

Spadices, inquit, phoeniciatos uocant, id eſt profeſſos myrteos. Ad quod item ſpecta re illud Firmici contenderim ex Matheſeos tertio, qui Venereſ reſcufens decreta per ſingulas caeli ſtationes, illam facere quādoq; linteones ſcribit, ac plumarios: quādoq; uero tinctores, & ſpadicarios, aut textores, uel pigmētōrum inuētōres. Verum ut ami bigere tādē deſināt, ex theſauris Iulij Pollucis nubilum omne tollemus. Sicut etiam teſtati abunde ſumus in gymnaſio Patauino, quum Oratoriās inſtitutiones prouincia libus magno numero explicarem. Nam inter organa muſica, ſpadix ab illo reponi tur libro quarto, ubi ita ſcribit. Inter ea quæ pulſantur, eſt lyra, cithara, barbiton, quod ipſum & uarymiton dicitur ab Anacreonte excogitatū primo: uel (ut Pindaro placet) à Terpandro, ut eſſet paſtidi Lydiæ *ἀντιπλοῦν*. Barbilos autē, ſicuti ex decimo *ἐκ λογῶν περὶ γεωργίας* dicimus, uocatur de oſſe perſici enata arbor. Brabyla uero ſunt Theocrito, quæ communius coccymela dicuntur, id eſt damascena pruna: unde impe ritionibus nonnullis obrepliſſe opinor, ut id genus poma uocent brombas. Chelys, pſal terium, phoenix, ſpadix, lyrophœnicū, clepſiambus, pariambus, ſambyce, ſcindaſpus, epigoneum. Palmarum porro cum fructu termites baia quōq; nūcupant: unde prære pſerit baſus in equis color: quāquam & balius dicitur, ſed uariuſ Euripidi intelligitur. Baliaſ ceruam legimus, id eſt *κατάσιπυ*. Balius uentos accipiunt uiolentos; nam &

balias equos, celeres intelligunt poetæ. Hypospadij, ad spadicas nil pertinent. Sunt tamē eo nomine, quibus ab ortu οὐρῶν, id est urinæ meatus demissior est, sub eum qui dicitur Canis. Psalterium uero, quod improbasse Fabius uidetur, sicut & M. Tullius De responsis aruspicum: alio modo etiam nauia dicitur, unde nauia quoq; deducatur, diminutiua forma. Nam Ouidius ita cecinit De arte libro tertio, Disce etiam duplici genitalia nauia palma

Vertere, conueniunt dulcibus illa modis.

Quæ quidem mire congruunt uerbis Quintiliani, Naulæ uero meminist etiam Philemon, ut refert Pollux: & Sophocles,

οὐ ναύλα κωκυτοῖσι, οὐ λύρα φίλα.

Nablas legitur apud Athenæum, quem excogitarint Phœnices primū: unde & nablistæ, sicut panduristæ, à pandoro uel pādura, ut est apud Varronem & Martianū, quam ex marina lauro compingunt Troglodytæ. Vnde nouatum Lampridio pandurizare uerbum, id est panduram pulsare. Sunt tamē qui à psalterio nauia distinguunt: quādo psalmi concentu, & modulis instrumenti eius canebantur. Et in magno mysterio, magnū prophetam eodem usum, prodit historia. Alexander organum dici, nihilominus conuiujs inferi solitum ad libidines excitandas, Ambrosius auctor est. Id comprobasse & Macrobius uidetur in Cœnis, libro tertio. Propterea ex ijs perpēdendum amplius, an in Quintiliano, ubi de carminum lectiōe agitur, sic legi omnino debeat. Nec psalmate, ut nunc à plerisque fit, effœminata. Cæterum publica lectiō psalmate præfert, ac qui hætenus sunt interpretati, sic agnoscunt prorsus. Psalterij meminist in Symplicio Plutarchus. Quidam laudatorum item uocant. Videtur decem chordis fuisse instructum ex illo prophético: Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite ei. Hinc forte polyphthonga uocauit ea in Moralibus Plutarchus. quō in loco etiam tribona inter musica recenset instrumenta, id est τριβωνα. Psalmum proprie Græcorum scientissimi ex grammaticis citharæ interpretantur sonum. Octauam esse musicum instrumentum, de chordarum numero ita ex Hebraica tralatione nuncupatum, super Psalmos scribit Nicolaus theologus. Lyrophœnica sambycem nominat Athenæus, ac fuisse Ibici poetæ Rhegini inuentum, tradit. Fuit & crembalum organum, unde κρεμβάλιστρον uerbum, eo sonum elicere indicat. Sambyce usam primo sibilam, produnt aliqui, à Sambyce quodam inuēta, unde & nomen. Est uero organum id, oxyphthongon, quo tetrachordo Parthi sint usi, ac Troglodytæ. Sunt qui iynga fuisse antiquis citharam cantus prædulcis tradant, ut inde omne quod expertas iucundius, recte iynga dicas. Cæterum autij genus hoc nomine intelligunt alij, caudam perpetuo quatientis conciliantisq; amorem. Est porro plumis uarium, colli ac linguæ productio ris, sed collum identidem circumagit inflectitq; philtris accommodum & excantaminibus amatorijs: pendens enim ex rota agitatur, aut cum cerea amburitur rota super ar dentes prunas. Tradunt alij, eius interanea explicari rotæ circumuoluta. Auem hanc præmonstrasse Iasoni Venus dicitur prima, uti Medeam præmulceret. Putant illud quoq; iynga puellam fuisse Pithus uel Echus ex Pane filiam, quæ cum pharmacijs in ijs amorem proleclasset Iouem, ab Iunone sit in uitiam sobolem adoptata. de hac Aristoteles quoq; ac cæteri nonnulli. Quin traditur illud quoq; Omne medicamentū amicitia conciliandæ adiectum, recte iynga uocari.

Fabij locus ex primo libro explicatur. Vocis figura triplex. Dicrotos pulsus. Vocem quandam dici dendryazusan. Dorcadissans pulsus qui. De cyano non nihil scitu haud indignum prorsus. Vocis abscissiones quæ intelligantur. Cap. v

**M**erum quia Fabij nodū paulo ante exsoluimus, & sermo de musica est, age locum haud paulo implicatiorem auctoris eiusdem explicare pergamus alterum. Sunt autem Quintiliani uerba ex libro primo hæc, Sit autem lectio uirilis, & cum suauitate quadam grauis, nec profæ similis, quia carmen est, nec tamen dissoluta in canticum: de quo genere (inquit) optime C. Cæsarem prætextatum adhuc accepimus dixisse, Si cantas, male cātas; si legis, cantas. Hæc nisi quis altius introspe-

introsperit, & ad exactiorem libram reuocari, non satis profecto nobilissimi auctoris sentia penetrat, cupiatq; apertioribus (ut dicitur) tibijs enarrari. Quare, quod nobis muti insinuarunt magistri, quod & in alijs fecimus; faciemusq; iam hinc appingemus. Sic igitur legimus, Vocem omnem aut esse σιωπή; quæ continua; aut διασπασμένη, quæ dicitur cum intervallo suspensa. Et continua quidē est, qua loquentes, uel prolam orationem legentes, uerba percurrimus: festinat enim, præpropera q; tunc uox est, nec hæret in acutis aut grauibus sonis, sed celeriter omnia connectit, expediendisq; sensibus, exprimendisq; sermonibus continuæ uocis usus operatur. Diastematice autē, siue interuallata est, quam canendo suspēdimus. In qua non tam sermonibus, quam modulis inseruimus; estq; uox ipsa tardior, & per modulandas uarietates quoddam faciens interuallum, non taciturnitatis, sed suspēse ac tardæ potius cantilenæ. His, ut Albinus autumat, & auctor comprobatis Boetius, additur differentia tertia, quæ medias uoces possit includere, quum scilicet heroum poemata legimus: neq; continuo cursu, ut profani; neque suspēso seigniori q; uocis modo, ut canticum. Scribit in Lexico rhetorico Aelius Dionysius, à phonascis uocem quandam dici διασπασμένη, id est amœnam, ut uolunt aliqui. Est utiq; διασπασμένη, sub quercus aut arboris cuiusuis umbram humiliter confugere, quod ante inuentas domos fecisse ueteres, constat. Signat id item uerbum, in aquam mersari oculiq;. Nec sane mirandum, ex arboribus ad uocis rationes uocabuli factam tralationem: quando & apud medicinæ peritos ab animalibus ad pulsus indicia conformantur quandoq; dictiones. Nam, inquit, si arteriæ motus non perseveret continuus, & intercisis à celeritate transeat in tarditatem, aut ediuerso, ανισοπαχὺς appellatur pulsus hic, id est inæquiuelox. Quod si interuallatus conqueiscat, ac mox cooriatu uelocior; διασπασμένη uocatur, id est dorcadissans. Quæ nuncupatio de animalis producta in cursu natura est. Dorcada Hieronymus capream interpretatur. Origenes, πέρρα δὲ ὄφθαλμοῦ δεικνύει, dici opinatur. Si uero à diastole recurat, priusq; quàm omnino contrahatur, rursum percutiat ἀφω, id est tactum, δίκροτος uocatur à percussu geminato. Nam & dicroton dici birem, ex humanioribus ignorare potest nemo. Microsphyctos uocant, quis pusillus est uenarum pulsus. Plura sese ingerunt multo, uerum ne hæc quoq; modum excesserint, ut par erga, uehementer sum ueritus. Sed illud non præteritum in tanta musices mentione, moleste (opinor) feret nemo, canentem cycnum à paucissimis auditum, etiam si uulgatior fama tenet, ingruente fatali momento, εὐφρονότατον καὶ ἀδικώτατον εἶναι τὸν κύκνον, id est uoce cantuq; præcipue præfate cycnum. Auctor tamen primo Variæ narrationis Aelianus est, audisse quandoq; se canentem cycnum. Sic enim ait, ἐγὼ δὲ ἀδούσῃ κύκνου ἠκουσα. Quoniam uero animal sit φιλοδούον, Græci κύκνου uocant eius melos. Appendix autem illud erit, ab Aristotele cycnum uocari καλλιπαιδία καὶ πολυπαιδία; quia plures producat, & speciosos foetus. Quam porro retusam uocem dicunt Latini, φωνὴ ἀποπνεύς, id est uocis abscissiones appellare Græcis est mos, id est maximam quali raucedinem. Apud Theopritum uox trychna, uelut strychna, pro molli usurpatur, quia eiusmodi censeatur herba strychnos.

Musica triplex. Organorum item musicorū distinctio. Cruomena, enchoria, profoda, pneumatika, hydraulika, citharodia, aulodia, lyrodia, profodia. Citharis, cithara differunt. De lyrio, & loto. Lotages, Spodalia. Ciceronis locus explicatur. Cap. vi

**S**unt porro è celeberrimis auctoribus, qui musicā esse triplicē tradunt: mundanam, humanam, organicam. Et mundanam quidem ex cælorum concentu inenarrabili deprehensam astruxere; nec non ex elementorum nexu multo subtilitatis immensæ. Sed & mira temporum uarietas id ipsum iuuat argumentum. Quo enim pacto fiat, ut tantorū orbium rotata uertigo, tacito, silentiq; feratur ambitu, etiam si nobis minus audientibus, miranda sonorum transeat iucunditas? Hanc Plato asseruit, hunc consecrati omnes approbarūt, nec Boetio displicuit, etiam si sæpe Aristotelico. Tradere Homerus quoq; est uisus, Heraclito Pontico interprete, quum de Apolline in Græcos irruente, ita canit,

ὠκλαβαν δὲ ἄρ' ὄισοι ἐπ' ἄμοι χαομαλίοισι

ἐν τῷ λινθόγυτῳ.

D 3

Humana

Humanam uero musicam facile perceperis, si in te ipsum (quod Perlius inquit) descendere incipias, & miraculum diuinum amplius expendas. Etenim quæ uis alia spiritalem uigorem mentis compotem, mortali ac terrenæ compagi fermentat, adglutinat, continet, ad præscriptam perducit metam, nisi coaptatio quædam, & ueluti grauium leuiumque uocum, quasi unam efficiens consonantiam temperatio: Quid animæ potestates tam dissidentaneas, & compugnantes sæpe conspirare facit: quam ex rationali, & rationis impote ui consilari, Aristoteles sensit, & docuit: Quid uero corporis elementa conciliat, aut rata firmaque fermentatione continet partes: Quam uero organicam nuncupant, eam iam ad instrumenta spectat, quæ uarietatis summæ pro ingeniorum captu artifex peritia excogitauit. Hæc uero aut intentione perficiuntur, ut neruorum cõtemperato tractu, aut spiritu, ut in tibijs uel his quæ aquæ constant ratione; aut percussione quadam, ut in his quæ uirga ærea feriuntur. Quæ neruis intenduntur, cruomena uocant, aut enchorda, uel etiam *ψαλτα*, & profoda, id est *πρόσωδα*. Quæ spiritu inflantur, pneumatica dici ualent: uel, ut Plutarchus, *εμπνευστα*. Sicut quæ propellit aqua, hydraulica, etiam si in architectura sua item sunt *πνευματικά*, & hydraulica instrumenta, à Ctesibio excogitata primum, ut Vitruuius scribit: & est à Plinio repetitum Naturalis historiae septimo. Domus, inquit Ammianus Marcellinus, studiorum ferijs cultibus antea celebratæ, nunc ignauia ludibrijs torrentes exundant, uocali sono, perslabili cantu fidium resulantes: denique pro philosopho cator, pro oratore artium doctor ludicrarum accitur. Et bibliothecis sepulchrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricantur hydraulica, & lyrae ad speciem carpentorum, ac ingentes tibiae. Citharis & cithara diuersa sunt, ut scribit Aristoxenus in commentatione *πρὸς ὀργάνων*: nam citharis lyra est, qua utentes uocantur citharistæ, quos & *λυρωδούς* dicunt. At cithara est, unde citharœdii uocantur. Distinctionem hanc cõtra Timarchum agnoscit Aeschines, & ab Ammonio repetitam scio. hinc citharæ cantus, citharodia nominatur: sicuti tibiae, aulodia: lyrae, lyrodia. Critias uero citharœdicos cantus etiam profodias appellauit. Ex grammaticis thesauris illud est, à lyra dici lyrion, forma diminuta, ut à thyra thyrion, à come comion, id est uiculus. Erant & loti tibiaram genus epithalamium: ut illud in Epigrammate,  
*λωτοὶ ἄρχου, καὶ θαλαμῶν ἐπλατταμένω θύραι*  
 id est, insonabant loti, & thalamorum perstrepebant ianuae. Sunt tamen qui in loto priorem corripiant syllabam, ut *λωτὸν ἢ πνεύματα μέλωσι*, & esse calamiscum interpretentur, unde dicantur lotages, qui lotum exercent. Spondalia, sunt spondaica ratione concinnati cantus, quibus utebantur in rebus diuinis, ut melodijs longioribus prospera deorum uoluntas firmaretur: qua ratione Pompilius Numa spondeum & pontificium dixit: unde Ciceroni lux infertur De oratore libro secundo: Quum ex persona, inquit, mihi ardere oculi hominis histrionis uiderentur spondalia illa dicentis.

Tibiaram species. Proverbium, Quid opus erat longis me tibijs incinere? Plagialos. Hippophorbos. Tibiaram inuectores. Sirites. Phorbion quid, Photingia. Papinij ex Thebaide locus explicatur. Proaulion quid. Proœmium. Prologus. Item diaulion. Thebanorum in tibijs præstantia. Item Pronomi tibiicinis. calamaules, rhapsaules, matroa, diopi, gingras. Tibia dextra, & sinistra. Athena tibia. Tibiæ pares, uel impares. Cantica. Diuerbia. Thebanorum uituperatio. Glottocomion. Sibene. Crupezia. Tibiaram longarum in sacris usus.

Cap. VII

**T**ibiaram uero species inuenio plures. Sed prius Dionis proferamus historiam & enarrationem: Quum post arreptum, inquit, imperium Otho sacrifici caret primo, dira portendi animaduertit: quamobrem facti poenitens, *πρὸς με*, inquit, *ἔλα μακροῖς ἀλοῖς ἀλλεῖν*; quid erat opus longis me tibijs incinere? Est hoc, inquit Dion, parœmiodes in eos, qui extra quam sit eis accommodum, quippiam adoriuntur: id est, *ὡδὲ πρὸ ἐξω τῆ το πρὸσφύρον σφίσι ποιούτων*. Tanquam dicas, Quid necesse fuit imperium inuadere, ac pro adepto dijs sacra obire: quum omnia celsura in perniciem uideantur? Verum ad tibijs redeo. Est quam Libyes plagialon uocant, ex loto. Elimos ex buxo est, inuēta à Phrygibus. Sicut hippophorbon sceneta Libyes excogitarunt, & in equorum pabulis utuntur, sit ex lauro. Phorbion, ut hoc interim

interim non taceamus, uocant Græci, ut Aristophanis enarratores explicant, tibiicinis ori circumpositam pellem, ne rimam concipiat labellum. Monaulus Aegyptiorum inuentum est, hoc est Osiridis, ut aliqui interpretantur, qui & photinga excogitauit etiam, unde & photingia. Sunt autem ex loto, inde & lotinae tibiae dicuntur. Meminit monauli in Thamyre Sophocles. Censetur uero hæc nuptialis maxime, Tityrinon quidam item uocant. Fuit uero monaulus, qui postea dici coepit calamules, id est calamo incinens. Nam rhapsaules est, qui calamen inflat, id est stipulam. Tibiam poetæ etiā Libyn uocant, ut scribit Duris: quia Sirites aulicæ inuentor, Libys esset, Nomadum unus, qui & quæ matroa uocantur, id est *μυτρώα*, cecinerit primus. Matroum apud Smyrnæ celebrat Strabo *μωτραφουμένων* libro quarto decimo. Interpres eo nomine matronarum accipit locum. Ipse malim Matris deum sic templum dici, quod alicubi hoc opere liquebit, Scribit Plutarchus, Lycurgum rhetorem ubi iam è uita demigrandum aduertit, in matroum ac buleuterium ferri se iussisse, ut eorum quæ in republica gessisset, poenas daret, si quid foret delictum. Phryges item tibiā inuenisse lugubrem memorantur, qua & Cares sunt usi: flebilis enim Carum incitio. Produnt ex nostris etiam nonnulli, Lydijs tibijs læta concinere, ueteris fuisse moris, Phrygijs uero tristia: quoniam tres haberent tibiaram modos, Ionicum, Lydium, Phrygium, quod & barbarum. Ex ijs uero innotescit amplius, quid sibi Papinij uelit, quum Thebaïdos sexto ita canit Quum signum lucis cornu graue mugit adunco Tibiā: cui teneros suetum producere manes

Lege Phrygium mœsta.

Dignum scitu quod tertio Rhetorico legimus apud Aristotelem, quod ne interciderat, hic protinus implantabimus. Proœmium, inquit, est orationis exordium: id in poesi nuncupatur prologus: in tibiaram uero incentione, proaulion: quod (inquit) liberum est, sicut in demonstratiuis principia. Sed ad rem. Tibiaram quasdam legimus uocari parthenias, quasdam uero pædicas: item Andrias, quæ dicuntur telia & hypertelia: sunt & citharisteria, ac dactylicæ. Nam Phrygijs etiam elymos dicunt. Habentur & diopi, musocopi, & hyporetæ, necnon hemiopi. Diopos bifores intelligimus, sicut semifores hemiopus, quæ epulis adhiberentur. Proinde in Plauto sunt, qui semisonarios artifices ad hoc referendos putent. Elymos etiam scytalias dicunt. Theriam tibiā ex hinnulorum ossibus, concinnarunt Thebani, ære obductam forinsecus. Cornu incinunt Tyrheni. Minutula tibia gingras est, flebilem & ipsa emittens sonum, à Phœnicibus comperta, unde & nomen: nam Phœnicum lingua, gingram uocant adonim. Gingricarum tibiaram meminit in Polyhistore Iulius Festus. Sed Pompeius Festus putat, ab anserum uoce nuncupatas: Qui, inquit, dicuntur gingrire. Meminit Athenæus: sed tibiā uocari gingros scribit. Tibia dextra, inquit Varro, alia est, quam sinistra: sic tamen, uti coniuncta censeatur, siquidem est altera carminis eiusdem modorum incitua, succentua uero reliqua: nam sic pastorum uitam dicimus incituum, quia uetustior: agricolarum, quod recentior, succentiuam: quam rem doctissimus comprobat Dicæarchus. Sic ergo pastoralis succinit agricolatio, ut inferior, sicut tibia sinistra dextræ foraminibus. Pares autem tibiæ dicuntur, uel impares: quoniā si quando artifex monodio agebat, unam modo tibiā inflabat, si quādo synodio, utranque. Monodiū intelligo, quum unus aliquis è scena cātum profert, nec chorus simul. Porro ubi canebat chorus, tibijs choricis, id est choraulicis concinebat artifex. In canticis uero pyraulicis responfabat, Cantica in Comœdijs intelligimus, ubi unus modo loquitur. Sicut diuerbia uocantur, quum diuersæ agunt personæ. In choris nullus est certus numerus. Scythæ androphagi & melanchlani, ac Arimaspi aquilarum & uulturum ossa tibiaram uice inflant. Celtae ex calamis fistula utuntur, atque item Oceani insulares. Apud Aegyptios polyphthongos tibia ex hordeaceis calamis compingitur. Fuit & tibia dicta Athena, qua Nicophelen Thebanum in Mineruæ hymnis usum memorant. Fistula, quam tonarion uocant, C. Gracho præcipuo suorum temporum oratori, musicus, quibus deberet intendi, modos incinebat. *Diaulion* in scena dicebatur, ubi tacentibus omnibus intus concinebat tibiicem. Thebanos præcipue inter Græcos tibiaram artificum musica præcelluisse: ac inter Thebanos Pronomum tibiicinem disticho comprobatur, quod & apposuit.

D 4 gratum

gratum, opinor, facturus toto pede cum Græcis, ut nunc est, contrahentibus.

ἐλλὰς μὲν, θῆβαιος πρὸ τῶν ἀσπιδίων ἢ αὐλοῖς.

Θῆβαιος δὲ, πρὸ νόμου, πρὸ δὲ τοῦ οἰνοῦ δ' οὐ

Alias Thebanis negocium facessunt auctores Græci, ut micropsychie ac gulae mancipatis: ut qui thria concinnarent, ac enarsilochos, & hallantas, necnon schelidas, quibus etiam Mardoneum exceperere cum Persarum quinquaginta. Tibiarum repositoriū uocant γλωφθόσιμου & σβύνην: nam crucezia, tibicinum sunt calciamenta. Tibijs incinuisse longioribus olim inter sacrificandum, Plutarcho credimus, & indicauit Dion. In tibicines illud est apud Græcos concinnatum,

ἀνδρῶν μὲν αὐλοῦ τῆρι θεοῖ νόμου οὐκ ἐπέφυσαν,

ἀλλ' ἄμα ἐπέφυσαν ἃ νόμου ἐκπέταται

id est, homini quidem tibicini mentem non ingenerarunt dii, sed simulac tibias inflat, diffilatur mens.

Nomos in musica quid. Nomorum species. De polycephalo & orthionō mo pluscula. Castoriū melos, Castoreum. Laconici regis mos. Pæanes duo in bello. Carnij moduli. Carnia festa. Carna dea. Augustini locus pensatur de Iano. Sciaes loca. Carneonica. Fabatiae calendæ. Caranus quid Persarum lingua. Noma, hyponomus, nomus. Hyponoma ulcera. Cap. viii

**N** Egimus præterea subinde in musica dici nomos. Id uerbum haud ita imbutis perpolitiscq; parere difficultatem potest. Proinde sciendum, in carmine, ac cantilena, nomon significare qualitatem uocis ac moderationem, qua uel remissiore uel acutiore utimur. Eandem itaq; cantilenam duobus tribusue nomis modulatur musici. Ratio autem nominis ea est, quia Græce nomos, lex est. Veteres autem prius quam literas scirent, leges cantabant, ne eas obliuioni mandarent: quod temporibus suis in more Agathyrlis fuisse, Aristoteles scribit. Ergo primas posteriorum cantilenarum eodem appellarunt nomine, quo omnes uocabantur superiores. Terpandri nomos celebrant Græcorū scientissimi. Alij a gentibus denominationem trahunt, ut Aëoliū & Bœotius: ab rithmis alijs, ut orthius & trochæus: alijs a modis, ut acutus & tetraœdus: alijs ab ipso & amasio, ut Terpædrius & Capion. Fuit & ab euentu nuncupatus Polycephalos nomos: nã obtruncata ab Perseo Medusa, inter superstites sorores luctus est exortus haud mediocris, sed & serpentum syrigmus, id est sibilis earundem inaudiebatur capite. Quo uelut concentu quum oblectaretur Pallas, ex imitatione aulicæ excogitauit, quam de serpentū numerosis capitibus etiam polycephalon censuit nuncupandam. Sunt quibus arrideat amplius, polycephalum dici, q; quinquaginta afforent uiri, incinente tibicinē, ex quibus constitueret chorus. Quidam etiam num λεφαλας procemia intelligunt, uelut procemijs multis constans cantus dicatur polycephalos, quem ab Olympo compertum memorant primum. Orthios dici uideatur, quod extensus foret ac robustus. ὀρθίον Græci dicunt, in altitudinem surrectum. Orthius, inquit Martianus, ex tetrasemi elatione, id est arsi, & octasemi positione, constat, ita ut duodecim tempora hic pes recepisse uideatur: propter honestatem positionis sic nominatus. Orthia tamen phalanx dicebatur, quæ procederet in cornu, profunditatem habens longitudine maiorem. Dianam orthiam Seruius fascelidem intelligi uoluit, ut quibusdam placere animaduerto. Orthiam tamē inuenio in Apophthegmatis Plutarchi, in cuius ara caderentur pueri, qui dicuntur Bomonica: quanquam in Lycurgo, augurij nuncupauit aram. Sudas nunc orthion legit, orthion quãdoq; quibusdam nomen inflectentibus a diluculo, quod uocant ὀρθιον. Scribit Pindaricus interpres, esse in Arcadia Orthusion mōtem, siue Orthion: unde Orthosia dicitur Pindaro Diana: quæ ab alijs etiam Orthia: ni, inquit, malis ita nūcupari, quoniam parientes surrigat. Orthia Dianæ meminit in Theseo Plutarchus. Sed interpres, orthium dici chorū est opinatus. Quæ de orthij etymo prius apposuimus, a Gellio comprobari uidentur, ubi ex Herodoti libro primo, super Arione fabella repetita, illū scribit, impetrato a nautis ut canere liceret carmen illius consolabile, tunc quod orthiū dicitur, uoce subtilissima cantasse. In quo aduertendum obiter, in septem sapientum conuiuio Plutarchum scribere, adortū Ariona nomon pythicon concinere pro sua & nauis salute. Pol-lux uero

lux uero tibias sonum, orthion dicit: unde, inquit, orthios nomos. Polymnestus orthiorum poeta celebratur. Nomi huius meminit in libro De regno Dion. Nomon hunc ad belli ardorem excitandū uim habuisse, scribit Eustathius: nam concinente Timotheo, uelut furens ad arma profilit Alexander. Significat ipsum hoc uel Homerus Iliados rhapsodia undecima. Meminit & Maximus Tyrius. Castorium melos Laconicū erat, quo utebantur in prælijs, ut fortiter & audenter agerent, mortemq; contēnerent: sicut Plutarchus abunde testatur. Quin & rex ante quam pugnas iniret, rem diuinam Musis faciebat, quo & oratione & memoria in primis digna promerent facinora. Græcorum autem mos fuit, duos concinere pæanas, Marti quidem in hostibus congregiendis, Apollini mox bello absoluto. Illum priorem, enhyalium uocant. Castoreum autem obiter testes intelligimus animalis fibri, siue castoris: uti libro trigesimo secundo Plinio traditur. Virosa castorea ex Ponto mitti cecinit Virgilius: quando, ut scribit Strabo, inibi uenosa habentur. Castorium deniq; melos dici interpretatur, quod armatam saltationem Dioscuri cōpererint primi, quum ἐρχαστοῖ forent plane. At Dioscuris Palladem primam Enoplion incinuisse nomon, prodidit Epicharmus. Ex quo præcinente tibia, congregi cum hostibus adorti Lacones sint. Est & castorum insecturæ species. Castoreum colorem Græci cinereum intelligunt. Carnios item modulos legimus quandoq; cōstabant hi, ut uidetur, neruis pluribus: nam Timotheū carnis id genus deditum modulis Ephorum unus, arrepto gladio interrogauit, ex utra parte neruos abscinderet, qui superessent ad septē. Carnia uero festa item erant Spartæ (ut puio) Apollinis, qui etiam carnis dicebatur. Militaris uitæ imaginem ea præferabant. In nouem locis, quæ Sciaes dicebantur ab umbra scenicæ similitudine, nouem epulabantur uiri, diebus nouem. Inuenio apud Græcos, Carneā primum uicisse Terpandrum. Hinc certe nuncupatos scimus Carneonicas. Carneorum deniq; mentio est Herodoto libro septimo, atq; item octauo. Carnios sacerdotes fuisse apud Sicyonios, auctor Eusebius est. Praxilas ait, a Cranio nominata Iouis & Europæ filio, quem amaue-rit Apollo. Alcman, a Caraneo Troiano. Demetrius, a κερναι, quod est κερναι. Si quidem Menelaum memorant, ad Troianum bellum profecturum festa hæc uouisse, si rem perficeret. Sunt qui Carna dici putent a Græcis festa, quoniã equus dureus e carnio ligno fuerit compactus. Carna uero dea erat in Latina historia, quam uitalibus humanis præesse credebant. Ab ea petebatur (Macrobiius inquit) ut iocinora, & corda, quæq; sunt intrinsecus uiscera, salua conseruaret. Huic templum dicauit Brutus, quia cordis beneficio publicum statum emendasset. Hanc esse cardinis deam intellexit sexto Fastorum Ouidius. Et Iunias calendas, quas uulgo Fabatias dicunt: quia fabæ adultæ diuinis adhiberentur rebus, illi sacras ueteri tradidit ritu illis uerbis: Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc est:

Numine clausa aperit, claudit aperta suo. Iani porro cum hac concubitu celebrat idem poeta. Quod ignorasse Augustinus uideatur quando Diuinæ ciuitatis septimo ita scribit: De Iano non mihi facile quicquam occurrit quod ad probum pertineat, & forte talis fuit, ut innocentius uixerit, & a facinoribus flagitijsq; remotus. Sed in magnis uiris hosce uelut neuos haud mirer, quãdo & Hieronymus uir in doctrinis tantus, apud auctores de Lyncurio nil sibi cōpertum fatetur: quum tamen lapilli mentio sit apud Theophrastum & Plinium. Carnius mensis fuit Græcis, quæ Metagitonica dicebant Athenienses: Maium interpretantur nonnulli. Quod uero de nomo diximus, sciendum, affectionem esse quæ Græcis dicatur νομῆ: quam Therapeutices quinto Galenus esse finit, quum putredinis metu adhibere cauterium cogimur. Sic autem dicitur, quoniam depascens proxima, serpat assidue ab his quæ affecta sunt, ad ea quæ ritu naturæ se habent: re uidelicet ab accidenti præmonstrata, non de substãtia nomine accersito. Significare ipsum hoc & Plinius animaduertitur, quum libro uigesimo, mala corporis quæ serpant, dici nomas, tradit. Hyponomus ad præsens institutū pertinet nihil: sed de eo nomine Thucydidi signatur subterranea cauitas occultior: unde ὑπονόμεον, id agere est: cuniculum interpretari possumus. Nomos item, accentu uincula in fine posita, Plinio præfecturam indicat: quando & Diosdorus Aegyptū in sex ac triginta distribuit nomos, id est leges, si interpreti credas. Sa-trapias



trapias nuncupat Herodotus quoq; Hyponoma *ἑλληνική* Græcis, cuniculosa interpretantur nostri, ut quæ indirecta flexibus multis carnem subeant.

Arcadum studia in musicis, Virgilij locus enarratur ex Bucolicis. Artificum musicorum vituperatio, ex Plutarcho. Aristotelis sententia ad id ipsum De Stratonico citharædo iucunda lectu. Fides frustra pulsare. Bos lyricus. Blityrion. Blityri. Scindapfus. Cap. ix

**M**usicam, si ueram expendas atq; legitimam, uniuersis hominibus conferre plurimum, constans bene sententiæ opinio est. Arcadibus uero inquit Polybius, & necessaria maxime. Proinde ita receptum moribus apud eos est, ut non pueros modo, uerum & adolefcētes ac iuuenes ad trigésimum usq; ætatis annū ea disciplina imbuendos curent, quum sint alioqui difficilis uitæ homines austeriorisq; Cantu & choreis Libero patri ludos cōcelebrant, singuli pro ætatis ratione. Deniq; uita omnis id genus cantionibus studijsq; impenditur. Cæteras artes apud eos ignorasse, nulla prorsum ignominia est. Musicam nescire nemo potest, quia necessario discitur. Eius imperitiam sateri, illic turpissimum est: nec id lasciuia causa, uel deliciarum, sed ut labores assiduos in colendis agris, & uitæ præterea duritiem atq; asperitatem, & austeriores mores ex cæli tristitia quadam provenientes, hac quasi dulcedine remolliant, ac contemperent. Huius autem rei argumentum ingens ex Cynethensibus est, qui quum instituta maiorum peruicacius asperrari cœpissent, in eam breuifertitatem abiēre, ut in nulla Græciæ totius ciuitate scelera maiora, aut crudelitatis exemplæderentur immittora. Ex ijs uero quæ ex Polybij historia subsignauimus, dilucere manifestius opinor, cur uates Mantuanus in Bucolico ludico subinde in cantilenæ mentione Arcadas plurimis efferre laudibus non desinat, ut etiam ita enuntiet.

Soli cantare periti Arcades. Et rursus, Arcades ambo, Et cantare pares.

Certe musica, particeps disciplina est: ut præclare docuit Aristoteles: item ioci, & rationis oçij degendi. At enim cantores & citharædos sunt qui *δουλοῦσιν* uocent, hoc est uiles; & opus illud non putent uiri, nec sobrii, sed iocantis, argumento quod Persarum Medorumq; reges per alios id tractantes, uoluptatis sunt participes. Præterea de dijs ita opinamur, ueluti Iupiter ipse nusquam concinat, aut cithara utatur, uti statuit poetæ. Porro ut Plutarcius scientissime docuit, quod & alibi communimus, contemplari optima semper debemus, ne cōtemplemur solum, sed nutriamur quoq;. Hæc uero sunt in operibus, quæ à uirtute proficiscuntur, quæ aspectu ipso æmulatione quadam & stimulos ad imitandum iniiciunt: in reliquis uero etiam si admiratio insit, tamen sæpe contrarium euenit. Operi namq; afficimur, eius auctorem contemnimus, ut in uigentorum, ac purpuræ ratione: his enim oblectamur, at insectores & unguetarios fordidos ducimus. Ex quo sapiens id cœsetur Antisthenis, qui quum Ismeniam optimum audisset haberi tibiacinem, At homo nequam est, inquit, non enim si probus foret, tibia cen esset. Et Philippus quum accepisset, filium suauius quodam loco cecinisse, urbane est obiurgatus. Nonne te pudet, inquit, quod tam bene canere scias? Satis enim, superq; est principi uitro, canentibus alijs, audiendi superesse otium. Idem & in plerisque alijs obuenit: neq; enim quisquam ingenuus adolefcens, quum Pifæ Iouem esset intuitus, Phidias fieri concupiuit, aut Iunonem Argis, Polycletus, aut Anacreon, aut Philemon, aut Archilochus, etiam si eorum opera summa sit admiratione profectus. Verum enim uero his quæ contra musicam promittuntur, occurrere facile est, si Aristotele tradente, dispiciamus acritus, quousq; illi opera danda sit ab ijs qui ad ciuilem uirtutē erudituntur. Et quæ melodia, quæ rhythmi sint per discēdi, quibus item instrumētis utendum. Nam in eo utique refert plurimū, estq; in ijs obiectionum solutio. Clarum quippe est, non oportere disciplinam eiusmodi impedimento esse cæteris actionibus, neq; ad res bellicas ciuilesq; corpus efficere inutile. Quod erit utique, si in illa non elaborabunt usq; ad concertationē, neq; admirabilia consecrabuntur, & superflua: sed eatenus ut gaudere ualeant concentu probō, & rhythmis. Vnde item percipi licet, quæ ad musicam institutionē recipienda organa. Ceterum in hac musica pragmatia lepidum succurrit Stratonici citharædi scomma, quo Propin Rhodium profcidit facetissime. Erat

is corpo-

is corpore procerus, arte citharædica non bonus, & corpore inferior. Scitantibus uero nonnullis, cuius nam modi foret is, Nullus (inquit) malus, grādiōr piscis. Postremū uero hoc adiectum ob infantiam hominis est. Fuit quippe Stratonico ingenium alioqui in numerato semper, ducta uel hinc coniectura. Habuit is in ludo nouem Musarū imagunculas, & Apollinis unam, discipulos autem duos modo. Quum quæsisset ex eo quidam, quot ei forent discipuli: Cum dijs, inquit, duodecim. Lufit idem in citharædum, qui diceretur Bos, lyra non peritum ualde: nam ubi id inaudisset, Olim (inquit) dicebatur *ὄνθ' ἄρας*, nunc uero *βούς ἄρας*. Porro extat in citharædos parœmia, ubi incinētes nec cibo afficiuntur, nec capturis, *εἰς κρήνη κρούει τὰς χορδὰς*, id est fides frustra pulsare. Meminit Lycophron,

*τοὶ γὰρ ψαλλοῦσιν κρήνην νεύρας ἑτύπων.*

Ex musica ratione promittitur illud quoq; in delatorem ab Marcellino prolatum. Paulus, inquit, crudelior succentor fabularum, è promptuaria cella fallacias extulit. Blityrion & scindapfus pro musico organo accipiunt Græci. At blityri, inquit, ipsius est chordæ imitamentum. Galenus uero Therapeutices secundo: Quid, inquit, an nihil tibi significare uidentur hæc uoces, animal & morbus: sed similiter efferri: ut blityri, & scindapfus:

Canis remigibus solitum. De Chryfogono modulatore. Trāquilli locus explicatur. Quid suffertum, & differtum. Sufflamē quid. Hieronymi locus restituitur. Intus canere, ac foris quid. Catiēni qui sint. Item quid struthissare. Seruius explicatur de titis columbis. Creca quid uocent, ac quid *καπορέκειν*. Titissare. Titis auicula. Trygon unde. Titigonion. Tithæ aues. Titybissare. Titiij sodales. Paratitla. Titli. Titlaria. Cap. x

**I**cero in Verrē quodam loco ita scribit: Ab hac præfectus Antonij quidam symphoniacos seruos abducebat per iniuriā, quibus se in classe uti uelle dicebat. Quæri forte potest, quid sibi parte hac Cicero uoluerit, proinde paulula ex Aescenio subnotauimus: Sciendum, inquit, est canis remigibus per symphoniacos solitum, & per assam uocem, id est ore prolatam: & ut in Argo nauis, per citharam. Nisi, inquit, quia in classe dixit, intelligere uelimus, ad hoc symphoniacos capi solere, ut in classe pugnantibus classicū canant: unde ipsi tubæ, classici nomen impositum. Porro Ciceronis sensum iuuat item plurimum, quod in Græca lectum historia est. Quippe refert Duris Samius, in Alcibiadis nauis ab exilio redeuntis Chryfogonum fuisse quendam modulatore, qui tanta arte remigum manus dirigebat, ut quum illi remorum pulsuum cum Chryfogoni cantu coniungerent, iucundam audientibus redderent harmoniam. Cæterū & in hac mētionē musicæ occurrit mihi locus item Trāquilli in Nerone: Media, inquit, in orchestra frequente populo epulatus, si paululum subbibisset, aliquid se sufferti tinniturū Græco sermone promisit. In cuius nodi explanatione hasit Lynceus interpret, & in solocissimum fœdissimum coniecisse auctorem Latinissimum uidetur. Quod si Senecæ uerba uel aduertisset uel expendisset exactius, facilis ei fuisset enarratio. Sic igitur Naturalium primo scribit: Præterea quum dicitur tibi, nubem sole esse suffertam, non dicitur, colorem illum immixtū esse uelut duro corpori ac stabili & manenti, sed ut fluído & uago. Suffertam nubem hic accipio interfusam, aut illustratam. Ex quo liquet, Trāquilli sensum esse illum, Cantaturum se clarius aliquid, aut quod Græci dicunt *πυκνόν*, id est densum quippiā, ac succi plenum. Nam & differtum pro pleno legimus tum apud Horatium, tum uero apud L. Florū, qui de Cleopatra ita scribit: quod ubi desperauit à principe, seruariq; se triumpho uidit, incautiorem nata custodiam, in Mausolæum se (regum sepulchra sic uocant) recipit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio iuxta suū se collocauit Antonium. Sed & Seneca in consolatione ad Albinam: lumentorum, inquit, corpora differta & coacta pinguescere. Quin in Quæstionibus rursus: Erāt enim pingua & differta corpora ex longiore otio: Adijcit calculum & Tacitus de Poppæa: Corpus, inquit, odoribus differtum conditur, tumuloq; luliorum infertur. Erit ergo aliquid sufferti, plenius paulo quippiā, & succulentius. Porro sufferti uocabulo summoneor, opem Hieronymo feram in epistola ad Pammachiū: Quintus Ateius, inquit, qui ingenium in nume-

in numero habebat, ut sine monitore tacere non posset; de quo egregie Cæsar Augu-  
stus, Quintus noster sufflammandus est. lego, sufflaminandus est, ex Seneca Declama-  
tionum libro quarto, etiam si inibi non Ateius, sed Achærius legitur modo. Est autem  
sufflamen, quo impetus rotæ decurrentis reprimitur. Iuvenalis satyra ultima,  
Nec res atteritur longo sufflamine litis.

Apud Senecam sunt, qui suffibulandus malint legere. Cæterū quia latius iam de musi-  
ca indagine varia scrutati sumus, iam commodum est inde resillire, ne concinnitatis stu-  
dio, in concinna nimitū, & absurda prorsum ista fiant: quando erunt qui opinentur, tam  
longis non fuisse incinendū tibijs. Quare si & paucula modo adiecerō, coronidem ap-  
ponam. Quum canant citharistæ, manus utriusq; officio perfungi, quippe plectro dex-  
tra utitur, & hoc est foris canere: chordas uero sinistra carpunt digitis, quod uocant in-  
tus canere; quoniam quæ sinistra sunt, sapius interiora dicuntur: ut apud Virgilium,  
Dum proram ad saxa suburget Interior.

Et apud Sallustium, Introrsus prima Asiæ Bithynia est. Intus apud Plinium, in terrarum  
situ loca statuuntur, quæ in mediterraneis fere sunt. Sciendum tamen, Comitum exte-  
riorem uideri ab Horatio dictum, à sinistris affectantem: sicuti etiam approbat Acron:  
Horatij uersus hi sunt:

Qui quamuis periturus erit, sine gente, cruentus  
Sanguine fraterno, fugitiuus, ne tamen illi  
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.

In sanctis porro literis adnotatū & illud, Dextrum dici uisum pro interiori, sinistrum  
pro exteriori. Adnotatum etiam, *ἑσπεριον* dici, quum summis quieteque insonant ci-  
tharædi, citharâ dum coaptant. Proprie uero *κρηνη* pronunciatu de organi eius com-  
centu, etiam si *κρηνη* uocant capillum. Proasma, & epimelodema, item epode esse ui-  
detur tanquam cantilenæ proœmium, uelut apud Theocritum,

*ἄρχεται βωπιλικὰς μῦσαι φίλαι, ἀρχεται ἀοιδὰς.*

Catiens porro pro cantoribus usurpasse Horatium, scribit Porphyrio, à cantore nobi-  
li appellatione deflexa:

Catiens mille ducentis, Mater te appello, clamantibus.

Qui uero stridunt potius quàm canant, *σποδίζου* Græce dicuntur, quod Latine enū-  
ciare licet struthillare: ex passerum uoce, qui struti uocantur, uerbo deflexo. Passeru-  
li uero creduntur *τιτίου*, id est titillare: ex quo titis corruatur, ut scribit Aelius Dio-  
nysius, auicula species, aut etiam auis qualibet minutior. Hinc arbitror illustrari egre-  
gie Seruium in Bucolico ludico interpretantem, titos dici columbos non Latine qui-  
dem, sed multorum auctoritate tanquam Latine. Titos uero palumbes dici interpretor,  
ex passerum salacitate, qui solent *τιτίου*. Nam & apud Persium, pro libidinosis titos  
accipimus. Est & uerbum huic affine *τίτιον*. Sed est id uespertilionum proprium: nam  
*τίτιον*, uocem exprimit asperiusculam, unde & inflectitur trygon. Inuenio titigonion  
esse item animal paruum, cicadæ perlimile. tithas aues, id est *τιθας ὄρνιθες*, in Progno-  
sticis Aratus domesticas intelligit: sic enim scribit,

*καὶ τιθὰ ὄρνιθες, τὰ ἀλεκτορῶν ἕνεκα γίνονται*

Tithæ uero nuncupantur uelut mansuetæ, ac mites. *τιτυβίζου*, ut ne hoc quidem præ-  
tereamus, hoc est titybillare, dicitur de perdicibus quibusdam: sicut cæteri postea di-  
cuntur *κακὰ βίζου*. unde apud Comicum, *κακὰ βῆν*. Titios nuncupari sodales, Var-  
ro scribit, ab titijs auibus, quas in augurijs certis obseruare solerēt. Nos item legimus,  
sodalium augustalium esse additum sacerdotium, uti olim T. Tatius retinendis Sabinorum  
sacris sodales instituerat Tatios: auctor Annalium primo Tacitus. Paratida nil  
ad præsens faciunt institutum. Sunt tamen eo nomine argumēta titulis appōita, & ue-  
lut indices. Nam titlos ab capitibus, quæ cephalæa Græci uocant, distinguī, in illorum  
literis traditum est. Quando habeat Matthæus titlos octo & sexaginta, capita uero tre-  
centa & sex ac quinquaginta. Verum apud eosdem titlaria inuenio pro pugillaribus  
aut schedarijs: quæ & ptychia nuncupasse animaduertitur Leontius.

Principum priuatorumq; mollius sibi indulgentium exempla. Cyriæ quid  
Plutarchus restituitur. Qui sint blacæ: item blacennomion. De Apicio sci-  
tū digna

tu digna. Prius de Chabria, Vitellio, Sardanapalo, Domitio Aphro, Ari-  
stodemo, Perfarum rege. Coronistæ qui, Alexandri uinolentia. Blautæ, blaut  
tia, blitomama. Cap. XI



Maximos quandoq; duces haud ita reformidasse delicias, exemplis aliquot  
manifestum fit: nam postulatus proditiōnis Chabrias cum Iphicrate, incre-  
pabatur ab eo, quod in rāto discrimine gymnasia nihilominus inuiferet, nec  
non constitutis horis pransitaret. At is: Quid (inquit) aliud, te quidem squa-  
lidum & cibi inopem, me uerò pransum unguentatumq; Athenienses periment. Hic  
uerò est Chabrias is, quem dicere solitum prodit historia, Formidabiliorem uideri cer-  
uorum exercitum leone duce, quàm leonum ductante ceruo. Item, illos optimè exerci-  
tum ductare, qui res hostium bene sollicitèq; exploratas habeant. Vitellij patina luxu  
notabilis est. Eam principatu suo festertijs c c condidit. Sed faciendæ fornax in cam-  
pis exadificata est, unde patinarum paludes obiectæ Vitellio à consule Mutiano, gra-  
ui probro. Nam quid Helio gabalum memorem? cuius mores reteggit abundè unum e-  
ius dictum, quo rerum pretia orexin esse cōuiuiorum pronūtiat. Pingi se fuffit, ut cū-  
pediarium, seplasiarium, popinarium. Hic porro nō nisi unguento nobili aut croco pi-  
scinis infectis, natauit. Iam Domitius Apher Nemaufensis, clarus orator, Neronis tem-  
poribus ex cibi redundantia in quadam coena, mox spiritum effudit. Aristodemum ty-  
rannum apud Cumas, in Romanis antiquitatibus Dionysius auctor est, Mollem fuisse  
cognominatum, id est *μαλακόν*. Id uerò cur sic, uariè traditur. Sunt qui opinentur, in  
deirepisse cognomentum, quod quandoq; parum uir fuffit, ac pudicitia turpiter sub-  
strauisset. Alij uerò ex mīti natura. Non desunt qui ex hostili admiratione appellationē  
profluxisse uelint, siquidem à Barbaris nuncupatum *μαλακόν*, quo uerbo intelligatur  
*ἀντίπικτος*, id est puber: quoniam id ætatis cum coætaneis etiamnum comantibus, quos  
inde coronistas uocāt, in bello aduersum Barbaros manu promptus apparuerit, & cō-  
silio ac prudentia illustis, quibus is maximi principatus fundamenta iecerit. Perfarum  
rex uer agebat Sufis, hyemem in Babylonia, æstatē in Media. Cuiusmodi uerò in reli-  
quis foret hic, ut libera, ita facilis coniectatio est. Propterea magnus Agefilus regiam  
eleuans potentiam: Quo, inquit, maior me est is, si non & iustior? Naratum Babylonis  
satarapen, æque ac Sardanapalum deprimit Plutarchus, de quo Arriani historia est. Iu-  
xta Anchialum fuisse Sardanapali monumentū ac statuam, manibus in speciem plau-  
dentium coaptatis, eo titulo: Tu hospes bibe, uescere, lude: nam cætera humana, ne hoc  
quidem digna sunt. Hæc uerò pronūtiare uidebatur ipse, uelut sonitum intuens, quem  
crepantes manus æderent. Hunc Græci *πανάθροον* dicunt, quod signat tota uita in-  
olem euiratumq; Alexandri uinolentiam nemo non nouit. Arrianus conatur tueri. Q.  
Curtius approbat, qui & comessantis exercitus licentiam taxans præclaram adiecit  
sententiam: Eximiam gloriam sapius fortunæ, quàm uirtutis esse beneficium: quan-  
do ne epulantes quidem & sopitos mero aggredia uisus est hostis, haud secus Bacchan-  
tium euulantiumq; fremitu perterritus, quàm si præliantiū clamor esset auditus. In præ-  
ceptis item sanitatis Plutarchus, uini in Alexandro nimietatem agnoscere uidetur.  
Idem in Parallelis, luxum Alcibiadis commemorans: Excidisse, inquit, trirēmium ta-  
bulata, ut mollius dormiret: *λεπρίαυς, ἀλλὰ μὴ σαυίσι τῶν σρωμνῶν τῶν βαλκονίων*, id est  
cirijs, non tabulis iniectis stragulis. Sunt autem ciria, ex iuncis zonæ, seu fasciæ, quibus  
uinciuntur lectuli, uti interpretor, pensiles. Meminit in Auibus Aristophanes. Plutar-  
chi interpres locum mirè dissimulat. Hæc uerò in præstantibus adnotata ingenijs mi-  
nus miram faciunt priuatorum, & prætenuis fortunæ hominum fluxam fractamq; ui-  
tam, cuiusmodi fuisse memoratur Artemon, cui delicijs lasciuienti etiam Periphoreti  
cognomen adoptatum, quod circumlatilem nobis indicat; quoniam lectica circumfer-  
retur, & ueluti è manibus hinc inde sustententium penderet. de quo insuper memorabi-  
le est, quod proditum Græcis scio, Metu fractum atq; stupidum temporis plurimū in-  
tra domus septa se continuisse, duobus seruis æreum scutum supra eius caput sustinen-  
tibus, ne quid ex superioribus forte irrueret. Si quo autem casu egredi cogeretur, lecti-  
ca tecto adopena gestabatur. Sunt qui hoc genus delicatos, mūdulos, molliculosq; bla-  
cas nuncupent. Quanquam & eo uocabulo fatui quoq; intelliguntur, à pisce prorsum  
E inutili

inutili, ac filuro persimili, dictione inflexa, quæ ne canis quidem attingat. Alij Blaciam prope Cumen esse regionem uolunt, cuius etiam Aristoteli mentio sit. Erat item in Alexandria uectigal, quod astrologi persoluerent, blacennomium nuncupatum: quoniam eos fatui modo adire soleant. Porro qui obeundis negocijs nimio plus desident, & quadam mollitie torpent, dicuntur *βλακύνειν*. Damascius, *καὶ παροξύνω τὸν λόγον αὐτῶν ἐργῶν βλακύνοντες*. Eadem notione utitur Aristophanes Pluto, enarratoribus quoque astipulantibus. Blautas legitur apud Dionem, qui Cæsarem scribit ultimo triumphidie in forum suum perrexisse *βλαύτας ὑποδεδημένον*, & omnifariam floribus coronatum. Apud Sophoclem & comicum Aristophanem, blautia obseruauimus quoque. Id uero calcei est genus. Et in Parallelis Plutarchus, Marcellum ouantem scribit, urbem inijisse *ἐν βλαύταις*. interpres calceos eo nomine patritios intelligit. Blitomamam pro stolido accipit idem Comicus, quæ ratione bliteam dixit meretricem Plautus Truculento:

Blitea, inquit, & lutea est meretrix, Nisi quæ sapit in uino ad rem suam.

Sed in hac censura quem Apicio anteferemus? Huius pollucibiles cœnas supercilio Stoico conuellit Seneca. Sed & Græci, opsophagi cognomento insigniunt. Auctores habeo, Traiano in Parthis agenti, quum multorum dierum itinere à mari abesset, ostrea recentia miro ingenio seruata Apicium summisisse. Hic in Cînturis Gallia, uel apud Minturnas, ut scribit Athenæus, ni mendum exemplarium est, magnam pecuniæ uim profudit, dum squillis auidè uescitur, quæ illic habentur maximæ. Sed & in Alexandria astacos magna conquirens cura, quum audisset, in Libya squillas quoque capi prægrandes, ne diei quidem unius moram sustinens, in Aphricam confestim transmisit. Quod ubi falsum comperit, execratus prouinciã ita regredi institit, ne unquam terras attingeret omnino eas. Et de Apicio quidem ex Græcis hæc. Cæterum, ne quem falsam, quoniam pacto esse idem hic Apicius queat, quem etiam nepotum omnium altissimum gurgitem Plinius dixit seuerissime? Certè in Consolatione ad Albinam, ut iam perfuncti fato meminit Seneca, cuius & paulo plura subsignauimus uerba, tum quia iucundam complectuntur historiam, tum ad refellendam hac parte Græcorum inscientiam: etiam si Athenæus quoque sentire id ipsum uidetur. Apicius, inquit, nostra memoria uixit, qui in ea urbe ex qua aliquando philosophi uelut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua seculum infecit. Cuius exitum nosse, operæpretiū est. Quum sesterium millies in culinam congestisset, quum tot congiaria principum, & ingens Capitolij uectigal singulis comestationibus hauisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit, superfuturum sibi sesterium centies computauit: & uelut in ultima fame uicturus, in sesterio cœtes si uixisset, ueneno uitam finiuit. Quod ferè tradit in Tiberij rebus Dion quoque: sed ait Apicium comperisse, ducetas & quinquaginta myriadas sibi reliquas fieri. Huius porro, inquit, M. Sabij Apicij, L. Aelius Seianus Strabonis filius, fuit quandoque *παιδικά*. Comme minit Apicij eiusdem Epistolarum decimaquinta idem Seneca, insimul & P. Octauij inter gulæ proceres maximè insignis, & (quod mirum in primis est) ipso item Apicio in muli licitatione, quem Cæsar Tiberius uendi iusserat, superioris: Vnde, inquit, inter suos ingentem est gloriam consequutus. Denique ab Apicio propagatum in coquos cognomentum, ut Apiciani dicerentur, quadam philosophorum imagine, auctor est Septimius Florens.

De pandæfia, & maza. Mattya. Mazones. Martialis locus. Madda. Item de Amazonibus scitu dignum. Mazapanis. Marcipanes. Marciatū unguentum. Marci pastilli. Cardamyle. Quæ & quibus in locis edulia haberentur præstantissima. Lesbîa farina. Gigartum. Fungorū nomina. Mycenæ unde. Ciboria. Colocassium. Lac tabianum. De Vesuuiō monte. Galeni mendum tollitur ex Therapeutices quinto. Lactè cur alantur præcipuè infantes.

Cap. XII

**P**andæfiam Græci uocant aditiale conuiuium ac ganeatum dubiumque, & omnifariam obsonijs differtissimum. Id nos excuratum gliscerumque dicere possumus & saliare. Sunt tamè qui eo nomine intelligi malint: ad quod, ubi uescerentur publice, commeantes passim domo portionem quisque ferrent, in medium

medium tamen, quod attulissent, collaturi. Meminit Aristophanes: *μαζα καὶ πανδαισία*, ut maza & pandæfia. Mazam uerò eius poetæ interpretes *στυφνὸν ἄρτον* exponunt, id est rigidum panem, quo nomine quidam eum uolunt intelligi, qui uulgo nautico usui maximo est, & biscoctum nuncupat plebecula. Fuisse tamen præstantioris edulij speciem ex adagio Græcis pertrito coniectare licet, *ὑπερμαζα*, supra maza, in eos qui diffluerent delicijs. Apud Lucianum, *ὑπερμαζα* uerbum inde flexum inuenio, quod est luxuriosius agere, delicatiusque, ac diuitijs abundare. Mazam putant ex farina, oleo & aqua confici solitam. Sudas etiam ex lacte, unde mox paulo nata & mattya est: dictaque eo nomine pretiosa omnia edulia, ut scribit Athenæus. Hinc illud Martialis sunt qui ita legant,

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,

Inter quadrupedes mattya prima lepus.

Theocriti interpres *ὀδύπτορος*: Maza, inquit, *νομαλακτόν καὶ νοσφύρατον ἴδιον*, id est bucella recens. Maddam pronuntiant Megarenses. Hinc correpsit forsan mazapanis, uulgo nunc usus promiscui, appellatio. Etiam si non improbatum eruditus est, Marcipanes posse ab auctore principe nuncupari: quando & Marciatum legitur unguentum. quin etiam Marci pastillos in medendi ratione celebrant Græci. Placentam fuisse in ueterum delicijs, illud certè Hieronymi ad Marcellam indicari abunde: Non sunt, inquit, suauis epulæ, quæ non placentam redolent, quas non condit Apicius, in quibus nihil de magistrorum huius temporis iure suffumat. Est maza species Athenæo dicta cardamyle, etiam si topicum quoque nomen id est. Amazones pro pauperioribus, tenuiori, promiscuoque utentibus uictu apud Græcorum scientissimos reperias, ueluti qui maza non habeant. Sed & Amazones ipsæ possent uideri inde appellationem ducere: quod nec Eustathio displicet, quoniam lacertis ac testudinibus, & id genus bestijs alerentur. Quamobrem etiam Sauromatidas, siue Sauropatidas nuncupatas uolunt: quia *σαῦρας*, id est lacertas, conculcet ac uescantur. Quamquam alij, quod in Sauromatica Scythia habitarent, dictas ita opinantur: quod Stephanus tradit. Sed & Eustathius Sauromatas Amazonum cōnubio insignes refert. At de mamma inusta peruulgatior fama est, auctore Diodoro: siue de ijs loquare, siue de longe antiquioribus in Libya, inter quas fuere Gorgones, quarum regina Medusa sit à Perseo superata. Ex his uerò dilucere potest, quo sensu prouerbiū id enuntiant ueteres, *ἀμαζόνων ἄσμα*, id est Amazonum cantilenam: in quo non tam mulieres intelligo, quam pauperes simpliciter, quibus mos est opulentiores frequenter conuellere, ac lautos præcipuè, in necessariorum inopia sæpe ipsi constituti. Putat in Heroicis Philostratus, dici Amazonas, quod mazo, id est mamma, non alantur: sed roris fauis, qui in mellis modum calamis fluuialibus insidet, lacte præterea equino adiecto. Quod de pauperibus diximus comprobatur Colu mella, qui caninum taxat studium locupletissimum quence adlatrædi. Mazam porro, ut à diuerticulo repetatur fabula, pro re tenui uilique usurpare in Moralibus uidetur Plutarchus, *καὶ οὐκ ἐστὶν ἐν μαζῇ καὶ φακῇ τὸ ἴδιον*, & non est in maza & lente iucunditas. Fuerunt Arcadibus cœnæ dictæ mazonæ, id est *μαζωνίδες*. Quin & Dionysiaci cōgressus, sic item nuncupantur. Legimus Sopatrum quandoque Eretriam Eubœæ ciuitatem appellasse *λευκῆλεπιτον*, id est candida insignem farina: quoniam indidem maza preferrentur præstantissima. At Archesstratus colore quodam poetico, in clytam scribit Lesbion atheræa niue candidiorem farinam ferre, sique farina uescantur diu, illuc ad coemendam pergere Mercurium, quippe aliam omnem uideri præ illa, uelut *γίγαρες πε*. Signat id uerbum acinos uua, aut etiam punici mali. Ea uerò conterentes rustici cum caricis uorabāt, meminit Aristophanes. Sed enim uniuersum, ac suū infantibus lac alimentū est: nam quum omnino uictus rationem humidam sibi deposcant, ut qui cæteris ætatibus temperamento sint humidiores, natura ipsis affatim consuluit, ac maternum lac in humentis alimentū usum ingeniosius excogitasse deprehenditur. Sanguine nimirum utero dum gestamur, alij nos palam sit. Ex sanguine porro cōcinnatur lac, modicam in uberibus demutationem indeptum. Quo argumento matris lac alimonie in primis censetur accommodum: quia & consueta sit, ac perpropria. Similibus certè seruatur unū quodque, contrarijs uerò ad intemperaturam. recidit. Nam ad hoc præclara

ra celebratur Hippocratis sententia: Humectior, inquit, uictus ratio febrilentibus appo-  
sitissima est, puellis autem eo amplius, denique uel assuetis sic refici. Verum ad alia hinc  
iam digrediamur. Rhombum pauonemque siue etiam pauum, inter delicatissima habuit  
edulia ueterum luxus. Id significat ad Lucilium Seneca: Num, inquit, esuriens fastidis  
omnia præter pauonem rhombumque? ambitiosa non est fames, contenta desinere est:  
quo desinat, non minus curat. Inter delicias recenset Plutarchus fumen, & Italicos fun-  
gos, placentam Samiam, niuem in Aegypto. Fungos Græci, ut obiter adfit insititij ali-  
quid, mycetas uocant, id est *μυκίταις*: sed addunt etiam *γυγγυίς*, id est ex terra genitos.  
Nuncupantur ab eisdem mycæ, genere item masculino. Lucernarum fungi eodem in-  
telliguntur nomine. Signat item myces, ensis manubrium: sicuti apud Herodotum li-  
quet, historia tertia: etiam si locum curiose parum Latinitati donauit interpres. Vnde  
& Mycenæ nuncupari credunt, quod ibi à Perseo sint conditæ Mercurij præcepto,  
unde excidit gladij manubrium, id est myces. Fungum uero communius uocant Græ-  
ci amanitem, id est *ἀμανίτιον*. Fungi speciem eo nomine Paulus accipit, quum ait, *βω-  
λίτου ἀβλαβέστεροι καὶ ἐπιχειρώς ἐν βέντες. οἱ δὲ ἀμανίται δρυπῶδες εἰσι τὰς φῶδες*. Celebre  
est Dionis testimonio Neronis dicerium, *ὅτι γὰρ μύκητας δεῖν βρώμα ἐλεῖν*, id est esse  
deorum cibum fungos dicebat: quoniã fungi esu Claudius esset in deos tralatus. Sunt  
qui amanitæ uocabulum putent haud ita uetus, sed Pauli Aeginetæ temporibus in de-  
curiam receptum. Murenâ flutam ex freto & Tartesiam in pretio fuisse prioribus, scri-  
bit Pollux. Placebat thynnus Tyrius, cestreus ex Sciatho, hocdus ex Melo aut ex Am-  
bracia, uti est apud Gellium: conchæ uero pelorinæ, unde forte nomen indeptæ, quæ  
nunc uocantur pelorides, quas tamen à magnitudine dictas putat Athenæus: teutlon  
ex Africa, manides apud Liparam, rapæ apud Mantineam, & enes autem Methymnæi,  
galeus Rhodius, psetæ Eleusiniæ, apuæ Phalericæ, triglæ siue multi Ionici, anguilla ex  
Bœotia Copaides: quanquã in Aegypto grandioribus, quæ uocantur basilicæ: sicut in  
Sicilia plotæ, raphanides Thasiæ, caseus Cythnius & Siculus, sal Tragæus. Est au-  
tem in Epiro locus Tragæa, ut inquit Stephanus, ab Tragæo quodam, cuius honori  
sal ibi ut haberetur, contribuit Neptunus, & inde Halsius cognominatur campus. Tra-  
gæum in Troade, saltem intelligit Athenæus: cui quum uectigal iniunxisset Lysima-  
chus, euauit: mox dempto, succreuit. Ciboria in Aegypto laudant in faba Aegyptia,  
id est fructus, quod in Georgicis scribit Nicander. Aegyptiæ fabæ radix colocasium di-  
citur: quanquam apud Sicyonem fuit Colocasæ Pallados templum. Est tamen cibo-  
rium etiam poculi genus: unde apud Horatium, Ciboria exple. Et id opinor, quia fabæ  
huius folia ob magnitudinem ac cavitatem, poculorum exhibent usum. Scribit Dio-  
scorides folium id esse grande, *ὡς πῆ πικρῶν*, id est ut galerû, fabam uero in summo emer-  
gentem caule, ciborium dici: ab alijs etiã cibotium, uelut scriniolum: propterea quod  
feratur faba hæc, imposito *ἢ ἰκμοβάλλω*, id est in madente gleba semine. Ex faba Aegy-  
ptia *κίβωρον* haberi, docuit etiam Strabo. Libro quinto Athenæus ciboriorû folia no-  
minat, & flores. Sed nos iam ab hoc genus indagine resiliere, optimû erat, ne gulæ man-  
cipatis fomenta curiosius sollicitusque cõquisiuisse uideamur, qui terra pascuntur & ma-  
ri, quorum uentri (ut inquit Plinius) nauigatur ad Phasim. Quo nomine, ut Seneca gra-  
uissimè dixit, animalium non hominum habendi numero sunt: quidam uero abditi in  
ganeis etiam mortuorum. Viuit enim is, qui multis usui est: uiuit is, qui se utitur. Qui  
uero latitant ac torpent, sic in domo sunt, ut in conditorio. Sed nimio plus abblauditur  
rerum ubertas uaria quandoque, quo nomine indulgendum stilo. Lac apud Tabias cen-  
setur stateræ tantum non primæ. Sunt uero Tabiæ, inquit Therapeutices quinto Gale-  
nus, in mari locus in meditullio ferè Neapolis & Surrenti, latus ad Surrentum uergens  
collis est præaltus in Tyrrhenum erumpens pelagus, in occasum modicè acclinatur.  
Huic attiguus est in sinu intimo collis alter haud paruus, quem ueteres Romani Vesu-  
uium, uel ut Græce scribitur *Βεσουβίον* nuncuparunt, recentiores Vesbium dixere: om-  
nibus celebrem, ob eum qui indidem eructat ignis: qui aeris siccitati conferre creditur  
plurimum, unde lacti Tabiano maxima conciliatur bonitas, quam adiuuat loci altitu-  
do, & pabuli præstantia. Locum uero hunc à Plinio & Cæcilio significatum contende-  
rim, ubi scribitur modo, Stabijs erat, Sed & apud Ouidium Metamorphoseos ultimo,  
Hercu-

Herculeamque urbem Stabias, & in ocia natam Parthenopen.  
Illud porro ex septimo Familiarium epistolarum ad Marium, Ex cubiculo Stabianum  
perforasti: nimirum ad hæc respicit. Arbitror mendum esse Galeni exemplariû, ac pro  
Lesbio Vesuium substitui oportere: propter illud Martialis,  
Hic est pampineis uiridis modo Vesuius umbris.  
Nam & Silius ita cecinit:  
Euomuit pastos per secula Vesuius ignes.  
Montem hunc etiam Summani dicunt. Porro inquit Varro, quod far Campano conse-  
res: quod triticum Appulo: quod uinum Falerno: quod oleum Venafrano: iam Italia  
sic constituta arboribus est, ut tota uideri pomarium possit. In agro Faentino tricenariæ  
appellatur uites, quod tricenas amphoras reddat iugerum.

Documeta frugalitatis per exempla historica. Lysimachi, Catonis, Scipio-  
nis Africani, Agesilai, Timothei. Ventri mancipatos esse uelut antipo-  
das, dicitur Ichnobios. De Acilio Bura, & deorum cœnis. Opfartyci libri  
qui sunt, & opfartytia. Cyri historia, & Iuliani Cæsaris. Gastrenses apparito-  
res. Gennauium. Opsophagi qui. Euochista. Cap. XIII

**N**Equo temperare mihi, quin hoc potissimum loco subnectâ, quæ nobis ad  
hoc spectantia maxime ex historia comperta sunt. Lysimachum memoria  
prodit, quum fuisset in Thracia prælio uictus à Dromachete, ac siti ferè ene-  
ctus, se exercitumque hosti permisisset, iam desiderio expleto, O dii, inquit,  
quam pusillæ uoluptatis gratia in seruitutem me ex tanto rege cõieci. Cato senior, qui  
populi Romani luxum censoriè cõargueret, difficillimum esse dicebat, uerba uentri fa-  
cere, qui aures nõ habet. Sed & illud parte hac memorabile, dignum nota censoria esse  
uisum Scipioni Africano iuniori adolescentem, qui in Carthagini oppugnatione  
quum sumptuosiorum instruxisset cœnam, simul ex melle apposuerat libum in Cartha-  
ginis formam concinnatum: iusseratque per lusum, ut facto impetu, perinde ac in prælijs  
fieri assuevit, *μελίπηκτον* diriperent: sic enim placentam uocabat, tanquã ex melle con-  
cretam fermentatamque. Quærente autem eo, quod nam ob suum peccatum equus ad-  
meretur, Quoniã, inquit Scipio, me prior urbem hostium diripuisti. Et magnus Age-  
silus Thasiorum delicias reijciens, Non decet, inquit, fortia meditantes uoluptates hoc  
genus admittere: quæ enim seruire delinunt ingenium, ab homine libero aliena sunt.  
Eundem legimus à fatietate ac ebrietate semper æque abstinuisse, somno usum, non ut  
dominio, sed ut gerendis rebus obnoxio. In caloribus uerò & frigoribus ita se gessisse,  
ut solus omnibus ueretur anni temporibus. Timotheum Cononis legimus à Platone  
cõuiuio exceptum concinne admodum & frugaliter, & ut inquit Ion, *ἀφλεγμάνοις  
τραπέζαις*, id est mensis non tumefactibus, quas somni cõsequantur puri cum sum-  
ma corporis tranquillitate, solitum dicere, Eos quos Plato exciperet, & in diem infe-  
quentem bene habere. At nostris antipodibus optimè transmitti creditur uita, si nec  
orientem solem spectarint, nec occidentem. Quid enim aliud quam antipodes sunt sa-  
ginæ mancipati, qui ad faces & cereos uiuunt, dum inter pocula transiguntur noctes,  
somnia impenduntur dies, lucis ac tenebrarum ordine peruerso: de his puto Virgilium  
dixisse: Nosque ubi primus equis Oriens afflauit arthelis,  
Illic fera rubens accendit lumina uesper.

Verum ijs nulla referuntur operum uadimonia. Hos tû existimas, inquit Seneca, scire  
quemadmodum uiuendum sit, qui nesciunt quando timent uerò hi mortem, in quam  
se condiderunt: tam infausti homines, quam nocturnæ aues sunt. Licet in uino unguẽ-  
tisque tenebras suas exigant, non conuiuuntur, sed iusta sibi faciunt: mortuis certè inter-  
ditu parentatur. Horum utique corpora, qui se tenebris dicarunt, foeda uisuntur: quippe  
suspectior illis, quam morbo pallentibus, color est. Languidi & emaridati albert, & in  
uiuis caro morticina est. Inter hosce lucifugas & lychnobios, ueluti ad lucernam modo  
uiuos, in reliquum mero sepultos & somno, Acilium accepimus Butam prætorium,  
cui post patrimonium ingens consumptum Tiberius paupertatem cõstitenti, Serò, in-  
quit, experrectus es. Prælautas uerò opiparasque cœnas, Horatius deorum uocauit cœ-  
nas illo uerfu, O noctes, cœnæque deum.

Perinde ac non desit ambrosia, non item nectar. Propterea M. Tullius summa laude dignos viros ambrosia alendos pronuntiat. At Cyrus ille antiquior, quum ab hospite quareretur ex eo, quid ad conuiuium parari iuberet: Panem, inquit, solum: sperare enim conaturum se apud flumen. Hunc uero imitatus Cæsar Iulianus, mundiora scitioraq; nil moratus, paucis & uilibus facile acquiescebat. Gennauium apud Varronem in uilicis passionibus, sunt qui pro guloso accipiant. Aegyptio regi discumbenti inferebatur nil præter uitulum & anserem: bibendi quoque ad præscriptum lege iniuncta. Scribit Xenophon libro tertio De factis dictisque Socratis, ἀσχετὰ de his pronuntiar, quæ parabilia sint, nec animo grauiâ, uel corpori: quicq; sobrie uiuant, recte dici euochistas, ex uerbi proprietate. Opsartycos denique feliciores fingendis uerbis Græci libros dicunt, quibus condiendi præcepta continentur: sicuti artificum id genus opsartysiam. In qua plerique census uel ampliores, uti sphaeras habent, hoc est pilas, sicut dixit Alexis, quando sunt & habentur gastrenses apparitores, id est uentris ministri & gutturis. Opsophagos dici putat Xenophon, uel apud eum Socrates, libro eodem, qui modico utantur pane, obsonio autem multo.

De uoluptate, lætitiâ, gaudio, quibusq; distinguantur finibus. Voluptatem non esse bonum. Qui maxime uoluptates amplexentur. Alexandri dictum de uoluptate, ac laboribus.

Cap. XIII

**V**oluptatis notionem esse duplicem à Seneca accepimus: publicam unam, qua hilarem animi affectionem demonstramus: alteram, qua esse uitium colligitur. Sic & gaudium sapienti modo contingere astruimus, quando non aliud est ferè quàm animi elatio bonis suis uiribusq; fidentis. Vulgo tamen ita loqui insueuimus, ut magno nos gaudio affectos dicamus amicorum literis. Itidem & in rebus alijs, à quibus tamen magnæ quandoq; ac inexpectatæ proueniunt improspertares, quo nomine gaudium nec est, nec debet dici: quoniam gaudium adnexa perpetuitas est, quæ contrarij nescia est. Propterea quum ab omnium maximo poeta dicitur: & mala mentis gaudia, scito id quidem diserte enunciatum, parum tamen proprie, quando quod gaudium est, omnino malum esse nequit: poetæ tamen satis est uisum, publica uocabuli notione, quod uolebat, explicare. Id autem erat, homines rerum caligine circumfusos malo suo lætari plerunq;. Corporis uoluptates, inquit Moralium septimo Aristoteles: ex eo nomen id uendicant sibi, quia sæpius occurrant, ac in earum participatum ueniunt omnes. Proinde hæc solas putant, quoniam solæ modo sint notæ. Cæterum quo perspectius exploratusq; uoces istas suis occlusas finibus, ac ueluti pomærijs interuolucamus, lætitiâ dico, gaudium ac uoluptatem, attendendam magnopere arbitror Platonis distributione: qua philosophus is in mentem sensumq; animam disparauit, ac menti quidem lætitiâ ascripsit & gaudium, sensibus autem uoluptatem mâcipauit. Priora illa duo etiam discerniculo quodam dispecuit, quod quum laude semper sit gaudium, at in uitium quâdoq; labatur lætitiâ. Est enim hæc animi elatio quædam boni cuiuspiam præsentia, quæ si moderationis mensuræ limites transgreditur, reprehensionis morsum non euadit: repressa uerò, ac suis metita modulis laude non uacat. Gaudium autem esse iucunditatem sancit, quæ de contemplationis aut uirtutis cuiuspiam maiestate profluat. Propterea in libro De pulchritudine, quum de cælesti, id est uera disserteret uita, alii animum scribit contemplandæ ueritatis usu & gaudere. Inde fit, ut apud eundem gaudium mentis nuncupari alimoniam, obseruauimus. Quin & contemplationis præmium esse illam ipsam poetico inuolucro sæpe significatam ambrosiam. At inde emanans omnibus absolutum numeris gaudium nectaris nomine, quod & ipsum immortalitatem ratione etymologica exprimit, recte à prudentioribus intelligi. Sed & ante Platonem Mercurius, homini à deo contributam autumat rationem, ut eum suspicionibus acricq; perquiramus indagine. Sensum, ut cognoscamus. Intelligentiâ, ut cognoscentes gaudeamus. Voluptas uero ita ab eodem Platone finitur, ceu titillans præuauisq; ac proritans, uel ut Græcè dicam, ὀφελίζουσα, in sensibus motio intelligi debeat, quam inde consurgere statuit, ubi indigetia paria facias. Quippe necessitas appetentiam conciliat, ac ex absentia dolorem, satisfactio iucunditatem sensibus inducit. Hanc uerò uoluptatem omnibus damnatam calculis ex bonorum albo expungit, seque-

git, sequestratq; eo maxime argumento, quod sicuti quæ calori admouent, incallescunt dubio procul: ita cui adsit assistatq; bonum, ipsum item euadere bonum, consentaneum est. Verum enim uero uoluptatis præsentia in bonam frugem euadere neminem, perspicuum ferè uideri, quando & rationis impotes ferè fufius uberiusq;, quàm nos uoluptatibus titillentur lasciuiantq;, ac (ut uerbo utar, quo nec abstinuit Hieronymus) dulcorentur: quarum nullam tamen inde proficere comperias. Adde, quod quo hebetior quisq; est, ac natura imbecillior, imò uero inscitior insipientiorq;, eo amplius uoluptate perfruitur. At obsecro te, quàm ab ratione dissentaneum, quàm omnino absurdum, ignauissimo cuiq; largius, quàm frugi hominibus, quod bonum sit, obuenire: Hinc diuine, ut omnia, ad Dionysium Plato scribens, uoluptatem maximo esse hominibus detrimento statuit: inscitiam porro parere inquietudinem quoq; ac stultitiam & petulantiam. Propterea quod in sensibus late pollet, dominaturq;: qui satellitum instar, immo uero subsessorum, assidue nostrum captare uidentur interitum, in profunda corporis animam, eiusq; rationale lumen intrudentes, adobruentesq;: quando sic affecta nec auras suspiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco. Proinde Pythagoricus Nearchus recte, quod & idem comprobatur Plato, τὴν μὲν ἡδονὴν ἐλεῖν εἶναι μέγιστον κακὸν δέλεαρ, id est, esse dicebat uoluptatem maximâ mali escam. Animum uoluptarium emollitumq; delicij, ac earum delinimentis, ueluti unco tractum, non Tarentinus modo Architas, sed & Plato pertuso rimulentoq; consimilem uasi prodidit, quoniam grassetur in infinitum concupiscentia, nec explendi ulla sese ostendet ratio. Verum alij etiam Euripi inconstantissimis fluxibus refluxibusq;, ut Epicharmus & Socrates, quod uoluptarium uenenum, immo effera titillantium rabies, modo reciprocantis undæ nullo sine affluat refluatq;. Illud uero Mercurij cuius nam modi est: quàm propheticum, ut sic dicam: quàm diuinum: Qui mente uiuit, immortalis dei uitam agit: qui uero corpore ac sensibus, bestiarum. O præclarum, o plausibile intellectus nostri lumen, si eius adminiculo & claritate diuinitatis omnia ineffabiliter supereminens æmulus nos facit. Rursum, o dirum inauspicatumq; teterimi carceris commercium, si ad caliginem densiorem à cælesti splendore sequestratos reuocat, in terrenâ mersat naturam originis oblitos præcellas, denique brutum circumponit animæ infra lunam diuinissimæ omnium. At inferat hic forte aliquis, Non omnes utiq; uoluptates uideri dignas, quibus nigrum affigas theta, quando & honestæ aliquæ sunt, ac probæ. Scribit utiq; Plutarchus in commentariolo An seniori accedendum ad rempublicam, eiusmodi capeffentes administrationem pulcherrimis maximisq; perfrui uoluptatibus, quibus compar est item, deum aut solis, aut præcipuis lætari. Sunt autem hæc, quas ex honestis actionibus prouenire, manifestum est: quippe si pictor nobilis Nicias tantum artis suæ lætabatur operibus, ut uelut sui oblitus ex famulis scitaretur subinde, An esset usus balneo, itemq; an foret pransus. Si archimedes tabulæ geometricisq; intentum figuris uel abductum perungebant famuli, & is in uentre obuncto schemata delineabat. Si Canus tibicen, dum uteretur arte, longe maiorem sibi afferri uoluptatem dicebat, quàm cæteris: quando & mercedis loco duceret, quod audiendi patientiam præstarent. An non aduertimus, q; uberes, quamq; non paruas sibi ex uirtute ac præclaris actionibus uoluptates comparent præstantes uiri? Quorum animæ non aureis Euripidis alis, sed Platonicis potius, ac cælestibus augustiores elatoresq; gaudio euadunt uberrimo. Interrogatus Epaminondas, quidnam ei iucundum in uita maxime obrigisset: Quod, inquit, parète utroq; superstite, Leuctricam retulerim uictoriam. Cæterum quæ in mente constituitur iucunditas, quæq; de uirtutum promitur excellentia, non uoluptatis nomenclatura, sed gaudij, à Platone censetur. Peripatetici uero & Moralium septimo Aristoteles, hæc item recte dici uoluptates opinantur: unde liquet, nominum sæpe, non rei esse inter magni nominis conditores disceptationem. Deus, inquit Aristoteles, una semper simpliciq; gaudet uoluptate: non enim motionis solum est operatio, sed & immobilitatis. Et uoluptas in quiete uersatur potius, quàm in motu. Mutatio uero dulcissimum est omnium, ex poetica sententia, ob prauitatem quandam: ut enim homo prauus facile mutabilis est, sic & natura praua censetur, quæ mutatione indigeat: nec enim simplex, nec bona. Quod si postremo sollicitus exquirat quispiam, quo nomine tam uehementem uoluptatis prurium sensibus

bus ingenerari natura: ut qui circa uoluptates deficiant, per pauci sane comperiantur: quo argumento nec sibi impositum nomen, uerum *ἀναδύτης* uocant, id est insensatos. Respondendum, ut huius uelut fomento amplius ad uitae necessaria munia excitentur, ac lubentia prouehantur quadam. Sed cur nam expletam indigentiam consequitur uel poenitentis moeror, uel satietatis onus? Nempe, ut inde commoniti, non ultra necessitatem quicquam admittamus, quod naturae mox inferat nocumentum. Iuuenes omnino ad uoluptatem propensiores pernoscuntur: suntque in primis apolauti, id est gaudentes, uoluptarijque: quoniam eorum praecipue augetur corpus, & ad congruam sibi perfectionem toto tendit conatu, unde maximis uehementissimisque agitatur motibus, ac conuellitur: indeque etiam maiori opus est medicina, proinde remis uelisque uoluptuosa consecretantur. Id ipsum ferè melancholicis usu uenire, cõpertissimum est, ut auctor probat Aristoteles: quia bilis atræ uel assidue contabescit corpus, & ex humore eius siccitate uehementiore arroditur, propter eaque in uoluptates feruntur procliuus. Sed & cunctis propè hominibus insitum maxime, uoluptates amplexari, quoniam aetatis exordio mente quodam modo sopita, sensibus tantum utimur, illis obsequimur, eorum (ut sic dicam) dictata amplexantes: at hi ueritatis naturam, & inde profluens gaudium assequi nequeunt. Quia uero sensuum suauitas eius, quo mens alitur, gaudij umbra est quaedam, atque imago, decepti similitudine, illo procul relicto, hanc consecretantur, huiusmodi (quod aiunt) cuneis, haeremus affixi. Et quanquam auctioribus iam ingerat sese rationis lumen, nihilominus receptam in ueteratamque sectamur consuetudine: diu namque sensibus credere, & eorum motibus obsequi didicimus. Mos uero altis nixus radicibus irroboreatusque, aut uix aut omnino nequit exolescere. Hinc, ut Heraclito placuisse animaduertimus, uoluptati quam iræ oblectari, renitiisque difficilius multo, & laboriosius censetur: quippe arduum est, uitae insitum affectum extrudere. Macedo Alexander quum uictis Persis familiares intueretur suos amplius indulgentes sibi, in Persicam dilapsos lautitiam, moleste admodum tulit, mirari se plurimum astruens, haud nosse illos, seruire ceteri, uoluptatibus se mancipio dare: laboribus autem innutriti, principe rem prorsus esse dignam. Sed unde nam sit uoluptatum euariatio tam insignis pro hominum captu? An quia iucunda pro signorum natura, quae permeat in genituris, excitat Venus, quae concupiscibili animorum potentiae praesens creditur? Namque si prodeunt in uitam aliquo, conscendat Venus, arietem eam gestante, qui capitis habet pontificium, oculorum mira ingenerabitur titillatio, ac extra modum ornatu afficiuntur, & picturis mundiciisque, sed & auribus sua contribuentur, atque item naribus. Quod si tauro gestabitur Venus, qui collo praesens, gustus inorietur uoluptas, sed & poetice suauitatis. In libra, libidinis concinnatur proluuium, quando renibus ea dominatur & peccini.

Crates quo pacto reperculserit uoluptarij cuiusdam dictum. Cur cibus deterior, si gratus sit, plus proffit quam probus, sed ingratus. Anatreptice, ac analeptice dicta, quae intelligatur. Item quae uocent prosperomena. xv

**H**uisse quendam Plutarchus scribit, qui uoluptatum laqueis irretitus, ac delictis adobrutus, Calphurnium diceret lanarium, ita etiamnum sibi scribere permisit, *ταῦτ' ἔχω, ὅς' ἐφαγοῦ, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτ' ἔπειτα*.

*τίπτ' ἔπειτα.* Quorum is ferme uerborum sensus est, Sibi denique reliqua fieri, quae gulae indulgisset, aut comparasset per iniuriam, uel in amore suauia percepisset. Aduersus uero haec philosophum Cratem ita rescripsisse, *ταῦτ' ἔχω, ὅς' ἐμαθον, καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετ' ἐμοσῶν*.

*ἐμὴν ἐδωδον.* Quibus illa repercutiens innueret, superesse sibi quae uel perdidicisset, uel cura studioque tractasset, ac cum Musis honesta imbibisset. Caterum quia de uoluptate multus est nobis iam sermo, prius quam inde stilum subducam, aut castra moueam conclamat is ualis, succurrit breuis, qui mos scriptoris est, & absoluta tamen Hippocratis sententia, non usquequaque ab instituto abiuncta. Ea uero sic habet, Potus & cibus paulo deterior, modo suauior sit quam qui melior, sed insuauior, anteponendus est. Eum locum accuratissimus interpres Galenus enarrans, non esse ob id solum ita agendum, ut male habentium titillationi, & quasi quibusdam lasciuientis gulae inuitamentis obsequamur, & illectationi subblandiamur: sed etiam quia futurum sit, quam

quam maxime tum utile, tum salubre. Quicquid enim suauiter abligurimus, & pro delectamento habemus, condere id uenter & stipare, necnon percoquere facile potest: contra, defugere ac recusare tetra insuauiaque, quippe quae aut naufeas inflationem uel aut fluctuationes perconcinnet. Itaque saepenumero accidit, ubi paulo deterior cibus ingeritur, sed iucundus & uoluptarius, & cuius subit prolubium elitandi, ut non insuper maneat deterior, sed interdum probior euadat. In hac uero cibi mentione illud obiter adnotarim: in his quos uocant Graeci *ἀπνοῦς*, debilitatos extra modum, ubi medica solertia melius fieri coepit, nuncupari anatreptice & analeptice quoque dietam, quum habent laxantur, ac indulgentius educantur, pluribus ingestis cibis, & amplius alentibus, ac ut Graeci dicunt *ἰχθυοτρόφους*. Est autem, inquit septimo Therapeutices Galenus, *ἡ ἀναληπτικὴ διαίτα μὲν τῆς ὑγιανῆς τε καὶ βεραπυλικῆς*. Sed nec id habendum insuper: prosperomena intelligi medicis, quae esu potuque intra corpus admittuntur, inquam decuriam & reciproca hic uitalisque ueniat spiritus.

De operis huius uarietate ex diuersissimis concinnata. Scytham agere, quid sit. Enthelis. Panis genera & instrumenta. Sitostasis, perillo choregia, farriculum, megalartus, megalomazus. Molae ubi Roma. Edulitas. Cap. xv i

**A**T qui erunt fortasse, quibus consimineae foetura haec nostra monstri cuiusdam uideatur similitudinem praefere, ac tanquam in Pontinum diuerterint, aut Pupiniam, nec amœna, nec salubris: quando nunc ad philosophos diuertamus, nunc & medicos amplexemur, sapienter nostrates aduocemus ad partes. Quum nostrates dico, etiam Graecos intelligo, qui humaniora haec percoluere studia. Ita profecto est, ex diuersissimis artium bonarum antesignanis racemationem facere siue spicilegium, nobis propositum est: sic tamen, ut qui in monstris conuultur, nunc teter & aspernabilis, nunc ridicularius absit aspectus, nec citra census delectusque nostri ultimam manum. Varietatem quam nec putes stilo depascendam, consecretantur maxime, qua lectione multa elanguentis lectoris, qui modo sit philistoros, detergatur fastidium. Scythas interim putemur agere, *πῶς τὴν ἀφρονοτρόφον νομῆν μετεξαισιπυλῶν*, id est ad laetiora pabula identidem demigrantes. Vbi cunq; se ostentat, quod cum iucunditate aliqua hosce libellos instructionesque ad nouam sobolem & frugent laetam in studioforu subactis ingenijs producendam ualeat efficere, praerempemus. Vt sit inoculationum quoque ueluti agmen, non amœnum modo, sed & gratum in primis. Verum iam interfari delinam, agamusque iam nunc quod instat: ne nos tam parte hac admirari forsitan uideamur, quam se in machæra Peleus, sicuti dicitur: aut roramenta auri (ut Iulij Capitolini uerbo utamur) spargi, nunc credi experiamur: etiam si ad liquidum opiner consistare, in hoc pistrino, ut Hieronymi utar sententia, multa nobis durius exantlari, dum uitae ampliter prodesse cupimus: nullius fama, uelut tunica, magnopere diloricata. Panis inuenio non unum fuisse ueteribus genus, quando sunt in primis, quos zymitas dicunt, quibus aduersi sint azymi nuncupati: nam nominis etiam meminit Plauto. Erant & panes nuncupati obelia: alij cribanitia, aut etiam canchridia: dicuntur alij qui apirita. Panis bucellam nunc psomon uocant, nunc enthesin. Nam Aristophanis interpres, enthesin, psomon exponit, & *ἄκρονον*, id est panis frustum. Pityrias uero, panes uiliores intelligunt, uelut fufuraeos. Nam triticeos, appellant pyrinos. Inter quos habentur sitanij ex quadrimestri tritico. Charisium uero, placenta putant speciem: unde chalisiones nostros corruari, sunt qui coniectent, qui modo ex amygdalis concinnantur & saccharo: sicuti mazapanes quoque, tamen si forma diuersa. Apud Aegyptios in acutum conformati panes, callistei uocabantur: sicuti orindam Aethiopes, ex orindio concinnatum dicunt: seminis id in Aethiopia peculiare genus est, sesamo persimile: orthostates autem sacer intelligebatur panis. Fuere item nasti panes, quos item factos uocant, ex melle ac uuis passis & aromatis alijs confecti: cuiusmodi sunt, quis nunc in Natiuitatis festo passim utimur. Sunt tamen qui eo nomine recentem intelligant, & calentem panem ex oleo. Meminit Aristophanes Pluto. Dicitum uolunt, quia densior sit, constipatioreque: nil prorsum leuitatis habens, aut inanitatis, *ἄφ' τοῦ νοσεδαι ἀφ' τῆμασι*. Lycophron, *περὶ ἀνλαττίσιν νασόν ὑπέχων λίδω*.

A nasto uero dicti nastophaagi, qui eius elitandi prolubio tenentur. Sed & nastocopi ex eodem

ex eodem corruantur fonte, uidenturq; ita dici panis eius confectores. Sicuti apud Platonem in Gorgia, artocopi uocantur, quos artopæos nuncupant. Panis ciuilem nomine sunt qui simpliciter annonam intelligant ciuilem, cui uendendæ qui præest, dicatur Sitositalius, sicut magistratus qui curatur, perissochoregia nuncupat. Spirâ farinaceam nos quidem uulgò bucellatum dicimus. At eo nomine excotum ad usus diuturnitatem frumentum accipit Ammianus Marcellinus. Meminit in Auudio Cassio Volcarius: Præter laridum, inquit, ac bucellatum & acetum portare militem prohibuit. Panem ciuilem sunt qui secundarium intelligant, ab Celso autopyrum dictum, cui pollinis nihil sit incerniculo exemptum, sicuti tertîæ notæ panem cibarium idem nuncupat. Primæ autem notæ candidissimus intelligitur. Edulitatem apud neotericos pro annonâ, parum Latine positam comperi. Legimus in Aureliano Flauij Vopisci panes militares mundos, atq; item panes militares castrenses. Scribit Horus, panem cenferi primæ notæ, quem arrodere adorti sint mures, quoniam animali delectus hic præcipue sit. Farriculum, quo pro fermento uterentur, quo pacto facias, docet Palladius libro undecimo. Erant & mazæ quædam sacræ amphiphones appellatæ, quas Dianæ offerebant Munychiæ, ardentibus per ambitum facibus affixis. Sicut panes obelias Dionysio inferebant, qui ex hoc uocabantur obeliaphori. Obelias uero dicti, quia ueruculis quibusdam constiparentur, quos obeliscos uocant, uel assarentur, aut quia uenderentur obolo. Pelani uero communes erant dijs omnibus, ita à figura nuncupati. Est enim pelanos nunc apta sacrificio mola: nunc etiam circa os concretior spuma: ut apud Euripidem in Oreste: sed & succosa lachryma modo thuris gummi densata. Est ite eo nomine obolus, qui uaticinâibus erogaretur. Fiebât pelani ex pepale, id est tenuissima farina: quod Didymus scribit. Boues item ijs adnumerantur, sic nuncupati, quod cornua haberent præfixa. Inferebant Apollini, Dianæ, Hecata, & lunæ. Selenæ, id est *σέλιναι*, sex erant: septimus sequebatur bos. At quæ dicitur melittuta, Trophonio. Dignissimum uero scitu. Mortuis hæc ferè solita tradit: melittutam, quæ cerbero obijceretur: obolum, quem caperet Charon: coronam, quæ significaret uitæ certamina exanclata, Mystile, quem canibus obijcerent, dicebatur panis: quanquam & mystilem uocabant, forbitionis gratia excauatum panem. Collyria dicti minuti panes, qui dari pueris consueuere, Alicubi tamen collyria dicuntur lalangia, unde & *κολυλλίζω* uerbum, quo in sartagine lalangiorum percoctio significatur. Sunt qui ita etiamnum scribant, erezionem fuisse oliuæ ramum lana coronatum, propendentibus omnifariam terræ fructibus, necnon placentis collyris, quem uirens ætate ferret puer, affigeretq; pro templo Apollinis in Pynepsiis: festum id Apollini sacrum. Fuere item gaioli & lagunculi, dulcissimi panes à Gaiio & Lagone pueris. Syncomistum panem, inquit ad Glauconem libro secundo Galenus, eum nominant, qui medius inter exquisitè purum est, ac fufuraceum. Eundem autopyrum (de quo paulo ante) dicunt nonnulli, quoniam in puro farinam, non qualis natura est, talem ad conficiendum panem assumentes, sed purgantes prius, fufur excernunt contra, in fufuraceo eam prius adimunt farinæ partem, quæ purissima est. Panis autem autopyrus, qualem habet ex natura farinam triticum, talem etiam seruat. Proinde syncomistus nuncupatur, *ἐκ τῆν ἀσπίτων ἀλδύρων*, ut inquit Athenæus, uelut congestitius confusaneusq;. Autopyrus autem, quia non ex tritici parte constet, uerum ex integro totoq;, id est fufuribus, utriculis, simila, uel similigine. Utriculos accipiunt eruditi, qui fufure meliores sunt, simila deteriores. Omnino si leuiter secernatur fufur, etiam autopyri sunt, ueluti cibarius panis, uel secundarius. Phacinus panis, à lente uidetur dici, quam uocant *φακίλυ*, aut *φακίον*. unde Phacossus dæmon, & bulbophace, apud Chrysippum. Collabi, panes dicebantur, similitudine quadam collaborum in cithara. Sunt autem collabi, fidium epitonia, id est clauiculi, quibus circūnectuntur fides, quos etiam collopas dicunt, quos ex colli corio confici solitos legimus: quam partem eodem nuncupabant uocabulo, quoniam inde fieret gluten, quod collan Græci uocant. Colix item panis, quem subcinericium interpretatur quidam, Aristophanis tamen interpretes in Batrachis, ubi poeta ait *κόλιμας*, exponens inquit, *ἢ ἀρτες*, *ἢ γῆταρα*, id est aut panes, aut interanea. Inde & colicophagi dicti. Quos autem Græci bomilios dicunt, ex Latinis nonnulli quadratos intelligunt: nam sic ab Romanis dici, auctor probat Athenæus: Blomon

Blomon tamen apud illos reperio, pro panis fragmento, unde & paneth *ἀπὸ τῆν ἀλωμῶν*, dixit Heliodus, uelut octo fragmentorum. Inter mazas porro dijs sacras erat & hygiea, id est *ὕγεια*, quo nomine proprie significatur sanitas. Sunt & mazæ plures uisibus modo humanis dicata, ut anthema, thridacine, cœnutta, quæ ex uino subigebatur, danda iis, cardame. Placētatum item species comperio plures, pyramunta ex tritico. Sunt & pyramides præmij loco integram noctem excubantibus. Sesamunta porro ex sesamo: Aeglen inter placentas fuisse, auctor Pausanias est, probat & Cratinus. Est item Aegle sacrificium, quod in Delphos mittebatur: quin etiam tesserarius iactus: fuit & coryliscus, thrymmatides quoq;. Nam crepis, ex melle conficitur & farina. Itrion ex sesamo placenta est, ac melle. Sumenalia dici hæc à nostris uidentur, quia *ἡτρον*, fumen est. Tegantes in sartagine coquitur ex oleo. Elaphus, placenta est, in elaphebolij confici solita ex sesamo & farinæ flore. Choria, ex melle ac lacte cibaria fuere. Pæssa, apud Coos placentulæ sunt. Myllos inuenio Syraculis subigi in thesmophorijs ex sesamo solitos; melleq;. Erant autem muliebria ephebæa. Placentarum deniq; genera sunt, Tarentinum, crassianum, Siculum, clustrum, plicum, guttatum, Montianum, subigitur id ex uino caseoq; crustum tabonianum. Mustacia, ex cœnomelite conficiebantur. Spira, caseo constabat. Habebatur & tyroscinon: item coproplacus, quæ copta item dicitur rhodia, prædura: ut Martiali credimus propemodum, adijciebatur mel cum papauere: cui non diuersum ita est, coctum, in nostris literis, aut coccentum. Non temere prætereundum, Alphiton apud medicinâ professos, accipi pro polenta: reliquis uero est tantum farina. Fuit & pancarpia, ac polton, & pyanion. Polton, nos pultem dicimus. Pultem Punicam celebrat Cato. Erat & Punicum libum, probi cognomento. Est uero puls quibusdam sorbitio quoq;, ex cerealibus in liquamentum solutis cocturæ genere. Dicitur & poltarium, quod pro uase capi item potest. Pultarios legimus pro uasis item, in quibus seruantur uitæ. Pultarij formam esse, scribit Palladius, inuersi infundibuli, ore angusto. Quia uero de itrion facta mentio est, apud Galenum ita lego, Qui fumosum ritum percepit, fateatur se à cœna placētam nidore plenam comedisse: quales sunt, quæ ex oleo & itrion & alijs huiusmodi concinnantur. Probabantur & Samiæ placentæ, item philoxeniæ à Leucadio cœpertæ Philoxeno. Conos, ex uuis fiebat passis & amygdalis. Echinus quoq; inter placentas recensetur apud Athenæum: sicut escharites apud Rhodios, in panis & placenta meditullio. Cui gratia est placenta, nuncupatur philoplacus. Postremo sunt & in sanctis nuncupati literis, panes propositionis: quia sic super mensam disponerentur, inquit Nicolaus theologus. In Hebræo, panes uocantur facierum, ut sic dicam: quia, ut rabi Solomon auctor est, figura erant quadrata, altera tamen parte longiore, cuius extremitates in surrectum replicarentur. Alij rotundos globatosq; fuisse tradunt: & ideo dictos facierum, quia ex utraque parte consimiles forent. Neque enim in furno coquebantur, sed in uasis ad id peraccomodis. Dicebatur & mensa propositionis: sed cur sic, ex Bedæ uerbis elici clarius potest, super Exodi capite uigesimo quinto, ubi scribitur, Et pones super mensam panes propositionis. Bene, inquit, panes propositionis uocantur: quia semper debet patere sermo salutis cunctis fidelibus, nec unquam deesse oportet in ecclesia uerbum solatiij. Dicuntur & panes primitiarum, Regum quarto. Thiagones in Aetolia dicuntur, deo panes dicati. Panes quidam oxyliopes dicuntur Galeno Therapeutices octauo, quibus aceti minimū sit promixtum. Ab eodem nominantur panes *ἄγρηναις*, sicuti & *ὄζυρηναις*. Pane hordeaceo qui uescantur, male colorari astrunt medici, quoniam hordeum suapte uis fluidum leniat, abstergatq; uehementius, unde fiat alimenti paucitas. Mulliprema sunt, qui offulas mulso perfusas intelligant. Arcam panariam uocat Aristophanes sipyam. Instrumentum uero subigendæ farinæ concinnum apud eundem uocatur maetra. Artopteum est coquendi panis officina: item instrumentum ipsum in quo percoquitur, quod & artoptam uocant. Plathanos uocant, in quibus effinguntur panes. Cardopum maetram intelligunt, quam & magida dicunt: alijs tamen cardopos arcam signat panariam. Erat & apomaetra, scytale, Cypros apud Cleonem melopœum libro secundo. Sicut apud Hipponactem lamborum primo, hemicypros. In hoc præterea usu codomeum, & telia, & scapha, necnon cresera

crepera & creperon. Apud Bœotia Solum præstantes fieri panes consuetos, accepimus, unde & Cereris megalarti & megalomazi statua erecta colebatur. Consimiliter uero apud Mæliis in Iapigia, ubi etiam fuisse rex Artos dicitur, sed & festa nomine Megalartia, de panis magnitudine appellatione ducta. Celebres erant & panes, dicti agelai, quos dicere gregarios licet, uel cibarios. Apud Syracusios uero Ceres colebatur *σιτώ*, ut scribit Athenæus, ob *σίτων*, id est frumenti curam fertilitatem uel. Similam uolunt nuncupatam, quia Syracusani Cererem dicant item Simalida, ut refert Athenæus. Quod ad placentas attinet, de quibus satis multa, uehementer adnotata est Matronis cuiusdam parodia,

*ἦ ὦς ἂν ἔπειτα πλασθῶν τῶν ἐγὼ βίου ἀπεχοίμην;*

*οὐδ' εἰμοὶ δένει μὲν χεῖλη, δένει δὲ στόματ' εἶναι,*

*ἦ ὦς ἂν ἔπειτα ἄρ' ἔπειτα, χεῖλεσσι δὲ μοι ἦτορ φέειν.*

id est, Quo nam pacto à placentis ipse diuina abstineam? Non si mihi labia forent decem, decem item ora, infrangibilis porro uenter, æneum quoque inesset cor. Apud Syracusanos eosdem fuerunt pubis specie muliebris mylli, ex melle ac fœsima: dearum altari- bus à fœminis circumferebantur. Globi & globuli esse uidentur, qui Syracusani item dicuntur epicycli, uerum asseueratè nil astruendum. Subuculum fuit libi genus ex ha- lica, oleo & melle. Traphax nuncupatur tabula, ad cibanos qua deferuntur panes. Di- citur & nauis labrum, traphax, ubi scalmi concinnantur. Illud uero scire studiosos per- uelim: molas Romæ paratas in Tiberi ad Ianiculum fuisse antiquitus, uti auctor Pro- copius est, ad molendū usum: quia in angustum ibi primò aquarum ingens uis cogitur, ac per canalem mox in præceps acta, uiolentius defertur, acruat. Quo nomine uiden- tur Romani ueteres collem Ianiculi muro circummunisse, hostibus ad molas assultus ne pateret.

Panem ex omnibus difficilis esse percoctionis, carnem non ita. Enkratice qui, Caro fumosa. Creocaccabum quid. Sitarcia. Caput xvii

**P**ostea uero quam affatim panis genera exsequuti sumus, quantū nostra par- uitas tulit, ex multijuga Græcorum auctorum lectione, Auitennæ placita subnotare, non inconcinnum omnino fuerit, nec (ut ijdem dicunt Græci) *ἄπερ σὺ δύνουσιν*. Igitur secunda primi: Panis, inquit, impedimentum, ubi non percoquat uenter, maximū censerī debet; carnis uero non ita. Ex hoc, inquit interpres, id passiuum inaudimus: Differtionem utique omnem esse incommodam: uerum quæ ex pane fiat, pessimam: in stomacho quippe residet diu, onere in primis molesto: quod si non concoctus satis, denique dilapsus fuerit, hepar præfarcit ac meseraicas. Caro autem maiorem ducit cum humano corpore similitudinē, proinde ex ea minus prouenit no- cumentū, & hepatis aut meseraicarū præfartio leuior, ac curationi minus minusque ob- stans, imbibentibus membris longe procliuus ob cognationem quandam carnis suc- cum, quam panis. Tatiani hæretici, de carnis abstinentia dicti sunt Enkratice; unde En- craticæ apud Hieronymum, Sitarcia in eodem exponitur pro annona, ab *σιτῶ*, cibus, & *ἀγλαῖα*, sufficere. Cautum cibaria lege apud Romanos, scribit Athenæus, Ne quis in annum carnis fumosæ plus talentis quindecim absumeret. Creocaccabum dice- bant Græci, carnem minutatim concisam cum sanguine & adipe ac liquore iussulent- to, dulciarioque.

Felicitatis humanæ inconstantia, rationibus præmonstrata quatuor. Timo- thei historia ad id. Ciceronis obscuritas illustratur ex Epistola ad Atticum.

Interim, quæ agimus esse somnia. Artabazis historia. Itē Persei filij. xviii

**E**licitas, inquit Seneca, res est inquieta, ipsa se exagitat, mouet cerebrū non uno genere: alios in aliud iritat, hos ad impotentiam, illos in luxuriam, hos inflat, illos mollit, & totos resoluit. Quinimmo si uerum facere iudicium uo- lumus, ac repudiata omni fortunæ ambitione decernere: mortalium, ut in- quit Euripides, nemo est felix. Proinde, ut ex Plinio uerba mutuemur, abunde atque in- dulgenter fortuna deciditur cum eo, qui iure dici non infelix potest: ut præteream He- racliti & Thaletis illud, Cuncta mortalium, seu bona ea sint, seu mala, dum oriri uiden- tur, occidere. Nam Pythagoræ oraculum est ac Platonis, dormire animum in corpore, ac quæ-

ac quæcumque hic agere uel pati uidemur, nil omnino uideri aliud, quam somnia. Vitæ magister pronunciauit, Mundum esse uniuersum in maligno positum: quod exiti, mi- serabili comprobatur Artabazes Parthorum rex, & Tigranis potentissimi regis filius, quem bello uictum meretrici reginæ, seu mancipiū uilius, dono dedit Antonius cum prædâ, & Persicis spolijs. Nempe ut quò illustrior fuerat uictoria, eò turpior foret lar- gitio, qua rex tanto deformaretur ludibrio. Eadem uerò fortunæ inconstantia Adrami- tenum Andriscum in fullonia natum ob Pseudophilippi nomen euexit: at Persei legiti- mum filium artem ferrariam ob quærendum edocuit uictum. Eunus uerò ergastula- rius seruus fugitiuus in Sicilia ductauit. Splendido loco nati plerique Viriati genera sunt amplexi, & Spartaci quoque. Supperunt & in hoc exempla mille. Illud hic apponisse, opæpretium fuerit, tum quia scitu iucundum, tum quia insimul nodus ex sexto Epi- stolarum ad Atticū explicabitur, ni fallimur, egregie, quem quum Patauij eum librum prouincialibus auditoribus meis interpretarer, ut conuiuens, transiueram: testatus ta- men, nusquam me, quod ad eam historiam pertineret, comperisse. Nunc ex Vipiani Græci rhetoris monumentis loci eius enarrationem aucupabimur: simul & humanæ leuitatis tumorem reprimemus, edocentes, quò tandem spes nostras deceat collimare, ne à scopo seiuncti, uelut umbræ uagemur. Igitur ut à Cicerone ordiamur primum, eo quem præsignauimus loco, ita Græce scriptum reperias, *ὅτι δὲ ἀπελευθέρου αὐτοῦ, ὅτι πᾶσι δὴ μόνον τῷ ἰώνων πικρῶν, μηδὲν ὀλοχέρας πεφρονέμενα*, hoc est, libertum autem eius, qua Cononis pater nomenclatura, nihil omnino curasse. In hunc scopulū impactus est lembus. In eo quid alijs obuenerit, non statuo, neque enim cum in tum serimus, ut maledi- ctis & lingua procacitate, ac morsu arcuato, lætiores prouentus hinc nostris lucubra- tiunculis conquiramus, ne improbe item faciamus, si in alienis subinde ostentare inge- nium uelimus, lacerando, conuellendoque, quanquam id publico bono non rejicimus quandoque. Verum ne diutius legentium delideria distineamus: is ita refert, cuius testi- monium paulo antè aduocauimus. Timotheus Atheniesium dux fuit, Cononis pater, initio uel fortunatissimus, si quis alius: memoriam siquidem proditur, ad quodcumque mit- teretur bellum, facilem, ac perinde certam retulisse uictoriam: unde factum est, ut à pi- ctoribus non aliter per picturam exprimeretur, quam ut dormiens, assistente ei mulie- re, quam fortunam intelligi uolebant, quæ retia ferret, & id genus instrumenta alia, ue- nationibus accommoda: hoc figmento prudentioribus insinuantes, pro eo fortunam omnia peregisse: ipsum uerò nil prorsum aliud, quam dormitasse. Caterum ubi is gra- uis hæc, molestiusque ferre cœpit, asserens audacius suæ ipsius uirtuti, & ingenio per- spicaci uictoria omnes acceptas referri, par esse, procul fortunæ aura sequestrata, indi- gnata dea dicti tumore, nunquam postea Timotheum ex hoste potitum uictoria. Plu- tarchus parte quadam ipsa hæc item cōprobat ijs ferè: Timotheus, inquit, fortunatus habebatur imperator, quo nomine exstimulati quidam non citra liuorem ciuitates ex- pingebant, sponte se in cyrtum insinuantes, uas est id piscatoriū, illo altius confopito. Ad quæ Timotheus eludens: Si tanta, inquit, uel dormiens conficio, quid excitatū me facturum putatis? Scribunt nonnulli ex Græcis amplius, in paupertatem eum recidisse: ut qui Venerem sibi cecidisse, nimio plus gestiebat, miserè mox, ac extra quam opina- retur aliquis, casu sit profligatus caniculari. Quin dum sequundiorē uteretur dea, soli- tam se illi fortunam subinde offerre. Timotheū denique Cononis patrem monstrat Pausanias quoque, ne refractarius aliquis aduersum ire meditetur. Timothei turrim ce- lebrat Aristophanes Pluto. Hæc nimirum grauius commonent, quotquot ex uoto co- gitata omnia citra pulueris tactum conficiunt, ne nimium sibi fidant, sed uolubilem fe- licitatis humanæ inconstantiam ante oculos proponant, scientes eiusdem esse numinis utranque paginam facere, uel potius nostra omnia esse in motu, nil solidum, nil quod eo- dem diu permaneat gradu: quoniam usque ad ludibria, mundi pars non uilis, homines quatimur fortunæ salo, nullaque non hora occurrant, qui lethargum patiantur, commu- nem (ut ille ait) delusarum mentium morbum. Quid, quod omnis uita supplicium est. In hoc profundius inquietiusque proiecti mare, alternis æstibus reciprocum, nunquam stabili consistimus loco, pendemus & fluctuamur & alter in alterū allidimur. Sed quæ- rat aliquis, nec inepte, unde nam sit nostræ felicitatis subsultans adeo, & (ut sic dicam)

F inconstans



inconstans inconstantia: Huius uerò rationes ab scientissimis afferri quatuor, animadu-  
ueto: diuinam, coelestem, naturalem, humanam: quippe diuina prouidentia ita sanc-  
tum, fugacia hic esse, ac haberi omnia, ne in tendiculum dilapsi teneamur obretiti, ac di-  
uinorum prorsus obliuiscamur: ad quæ nascimur, & modo non desipiamus, ducimur,  
prouocamurq; per momenta. Cælestis uerò dispensatio sic diuino nutu dirigitur, ac co-  
temperatur, ut perpeti ac irrequieto corporum illorum motu & uertigine inenarrabi-  
li, quum primum ad summum uel altitudinis uel directionis peruenerint planeta, mox  
retro abeant. Porro ab sextili aspectu uel trino, quos salutare arbitrantur in quadratū,  
uel oppositum, qui habentur noxi, relabantur. Deinde, ipsius naturæ nutu ita elemen-  
tis ordo iniungitur, dum prærapido globorum cælestium circumaguntur incessu, ut  
quum calor aut frigus, siccitas uel humecta uis ad summum naturæ suæ prouecta fue-  
rint, nec progredi altius, nec consistere omnino uel minimum permittatur: quin inten-  
ta qualitas remittitur, ac laxata refluit mox. Quam quidem relabendi uicissitudinem  
præcelerem consequuntur & corporum nostrorum humores ac temperatura. Quod  
scienter est ab Hippocrate significatum, ubi summam corporis ualitudinem iudicari  
fallacissimam pronuntiauit.

Felicitatem ueram ex deo esse, Opinione de deo esse omnibus insita. Pro-  
lep sis quid. Triplici calle conscendi ad dei cognitionē. De prophetis, item  
de CHRISTO scitu digna. Virginis partum Aegyptiorum comproba-  
ri doctrina.

Cap. XIX



Roinde altius generosiusq; esse excitandum animum, ni undiq; inscitia ca-  
lignine circumfusi lapsitamus, liquet opinor, quærendumq;, quod sit homini  
propriū bonum: ne, quod historicus inquit, uitam sicuti peregrinantes tran-  
eamus, sitq; præter naturam corpus uoluptati, anima uerò oneri: siquidem  
bono suo constant omnia. Vitem commendabilem fertilitas facit, sapor uinum, ueloci-  
tas ceruum, iumenta dorso fortia sunt: quia illorum unus hic usus est, sarcinas ferre. In  
cane sagacitas prima est, si peruestigare debeat feras: cursus, si consequi audacia, si mor-  
dere. In homine uero quid optimū est? Nempe (inquit Seneca) ratio, hæc antecedit ani-  
malia, deum sequitur: hæc recta, & consummata felicitatē hominis impleuit: quam Eri-  
chthonium illum, mirandæ uetustatis uirum, Dardanī ex Batea filium, ne suspicatum  
quidem esse, contenderim. Eum tamen omnium hominum fortunatissimum antiquis-  
simi ex Græcis pronuntiant. Consummata ratio deum habet scopum, in quem cogitatio-  
nes omnes & actus dirigit, quando illuc tendit noster conatus omnis. Ab illo seiuncti  
bulla euadimus, & si quid bulla compertū imbecillius est. Natura humana, inquit lam-  
blichus, nec rationem quidem orationem uel de deo suscipere potest sine deo, nedum  
diuina opera absq; illo ualeat implere. Est quippe imbecillus adeo, & hebes prorsus, ut  
nullum nullitatis suæ remedium habeat, nisi quandam diuini luminis portionem, desit  
per influentem, absq; ea nil omnino à nobis diuini perfici potest. Deus est omnia, potest  
omnia, implet omnia in semetipso. Nos autē ad diuinitatē uelut ludus. Quod si in deo  
honorum omnium essentia perfectioq; continetur, ac prima potestas, primumq; bono-  
rum principii illuc est, merito sacerdotes soli, & qui similiter superis se dederint, atque  
legitimē unionem ad illum fuerint consequuti, bonorum omnium principium atq; fi-  
nem studiosè prosequuntur. In hoc utiq; statu & ueritatis contemplatio adest, & intel-  
lectualis scientiæ consummatio: atq; unā cum Dei cognitione conuersio quoq; ad nos  
iplos, nostriq; agnitio comitatur. Quāobrem idea felicitatis est, ipsum cognoscere bo-  
num: sicuti idea malorum est, utiq; ipsa boni obliuio & fallacia circa malum. Hinc Pla-  
tonici ductor agminis Plotinus: Malum (inquit) animæ est, alienis, id est caducis hære-  
re, bonum uerò domesticis atque cognatis. Ex hoc item illud est: Mihi uerò adherere  
deo, bonum est. Propterea scienter Mercurius: Est, inquit, hominis mensura ante omnes  
religio, quam sequitur bonitas: ea demum tunc uidetur esse perfecta, si etiam cupidita-  
tem omnium alienarum rerum despectui habeat uirtute munita. Vnusquisq; pietate,  
religione, prudentia, cultu & ueneratione dei clarescit, quasi oculis uera ratione perse-  
cta, & fiducia credulitatis suæ eatenus inter homines præstans, quatenus astra reliqua  
sol luminis maiestate agnoscitur præcellere. Adijcit his calculum quoq; grauissima, &  
plausibilis

plausibilis maxime Pythagoræ sententia, quem dicere solitum accepimus; *ὅτι βέλτι-  
σαι γινόμεθα πρὸς τὸ θεοῦ βαδίζοντες*, id est accedendo ad deum effici unumquenque  
optimum. Ad de publicum humanæ reipublicæ consensum. Ex tot, inquit M. Tullius,  
generibus nullum est animal, præter hominem, quod habeat notitiā aliquam dei. Ipsis  
porro in hominibus nulla gens est neq; tam fera, nec tam immanis, quæ non etiam  
si ignoret qualem deum haberi deceat, tamen habendum sciât. Ex quo efficitur, ut is  
deum agnoscat, qui unde ortus sit, quasi recordetur. Sed & alibi idem Cicero, quan-  
quam sub aliena persona: Quæ gens (inquit) est, aut quod genus hominū, quod nō ha-  
beat sine doctrina anticipationem quadam deorum, quam appellat Epicurus prole-  
psin? Equidem quantum coniectare licet, triplici nos calle potissimū ad tantæ duci pie-  
tatis cultum animaduerto. Primò quidem naturali hac, quā diximus, sagacitate, quam  
immemsa illa nobis prouidentia infudit. Postea uerò etiam rationibus philosophicis, ex  
ipso ædificij ordine, architecti prouidentia comprobantibus. Prophetis demum uer-  
bis atq; miraculis. Hæc uerò Christianæ ueritatis consecratoribus adfuit munificē, de-  
sunt Gentibus, ueterū superstitionibus (aut erroribus potius) animam in euidens præ-  
cipitium trahentibus, irretitis obuolutisq;. Taceo uetustiora, taceo & noua: quæ utraq;  
uirorum maiestate præcellentium in diuinis rebus coruscant latissimè, quorum cōmo-  
nitionibus, minis, exhortationibus, miraculis personant omnium aures, quando præ-  
potens ille spiritus diuinus animas illas sanctiores in nostra emolumenta prouexit al-  
tius, & illarum enuntiatione rerum excellentium stupenda reserauit arcana. Quid uer-  
bis humanis ineffabilem, immo nec mente quidem comprehensibilem CHRISTVM  
hic memorem? aut Christianorum ingeram auribus? Aliorum quibus datum calitus  
sacrum tectum opus polliceri, sit munus hoc tam amplum, tam extra hominis captū.  
Illud modo subtexamus: ipsum hunc quem lapsæ naturæ restitutorem, dei filium præ-  
potentis, deum ipsum agnosimus, ueneramus, colimus, quibusdam ueluti lineamētis  
à Platone prius, mox & à Platonis præsignatum, ac obscurius delineatum. Prophe-  
tam igitur legislatorem quidem, sed diuinum, Platonici putant: qui ut habeatur talis,  
oporteat eum manifestis quibusdam miraculis ad homines diuina prouidentia mitti.  
Quem sanè prophetam humani generis ducem diuinum Plato & Auicenna cognomi-  
nant. Nam huc demum tendit Platonicum illud in libro De regno: Sicuti bestia ne-  
queunt à bestiis feliciter sine homine duci, ita neq; homines ab homine sine deo. Pro-  
bat insuper Auicenna: Animam quidem prophetica lege uirtuteq; imbutam à diuina  
solum prouidentia mitti. Corpus autem ad animam prophetæ suscipiendam idoneum  
disponi à deo, non tantum proxime, sed per animas cælorum motrices, tanquam per  
ministras, ac etiam per cælos ipsos, quasi per instrumēta dei. Sed nunquid reticebimus,  
quod quarto Legum Plato diuinissimè uidetur uaticinatus. Deus, inquit, omnium no-  
bis est mensura, multoq; magis, si quis (ut ferunt) homo est. Quod exponēs Platonius  
nobilis, Si deus aliquis homo est: id est, si quando fiat homo, ut ferunt oracula, scilicet  
prophetarum. Quod ad uirginis attinet partum, in Aegyptiorum mysterijs lectum est,  
Mulierem ab spiritu afflari diuiniore, non uideri absurdum, extracq; naturæ potentiam:  
atq; eundem generationis semina item inserere. Quando & sic natos aliquot, nobis ex  
historia suggeritur. Cæterum quo risu, quæue exsibilatione excipienda est scelestissima  
Luciani impietas, qui nos irridens ægerimè fert, qui Græcorum deos abnegemus, &  
*ἀνεσθηλασµὸν σοφιστῶν πρὸς κινδύνον*, id est cruci suffixum Sophistem adoremus, &  
ex illius præscripto uiuamus. Nec à Trinitatis diuinæ infanda alibi abstinet suppo-  
sitione. Sed abunde Græca natio, quid de eo sentiendum foret, sanxisse uidetur, blasphem-  
i conflato cognomine. Verum exitus eo amplius, quoniam à canibus fertur conscis-  
sus, homo scædissimus, loquentiæ multæ, at sapientiæ minimæ. Quanto pius magis,  
quanto religiosius ita statuere, ut sciamus, primum esse dei cultum, deum credere, dein  
de maiestatem illi suam reddere, & cum maiestate bonitatem, sine qua nulla maiestas  
est. Scire illum esse, qui præsidet mundo, qui uniuersa, ut sua temperat, qui humani ge-  
neris tutelam gerit, qui coercet, castigat, pœnas pro noxa irrogat, iustis præmia elargi-  
tur æterna. Vis deum propitiari, inquit Seneca, bonus esto: satis illum coluit, qui imita-  
tus est. Porro quod uides omne, quo cælestia & humana conclusa sunt: unum est, mem-  
F 2 bra

bra fumus corporis magni. Natura nos cognatos ædidit. Hæc nobis amorẽ indidit murum, & sociabiles fecit: ex illius constitutione miserius est nocere, quam lædi. Iste uerus in ore sit perpetuo, sed & in pectore: Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Salutis rationem esse in religione tantum. Cecropis inueta. Religiones falsas, & superstitiones omnes ex astrologia & syderibus profluxisse. Lucretij locus declaratur. Cap. xx



Vamobrẽ reiecta omni uestica, sic cum Aurelio Augustino cludamus partem hanc: Religionem esse eam, quæ uniuersalem continet uiam animæ liberandæ, quoniã nulla nisi hac liberari potest. Hoc est canonicũ iter, quod unum ducit ad regnum non temporali uestigio nutabundum, sed æternitatis firmitate securum. Hoc inquã augustissimum iter doctissimus ille Porphyrius quaesiuit quidem, sed non reperit: non repperunt & alij, quãtumis rerum naturæ capaces uiri, quos prisca tulit ætas, etiamli singulari studio & solertia inenarrabili ista consecrarentur: CHRISTI pretiosissimus sanguis effusus referauit, & credentibus incomparabiles thesauros, patrum nostrorum memoria incognitos, etiamq; infantili simplicitati patefecit. Comparetur nunc Christiano statui principis Augusti illa passim certatimq; ab auctoribus celebrata felicitas, quantula demum deprehendetur: quam pusilla: quàm nulla prorsum: Ipse sibi tamen nimis placebat in ea, plausibiliter sibi abblandebatur: siquidem quum Caium ex filia nepotẽ in Armeniam mitteret, comprecaturum ferunt à dijs, comitem illi Pompeij beneuolentiam, Alexandri audaciam, suam uerò ipsius fortunam. At Cecropa ueterum pleriq; mirantur, quod omnium primus louem appellarit, simulacra repperit, aram statuerit, uictimas immolarit: quum ante illum nemo ista inter Græcos perpetrasset, aut agnouisset omnino. O temporum conditionem miseram, o inepitam uanitatem. Stultitiæ dux, ignorantia magister, à doctissimo quoq; plausu excipitur festo, auctor uitæ ridetur. Verum ita prorsum res habet, Deus omnium est principium, ac finis: proinde colligi facile potest, deo nos esse natos, non nobis. Propterea dei cultus, uirtutum uirtus est: at enim dei cõsequutio, uirtutum utiq; præmium est, sed incomparabile. Hinc fit quoq; uti uiuere ij demũ uideantur, qui de diuinis scribunt uel loquuntur, aut cogitant. Quod si è medio auferatur diuinus cultus, erit sane rationale animal uel brutis infelicis. Cæterum hic præfert unus præcipue, ut mente uiuamus: hoc est, ut semper ac feliciter uiuamus. In mente siquidem status est ac tranquillitas. Verum ab mente delapsus ad inferos se ipsum intrudit. Sed quoniã de religione agimus, illud sciendum amplius, religionum exortum & uarietatem esse qui syderibus acceptam referant, quæ urbibus & prouincijs propria, peculiariq; potestate præsideant. Ex rerum uerò cælestium studiosis pleriq; ad eas quas uocant cõiunctiones magnas planetarum superiorum, referre maluerunt: Saturni præfertim, atq; Iouis. In qua sententia esse Arabas animaduerto, & Latinorum item multos, qui illorum consecrati uestigia sunt. Ptolemæus uerò Apotelesmaton libro secundo, Asiaticos scribit, qui exortum spectent, ac meridiem, Veneri, Saturnoq; rem diuinam facere: quoniã trigono subsint aridæ qualitatis, hoc est Virgini, Tauro, Capricorno, quibus dominantur Venus & Saturnus. Rursusq; qui inter meridiem habitant, & occasum, Venerẽ summè ac Martem colere, quoniã humectæ subijciuntur triplicitati, cuius cum Marte Mercurium ac Venerem præfides fecit. Atque ita deinceps reliqua subtexuntur. Iam uerò & Manichæorum hæresis, quæ liberum excutit arbitrium, non aliam de inicitia ducit, quàm ab astrologorum fata astruentibus disertationibus. Ex astrologiæ porrò sinu profluxisse superstitionum omnium uanitates, locupletissimus auctor Varro testatur. Geomantiam astrologiæ itidem adoptant, qui eiusmodi doctrinam profitentur. Iam & magiæ clauis commemoratur astrologia. Nam quid de chiromanticis dicemus? A quibus excogitata scimus in manuum uolus septẽ montium supercilia, quæ cælestes præferant planetas. Cæterum hæc omnia esse acuta potius delyramenta, & uanissimas uanitates, quàm documenta, uitæ usibus concinnata, nemini non arbitror liquere. Nos tamen eo in primis consilio recensuimus, ut Lucretij locum aperiremus, qui libro De natura primo, religionem destruere uolens ita scribit, Humana ante oculos fœde quum uita faceret

In terris

In terris oppressa graui sub religione:  
Quæ caput à cæli regionibus ostendebat,  
Horribili super aspectu mortalibus instans:  
Primum Graius homo mortalis tollere contra  
Est oculos ausus.

Hominum pectora debuisse fenestrata fieri ex apologo. Vitiligator. Hominum prauitas. Et cur traditũ, animas transire in bestias. De Plotino nihil. Cap. xxxi



Abulas, quarum nomen falsi professionem indicat, aut tantum cõciliandæ auribus uoluptatis aut adhortationis ad bonã frugem gratia, repertas esse, legitur. In hoc genere, quod posterius est, multas sæpe ac pericundas altero (quod dicitur) oculo percurrimus. Sed eam in quã proximè recidimus, dum ista commentemur, nullo modo præterire possumus, quod instituto nostro bellicosissime congruat. Ferunt ergo mythologi, Mineruam, Neptunum, Vulcanum de artis peritia inter se amplius disceptare cœpisse: atq; inibi quidem Neptunum periclitandi causa effinxisse taurum, Mineruam uerò domum substruere adortam, à Vulcano esse expressum hominem. Eius certaminis arbiter erat Momus: is diligenter singula conspiciat, quid in quoq; uitio uerterit, operæ non est referre, in homine utiq; id accusauit, debuisse architectum Vulcanum pectus eius effingere fenestratum, ut sic eo plane recluso ac patenti, omnibus perspicuum fieri posset, quid sibi uellet, quid meditaretur, uera ne promerentur, an secus: quando & Moralium septimo Aristoteles ait, prauitate insignem hominẽ milies esse fera nocentiorẽ. Fabellæ autem huius Iepidissimè concinnatæ documẽtum illud mihi præmonstrare uidetur scitissime, quod est à M. Tullio positum in quadam ad Quintum fratrem epistola: Multis, inquit, simulationum inuolucris tegitur, & quasi uelis quibusdam obtenditur uniuersiusq; natura. Frons, oculi, uultus persæpe mentiuntur, oratio uerò sæpissime. Nec extra pomœria nati falluntur modo, quod ferri posset: sed uel intra instituti uix sibi cauent: immo ne Argus quidem, uti in fabulis traditur, oculatus totus imposturas humanæ prauitatis euaserit. Sententiam eandem Socrates item comprobauit de fenestrato pectore, puto ex id genus apologo, Ne (inquit) occultiores delitescerent sensus, sed ad considerandum paterent: quoniã hominũ effigies habent ferarum animos, ut inquit Seneca. An non Hercule, sicuti Plinius scribit, ex homine hominẽ plurima sunt mala? Cætera animantia in suo genere probè degunt: at diuinũ hoc animal, & miraculum quoq; quod sæpe repetimus, & suo probatum loco est, uenerandum atq; adorandum, nunc aperta uis, sæpius fraude mutuo arietare (ut sic dicam) non cessat. Nec hominẽ tantũ homo lupus est, quum qui sit, non nouit, ut Plauti uerbis utamur: sed & quanto notior, tanto etiam sauior, & immanior, fraudulentiorq; ac plane uiligator: quod uerbum, Plinio docete, eleganter ex uitijs & litigatoribus concinnat Cato: sed eo & Firmicus utitur Matheseos quinto tribus locis. Verũ modo uiligator scribitur, modo uiligator. Huius uerò, ut ad institutum redeamus, absurditatis quam esse aliam rationem opinemur, quàm quæ ex Aristotelis oraculo promitur? Homo, inquit, ut perfectione suscepta, animantium cõctarum optimus est, sic à lege ac iustitia se iunctus, omnium efficitur pessimus. Dedit quidem optimus ille parens rerũ animis nostris igniculos quosdam, & quasi scintillas ad omnem uirtutem percipiendam: cæterum igniculos eos malis moribus opinionibusq; deprauatis, ut M. Tullius auctor est, sic extinguimus, ut nusquam lumen ingenitũ appareat. Quod si eos adolere liceret, ipsa nos ad beatam uitam natura perduceret. Nunc uerò, simul atq; in lucem aditi & suscepti sumus, in omni cõtinuo prauitate, & in summa opinionũ peruersitate uersamur, ut penè cum lacte nutricis errorem sũxisse uideamur, ut merito Lucretianum illud possit probari, O miseræ hominum mentes, o pectora cæca: Qualibus in tenebris uitæ, quantisq; periclis Degitur hoc æui, quodcunq; est. Porro ex hac hominum ferina in alterum rabie sauiendi, atq; item omnifaria male uiuendi libidine, prorsus bruta: natam, opinor, infamem illam de animarum transitu positionem.

F 3 tionem

tionem. Quoniam Timæus Pythagoricus nobilissimus in libro quem De mundo & anima scripsit, quem postea imitatus est Plato: Migrationem in bestias, inquit, induci falso ad terrorem hominum impiorum, ut poenæ saltem formidine, & specie absurda immaniq; à vitijs inquinamentisq; quibus candori animæ labes inuritur, retraherentur, proficerentq; in bonam frugem. Sed & Pythagoras, à cuius placitis hæc in primis videntur inualuisse, id ipsum ita significauit: Si deposito, inquit, corpore liberum ascenderit ætherem, eris immortalis deus, non ultra mortalis. Orpheus quoq; in ipso Mercurij terrestris hymno,

*Κακὸν τὸ ναίω ἀνυπόστορον οἶμον ἀνώγει.*

Id est Cocyti habitans irremeabilem necessitatis uitam. Sed nec Aegyptiorum sacerdotum scientia omnino comprobari re uera demigrationem animarum eiusmodi tetram formidolosamq; Quinimmo ad ferinum uel heroicum animæ habitum referendā, opinantur, quādo apud eos hominis nuncupatione animus modo intelligatur. Quod aperuit Mercurius Aegyptiorum pontifex maximus, qui quum emigrationem eiusmodi ritu poetico descripsisset, adnexuit, legem diuinam nō permittere animi humani in bestias transitum. Quinimmo poenas statuit sempiternas impijs animis in mundi huius infimis elementorum gradibus. Agit quoq; gratias Deo, quod bonos uiros æternitati consecrarit. Item dicit, usque adeo coniungi mentem deo, ut erroribus ex eo non implicetur amplius. Zoroaster quoq; in libro, cui titulus *μαγικὰ λόγια τῆν ἀπὸ Ζωροαστροῦ μάγου*. Zoroaster, inquam, abs quo omnis ueterum theologorū sapientia manasse creditur, inquit, *σὺ γὰρ ἀγέου θῆρες χθονὸς οἰκίσουσι*. hoc est, tuum uas habitabunt bestiæ terræ. Quod si intra nos bestiæ sunt, intra quoq; non extra de homine in bestiam, ac ex bestia remigramus in hominem. Cæterū nec desunt, qui ista sic interpretentur, ut animarum quæ similem brutis duxerint uitam, aliæ inter alias bestiarum turbas diuerferentur. Quod ipsum Platonis doctrinā ualde consentaneum putat Olympiodorus: quoniam Plato animas purgatissimas inter deos censuerit uersari: impuras autem inter sepulchra reuoluit: quo fiat, ut umbris quandoq; terreamur, quippe quum corporei quippiam circa se contraxerint, sicut & in se: unde fieri Plato uult, ut uideri quandoq; possint. Ex priore autem sensu, si habitum intelligamus, non speciem, arbor erit apud Platonem, qui nutritioni deditus, uel Hercules quæsitum in ea attriturus, die noctuq; torpabit. Miluus, qui raptu uiuet per concupiscentiā: leo, qui egregie militabit; draco, qui crudeliter in genus humanum debacchabitur; homo, qui ciuilitate uiuet; heros, qui naturalia scrutabitur; dæmō, qui mathematica; angelus, qui diuina. Talis enim sit animus, qualem induit habitum. Ex quo in Phædro Socrates: Ego (inquit) cōsidero, utrum ipse sim bestia Typhone multiplicior, an diuinius animal. Porro quid in ijs Aurelius Augustinus senserit, quid ue Porphyrius, qui scire cupit, legat Ciuitatis diuinæ librum decimum. Plato autē figuratē metamorphoses istas in Timæi parte postrema sub Pythagorica persona poetico quodam excursu persequitur. Iamblichū certē rationalem animam puduit in brutum præcipitare. Quanto caufatius nos Christianæ ueritatis cultores hoc genus nugamenta retundemus, illius prophetici memores perpetuō: in circuitu impij ambulabunt, ueluti ita dicitur: impietatis anquiri oportere, si quis ambitus eiusmodi & demigrationes enixius tueri contendat. In quam decuriam, alioqui philosophus nobilis, & inter Platonicae sapientiae sectatores facile princeps Plotinus transcribi se nescio quo modo patitur, dignus qui cum Timæo potius stipendia faceret, ac ubique triarium ageret, necrorarium quandoq;. Noscendum quoq; in libris *πὸ ἀρχῶν* ab Origene *μετεμψύχωσι* defendi.

Fidei cōmendatio præcipua. Qui dicantur palimboli. Theffala perfidia. Theffalæ alæ. Theffalus equitatus. Rhombus quid. Trapezia. Theffalica portio quid. Capanica, capane, scapane, scaphiū, ama. Capus, et cape quid. Capania Pallas. Ogygia, cur pro antiquis. Thebe, cur dicatur. Illici esse simile, quid sit. Cohors sacra Thebis quæ: inibi adnotatur interpretis Plutarchi lapsus foedissimus. Iolai historia. Pharfalorum & Bœotiorū uoracitas. Scytala Musarum quid.

Cap. XXXII

Numam



Vnam Pompilium memoriae proditum est, quum Romana iuuentutis bellicosos acresq; spiritus & ferocientes (ut sic dicam) animos, incusso deorum metu remollire, ac retundere cuperet, omnium primum Fidei templum constituisse, illamq; Romanis, Plutarcho auctore, maximum esse iusiurandum demonstrasse. Proinde quum ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato, id est obtecto desuper, ac uelut fornicato uehi iussisset, manu quoq; ad digitos usq; inuoluta, rem diuinam facere uoluisset, significantes symbolicè fidem tutandam esse, ac eius sedem in dextris esse sacratam. Quod Plinius scribit, & Aristophanes quoq; in fabula, cui titulus Nephelæ, significauit. Sed & Plethon Gemistus rerum Græcarum libro secundo, manus porrectio *μυγίσκη πρὸς τὴν πίστιν*, id est maxima inter Persas censetur fides. Quin & M. Tullius nullam rem scribit, uehementius continere rempublicam, quàm fidem: quoniam, ut alibi ait idem, est iustitiæ fundamentum fides. Iustorum corda, inquit Ambrosius, meditantur fidem. Hæc porro, tradente Seneca, sanctissimū humani pectoris bonum est, quod nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrūpitur premio. Vre, inquit, occide, non prodā. Sed quo magis secreta quæret dolor, hæc illa condet altius. Est autem (ut Cicero finit) fides dictorū conuentorumq; constantia, & ueritas. Propterea Plato inquit, fidem esse in reddendis pecunijs depositis, uel in sepulchris erigendis iustitiam. Silius item Italicus præconio poetico sic fidem commendat, iustitiæ consors, tacitumq; in pectore numen.

Hæc tamē quamuis præcellens, quamuis ciuilibus societatis glutinamētum firmissimum, & ferruminatio (ut ita dicam) inuicta, nonnullis, immo uero plurimis, bonumq; si non omnibus, ita prorsum fluxa est, ita censetur nulla, ut nil rarius sit reperire, quàm incorruptæ ueritatis hominem. Inde in Plauti Bacchidibus adolescens ille, Satin, ut quem tu fidelem habeas, aut cui credas, nescias?

Sed & rursum poeta idem, atq; adeo fabula eadem, graphicè subsultantem amicorum synceritatem effingit hisce uersiculis, Multi more isto, atq; exemplo uiuunt, quos quum censeas Tibi amicos, reperiuntur falsi testimonijs, Lingua factiosus, inertes opera, sublesta fide.

Sublesta uero fidem Marcellus friuolam intelligit, ac leuem. Cuiusmodi uisitur in ijs, quos *πυλιμβόλους* Græci uocant, & in commentariolo De liberorum institutione, meminit Plutarchus. Sicuti *πυλιμβολίαν* Agathias posuit in libris. Dicuntur autem eo nomine inconstantes, & perfidi, unde tritum illud apud Græcos, Scytharum est palimbolum se præstare. Sed & in Pompeij rebus scribit Dion, Ciceronem sæpe solitum *ἐπιμφοτέρως*, quia nunc populo cohereret, nunc senatui: proinde, inquit, dicebatur *ἀπόμολος*. Homerus *ἀλλοπρόβαλον* uocat, id est nunc huic, nunc illi inhaerentem: quales ferme coarguuntur Theffali, nec id utiq; in Latinis literis, quod risu forte exciperent Græci, supercilij studiosiores: sed obseruatū id meminimus apud Demosthenem in primis, in cuius Olynthiaca prima ita scriptum inuenio, *ἔτι τῶν θεσσαλῶν, πῶτε γὰρ ἔπειτα μὲν ἦν δ' ἔτι πρὸς φύσει, καὶ ἀπὸ πάσης ἀνδρώποιοις*. Postea, inquit Theffalica, hæc enim infida quidem erant natura, & semper utiq; omnibus hominibus. Conabar, quantum mihi uaria lectione suggeritur, tam foedæ, tamq; probrosæ inuisionis causam prouere. Demum ex Vlpiani rhetoris monumentis ita ferme commoniti sumus, Theffalos ut infidos, antiquitus sugillatos: aut ob Medæe historiam, quam ab Iasone circumscriptā, qui Theffalus erat, poetæ tradunt: uel quia tempore Peloponnesiaci belli in ipsa acie ab Atheniensibus ad Lacedæmonios, uelut inducta fidei, interlitaq; memoria, ordinibus mutatis, Theffali transfugerunt: sicuti Thucydides quoq; auctor est, unde natum prouerbum, ut Theffala fides, de uana dicatur & fluxa, quæ in ratione uirtutis nihil omnino habeat pensii. Quod Euripides item innuit, *πολλοὶ γὰρ ἦσαν, ἀλλ' ἄπιστοι θεσσαλοί*, hoc est, multi quidem erant, sed infidi Theffali. Quin Aristophanis item astipulatu id ipsum comprobari uideretur posse, à quo amplius *ἀπιστοδισταί* appellantur, quo nomine signari animaduertuntur plagiarij, qui liberos homines in seruitutem redigunt, & distrahunt. Theffalorum deniq; improbitatem non tacuit historiæ parens Herodorus, qui libro nono ita refert: Theffalos adeo non penitebat eorum, quæ hæctenus egerāt,

F 4 ut etiā

ut etiam multo studiosius Persam inducerent. E quibus Thorax Larissæus, & Xerxes fugientem deduxerat, & tunc Mardonium propalam inducebat in Græciam. A Philostrato quoque taxantur egregie Thessaliam Critia Iosophite: Similis, inquit, Thessalis euasit, apud quos ἀγρωχία καὶ ἀκρατὸς καὶ τυραννικὰ εἰς ὄνω κερδὸς ἐξόντου. Qui tamen, inquit, sapientiam non negligebant: sed ἐργασίαν, id est Leontinum Gorgiam amplexabatur. Polydamas tamen Pharsalius apud Xenophontem rerum Græcarum sexto, fuisse traditur hospitalis, ac Thessalico more magnificus. Eodem modo & Aeoles ut fraudulenti infamabantur, quod Idillio primo adnotauit Theocriti interpres, unde factum opinatur, ut ἀολίαν, signet decipere: ut apud Hieroclem, μηδὲ ἀολίαν ἀντὶ τῆς ne circūscripseris ipsam. Sed redeo ad diuerticulū. Illud ad mores pertinet nihil, quod Thessalicas alas inuenimus dictas in antiquis auctoribus, de chlamydibus, quibus uterentur Thessali: nam utriusque anguli proiecti eminebant quadam alarum similitudine, quales ferè nunc habentur Gallicæ uestes. Vnde Eupolis in Maryca, εἰς Θεσσαλίαν, id est Thessalicè circumuestiti sumus. Cæterū ne in totum uidear Thessalos infectari, operæpretium fore opinatus sum, quod ex diuersis captauimus, apponere. Igitur Quintus Curtius gestorum Alexandri libro tertio, Thessalos equites, Acarnanas, & Aetolos inuictam esse dicit bello manum. Et in Menone Plato Thessalos scribit inter Græcos fuisse illustres tum equitatu, tum diuitijs. Polybius quoque auctor grauis Thessalicos equites conferto prælio insuperabiles esse confirmat. Quos tamen si per partes attentaueris, lacerare carpereque facillimum sit. Usque adeo natura non solum hominum corpora, uerum etiam animos sui dissimiles finxit, ut sæpenumero unus idemque homo, non modo in rebus diuersis, sed in simillimis modo inauditam celeritatem, alias incredibilem ignauitiam ostendat. Aratus in rebus ciuilibus usquequaque fuit perfectus, re militari peritus. At si acie dimicare cogere, in consilijs segnis, in subeundis periculis timidus erat. Legimus præterea, aciebus ad rhombi similitudinem formatis Thessalos primos esse usos, Iasone (ut ferunt) auctore, ut quæ sint ad omnes usus accommodatio res: equites enim hac forma constituti uertere sese in quemuis prospectum possunt, minimeque uel à tergo uel à latere capi. Est uero rhombus quadrilatera figura, quæ tamen recti angula non est. Sicut rhomboides, quod in contrariū collocatas lineas atque angulos habet æquales, non autem rectis angulis, neque lateribus æquis continetur. Præter hæc uero omnes quadrilateræ figuræ trapezia, hoc est mensulæ nuncupantur. Insuper apud Theocritum esse magicū instrumentum uidetur rhombus. Corymbum ab Atheniensibus quidam putant dici, Apollonij interpres rhombum esse rotulam dicit, quam Ioris diuerberantes circūagunt, atque ita sonum inde eliciunt. Quidam etiam Didymon uocant rhombum dimidiatum, in re militari, etiam transformatum in triquetrum, cuneum seu rostrum uocamus. Rhombum præterea lego cōmunius strumbam dici, quæ & bombix nuncupetur, uerum & strombus, unde στρομβόλον inflectitur. At in Olympijs Pindarus rhombum uocat iaculi euibrationem: quæ μετὰ δυνάμει planè fiat, id est haud citra rotatam uertiginem. Acie cunèata Scythæ utuntur, & Thraces: quin & Macedonas usos inuenio, Philippo suadente. Inuistam porrò Thessalis animaduerto uoracitatis notam. Propterea in Lamia Crates, τριπύην θεσσαλικὴς τετυμωμένα, id est trium longitudine cubitorum incisa Thessalico more. Nam carniū portiones facere grandiores, gentis eius erat proprium. Quando & carnem θεσσαλόμηνον, id est Thessalicè incisam, Philetærus dixit in Lampadophoris: quin & Thessalicam enthesin de magna pronuntiabant. Capanica uero Aristophanes, uelut amaxiæa dixit, id est plaustralia: quoniam currus Thessali καπινας dicunt. Quanquam est item in curru uirga quædam dicta Capane. Capus uero proprie locus est uentorū sentiens perflatus, unde Capas uocant præsepia, quoniam ab equis diffentur. Scapane lignonem indicat, quem & scaphium uocant: communius etiam τζαπίον, inquit Theocriti interpres, sed Attici Amam. In gymnasio Cylabare apud Argos, de Stheneli filio sic nuncupato, uisebatur Palladis simulacrum, inquit Pausanias, quæ Capania dicitur, id est καπινα. Pharsali inter hos incessabantur præcipue, quod significat Mnesimachus, ἢ φαρσαλίωμ ἡκετις, ἢ καὶ τὰς τραπεζίας καπιναίους, id est Pharsalorum uenit aliquis, ut mentas uoret ipsas, Turpitudinis eiusdem infamantur labe in Græcia item Bœotij, ut auctor com-

probat Polybius historiæ uigesimo, Et qui eos, uelut uasa dixit, quæ sortita uocem non aliud eloquantur prorsum, ni quantum capiant singula. Ut Βοιωτίαν hic ἔφ' ἔφ' præteream, quamuis eam se euasisse, in Olympijs gloriatur Pindarus, dum Aeneâ alloquitur chorodidascalum, quem esse Musarum scythalam pronuntiat, id est, nuntium, ac uelut carminum præconem. Illud superpondij loco adiecerim hic, Ogygum fuisse uetustum adeo Thebarum regem, uti quicquid perantiquum uisatur, dici Ogygium recte ualeat. Sunt tamen qui in Aegypto regnasse autement hunc, unde sit Cadmus, qui in Græciam profectus Thebas condidit, ab boue iugulata sic nuncupatas, quoniam Syrorum lingua bos dicatur Thebe. Bœotios denique dicebat Pericles, esse illicibus perlimiles: quod ex Aristotele est, quoniam semet intestinis conficerent diffidij. Suum autem illicis est, uti densiore sit materia, ualidaque: sed ita ut diffiliat nulla externa uis, cōfringaturque. Hic uero quoniam de fide actum, deque Bœotijs, id subnectamus potissimum, fuisse Thebis ἐργὸν λόγον, id est sacram cohortem, quam Gorgidas instituerit primus, ex electissimis uiris, hoc est amatoribus amatisque, ut uoluerit nonnulli, quando hic est ad robur nexus præpotens. Nam legimus, inquit Plutarchus in Pelopida, Iolaum Herculis amatum fuisse certaminum participem ac propugnacionis. Prodit autem Aristoteles, uel tempestate sua ad Iolai monumentum τὰς νεοτατισώσας ποιεῖσθαι ἐρωιδίους καὶ αὐτὸς ἐρασάς, hoc est amatos amatoresque fidem solitos obstringere obfirmareque. At interpres, Aristoteles quidem etiam pro sententia animi sui ait, apud sepulchrū Iolai amantes atque amatos tumulo solennia misisse.

Magiæ species esse plures, quo ue disparentur discerniculo. Libri improbatæ lectionis qui Teletæ. Pyctaciola. Prophetæ pro Magis. Item pharmacia quæ intelligatur. Magorum lynges. Goetia. Eposæ. Magiæ nomē unde fluxerit. Virgiliij locus explicatur.

Caput XXXIII



Vi acuratus introspicere ista enixi sunt, magiæ fastigia duo deprehenderunt: alterum infame est, ac immundorum spirituum cōmercijs inauspicatum: reliquum, si penitentiū explores dispiciasue, non ferè aliud est, quam naturalis philosophiæ apex. Priorē illā non magnopere magiā, sed goetiā uocat Græci, incantationibus & carminibus nefariæ curiositatis arte cōpositis cōcinnatā, quam honestiore uocabulo etiam theurgiam nuncupare audent: sed discerniculo tamen quodam, ut illicitis artibus deditos, cuiusmodi excogitasse Zabulus memorat, alteros intelligi damnabiles uelint, quos & maleficos appellant uulgò. Horum enim esse goetiā proprie dicunt. De qua cōcinnantur libri, quos improbatæ lectionis appellat lurescōfultus Vlpianus, protinusque esse corrupendos statuit. In quod forte genus ueniunt pyctaciola ad ægritudinem cōscripta quamlibet. Laudabiles uero alteros, quibus theurgiam deputant, quamuis utriusque ritibus sint dæmonum fallacibus obstricti, sub angelorū nominibus. Nam & Porphyrius quandam quasi purgationem animæ per theurgiam, cunctanter tamen & pudibunda quodammodo disputatione promittit. Reditum uero ad deum hac arte præstari cuiquam, inficiatur omnino. Quibusdam uero consecrationibus theurgicis, quas teletas uocant, idoneā fieri atque aptam susceptionem spirituum & angelorū ad uidendos deos, arbitratur. Quæ uero proprie magiæ nuncupatur, perfecta creditur, & summa scientiæ potestas, quando Persarū lingua est magus, non ferè alius quam diuinorum interpres & cultor. Goetiā omnium placita legum exterminant, execranturque. Magiam festo plausu sapientissimus quisque excipit, uenerat & colit, ut quæ altior sit sanctiorque philosophia, ex qua præsignis profuat literarum claritas. Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem quoque hanc equis uelisque conquisiuisse, nauigatione suscepta non longiore modo, sed & periculosa, constans opinio est. Huius ueluti parentes celebrant, Zamolxidem quem postea sit imitatus Abbaris Hyperboreus: Zoroastrem, non quem uulgaris recipit opinio, sed Oromasi filium. Plato certe in Alcibiade apertius testatur, non aliud sibi uideri Zoroastri magiam, quam diuinorum scientiam atque cultum, qua imbuantur Persarum regum filij, ut ad mundanæ reipublicæ imaginem, suam & ipsi reipublicam administrare distribuereque cōdiscant. Propterea M. Tullius in Diuinationibus, neminem apud Persas regio potiri fastigio scribit, qui prius magicam non imbiberit scientiam. Et P-

sidonium

sidonium sequutus Strabo, esse Parthorum duplex concilium scribit, unum quidem *συγγνωμν*, id est nobilium, ut ipse interpretor. Alterum uero nobilium & magorum. Ex utroque quorum reges allegere consueuerint. Strabonis interpres, *συγγνωμν* affines dici putat parte ista: id quam recte, ipse uiderit. Plinius utique cognationem, syngenicon, agnationem, pro nobilium accipit stemmate. Verum ad magiam redeo. Hæc naturalium consensus, quem significantissime Græci *συμπέδιον* uocant, indagine scrupulosa dum rimatur exploratius, intersparlas mundo potestates rerum, alioqui quasi illatebratas, in naturæque quodammodo sanctarijs recoditas in apertum ita producit, ut per illecebras mutuas, quæ magorum *ἰσχυρ* nuncupantur, & cognationem quandam miracula consurgant maxime mira, non utique magia ipsa artifice, sed natura potius, cui se hæc mutuos copulando apte consensus ministram exhibet. Quibus disparatis disiectisque, ac (ut sic dicam) diuaticatis cessant illa, & ueluti in sinu maiestatis parentis interquiescunt, donec conciliator excitatorque accesserit opportunus. Quem non alium deprehenderit, quam magum, recoditissima queque diuinorum operum exactissime speculantem, prominentemque illa in actum scientiæ angustioris profunditate, cuius ignarum uulgus pullatum carpit, quod nescit, conuellit, quod singulari dignum ueneratione censetur. Quando ecclesiasticos doctores plures hanc nouimus amplexatos. Hanc denique Magnus Albertus ita approbasse comperitur, ut sequeretur, & periclitando multa se deprehendisse, non erubescat non inficiari. Goetia maxime probantur insignes Aegyptij, quod præcipue dæmonum ibi uiguerit cultus. Magia uero præcellunt Aethiopes & Indi, quia ea mundi portio herbis, alijsque ad eum usum peraccommodis maxime scateat. Porro hanc magiæ distinctionem ab Hieronymo item significatam, coniectare licet, ubi ad Paulinum scribens, Apollonium ait Tyaneum fuisse magum, sicuti uulgus, siue philosophum, ut astruebant Pythagorici. Denique ad inuisendum adorandumque **C H R I S T V M** uenisse magos, ueritas testatur euangelica: Eos, opinor, impium fuerit, omnium suffragio damnatis illis adiecisse: quando & interpres quidam non maleficos ibi, sed Chaldaeorum philosophos monuit intelligi oportere. Lego item, magos quandoque prophetas dici, præsertim si & futura præfagirent, ac religioni adnexam medicinam consecrarentur. De goetia suspicor in libro De mysterijs Iamblichum intellexisse, ubi ait, Quæ fascinati imaginamur, præter imaginamenta nullam habent actionis & essentiae ueritatem. Eiusmodi namque magiæ finis est, non facere simpliciter, sed usque ad apparentiam imaginamenta porrigere: quorum mox, nec uola (quod dicitur) compareat, nec uestigium. Goetiam inuenio ab incantationibus dici quoque *ἑπωδῶν*, id est epodem, quasi tu excantatricem nuncupes. Nam & quæ causarios excantat pueros, solet appellari Epodos. Polybius epodes, & goetia iunctim commemorat. Apud Græcos hanc traditionum disparationem obseruauimus, esse quidem *μαγείαν* boni ad bonum aliquod dæmonis aduocationem, cuiusmodi fuerint Tyanei Apollonij uaticinia. *γογγύειαν* uero mortuos excitare, unde etiam a luctibus sit nuncupata, id est *ἀπὸ γόγγυ*, qui ad sepulchra adii allueuissent. Pharmaciæ autem, hoc est *φαρμακείαν*, ubi philtia porriguntur esu haurienda, uel potu. Quæ omnia ex Medis sint comperta, & Persis, unde & magiæ nomen uideri conflatum potest. Persas namque Magusæos nuncupant, sed *μαγῶν* indigenæ pronuntiant. Cæterum ut parte hac, ueluti arbiter honorarius inter dissiutantes sententias, iudicium meum proferam: theurgiam ab Augustino reiectam, animaduertito à naturali magia non discrepare admodum, quando in Diuinationibus Cicero scribit, In Persis augurari magos, & diuinare, congregarique in fano commentandi causa, atque inter se colloquendi. Et quod grauius multo est, in libro De sacrificio & magia Proclus, dum hanc naturalium sympathiam cognationemque, & ut interim compassionem dicam, latissime monstraret, etiam numinum aduocatione uti solitos magos per huiusmodi rerum consensus, tradit. Ex quo artis liquet infamia, ne forte triconibus, ut ueteri utar uerbo, etiam Iulio Capitolino usurpato, id est contentiosis, ac litium amantibus laceffendi me ansam uidear offerre, quod numinis appellatione prætenta, ad dæmonum uasframenta reclinata impeditissimis & ipsa erroribus obretita minus perspicaces præcipitaret in interitum. Proditur literis à Græcorum plerisque, fuisse Paletem quendam inter magiæ uanitatis consecratores primæ notæ, eum tradunt excantaminum

taminum potentia consueuisse differitissimum repente conuiuium discubitoris præmonstrare, mox ubi collibitum fuisset, omnibus euanescentibus ita, ut omnino parati uisere tur nihil. Si quid pretio comparasset, id agebat, ut erogati nummi in suis comparent loculis, eluso uenditore. Numam quoque Pompilium eiusmodi præstigijs quædam operatum legitimus. Sed & Pythagoram item illum doctissimum id ridiculum factitasse, ut quæ collibuisse, sanguine perscriberet in speculo, moxque literis ad lunam orbis pleni obuerlis, stanti à tergo, ut in lunæ exaratas disco, comonstraret. Sunt item qui scribant, Ephesios habuisse notas quasdam & magicas uoces, quibus adhibitis, semper fierent uoti compotes, quicquid attentassent. His quoque usum esse in rogo Cæselum, auctor Eustathius scribit. In Caracalla tamē prodit Spartianus, quod ab instituto haud ita distantem est: Damatos, qui tertianis & quartianis amuleta collo propendentia gestarent. Illud sciendum denique, non naturalia solum recondita scrutari magos, uti est id quod si quem succinea indueris ueste, alterum uero paleari, ilico mutuis copulabuntur nexibus: uerum & uerba, quæ uim insitam profundentia trahere ualeant: multa etiam, quæ ab his trahi possint. Et illa quidem uero, hæc autem foemina clam adhibentes foeminam ad uirum rapiunt, admotis quoque & quæ seiungere ualeant, uelut nauæ ita ferrum cum magnete suspensum librant, ut rapiatur ad uersam. Rursumque alio inficentes raptum dirimunt eiusmodi. Verbis porro præesse Mercurium uolunt, cantibus Phœbum, excantationibus Mercurium & Phœbum simul. Hæc uero copiosius non inargute aut in callide consecrati sumus: sed ut uno, eodemque pede, Maroni lucem inferremus aliquam libro quarto:

Hæc se carminibus promittit soluere mentes  
Quas uelit, aut alijs duras immittere curas.

Qui sint habitus prioribus forma præsignes. De Phaone pluscula. Item de Sappho pauca. Belli qui dicantur Martialis declaratur. Caput xxxiiii

**D**E pulchritudine alias ex Platonis museis ampliter, nunc ex historia quæ ingerunt sese haud queo præterisse. Forma in primis apud Græcos uisenda & amabili fuisse Alcibiadem ferunt, inter Romanos uero Scipionem. Demetrium cognomento *πολιόκετλῶν*, boni quoque huius plurimum uendicasse sibi. Alexandrum fuisse formosum traditur, sed *ἀπραγμόνος*. Cæterum & formidabile quiddam formæ inerat eius. At pulchros arguere Homerus uolens arboribus assimulat ferè,

*ἢ δ' αὖτ' ἀπ' ἀμύδου ἐρνεὶ ἰοῦ.*

Hominum quoque pulcherrimum fuisse prædicant Phaona, quem inter lactucas occultarit Venus. Sunt qui prodant, portitorē fuisse hunc, eoque se fouisse artificio. Ad hunc transmissura Venus quum appulisset quandoque, gratè excepta ab eo est: etiam si, quæ nam foret, prorsum inscio. Transportata uero quò uellet, dea homini alabastrum unguenti obtulit: quo is quum se obleuisset, omnium euasit formosissimus: atque eo nomine à Mitylenorum mulieribus ardentè appetebatur: unde factum, ut adulter demum deprehensus iugularetur. Amatū à Sappho, sciunt omnes, quæ poetria fuerit Scamandronymia filia, cuiusque sapientiam admiretur etiam Plato. Fuit & in Lesbo Sappho altera, uerum meretrix, haud poetria. Superpondij loco fuerit id: pulchritudinem haud intelligi nisi in magno corpore, quoniā dignitas expetitur, quæ pusillis nulla prorsum fuerit. Bellos ceu à delicijs appellarunt ueteres, qui à Græcis ex ciuili eblandimento *ἀσάοι* uocantur: aut *σύμμετροι*, id est conformati, quod eorum membra uenuste resposum quidem habeant, pusilli tamen sint ipsi: proindeque nec pulchri, uel formosi. Quod signat Martialis,

Bellus homo & magnus, uis idem Cotta uideri:

Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

Aeginetica potentia, primumque in ea insula nummos uideri cufos. Thebæ unde. Caput xxxv



Aeginetas inter Græcæ gentis principes quædam fuisse præconspicuos, proditum monumentis est, felici quadam temporum feracitate, opportuna, commodaque indeptos multa. Nam & nauali potentia uigere plurimum, omninoque maximi censebantur. Quin & in Persicis rebus propriam ostentantur

larunt uirtutem. Quo nomine præmijs quoq; *ἀεισιμα* quæ uocant Græci, ornati egregie sunt. Omnium uero principes nummū cudere adorti sunt. Nam & ab eis *νόμισμα*, nuncupatur *ἀγνώριον*. Illud adiciamus amplius ex Pausaniæ thesauris, Asopi filias à Philiis tradit Corcyram, Aeginam, Theben: & à Corcyra quidē ac Aegina insulas nuncupatas, quæ prius Scheria dicerentur, & Oenone, id est *οἰνώνη*. A Thebe autem, quæ sub Cadmea est, ciuitatem indeptam nomen. Tametsi aliter supra relatum, haud excidit.

Qui nam fuerit in ueteri historia Maris: quiq; equum inscenderit primus.

Italæ frequentia. Itali & Italiotæ, quo differant.

Caput xxxvi

**I**Taliā omnium principes inhabitasse feruntur Ausones indigenæ, seu *αὐθαῖοι*. At uetustissimū fuisse Maritū quendam nomine, cuius antica corporis humana prorsum uiderent: postica uero, equina omnino. Nam & nomen ipsum propemodū pollere, quod apud Græcos *ἵππομιγής*, id est equo immixtus. Videri autem potest, equum inscendisse primus, & freno inhibuisse, atq; argumento eiusmodi *ἀφύης* creditus: eundem quin etiam uixisse fabulantur annos centum ac tres & uiginti: ter item mortuum, reuixisse ter. Sed enim simile ueri mihi haud fit, in Varīa historia inquit Aelianus. Nec desunt qui equitandi artem, id est *τὴν ἵππων*, in Libya compertam primo, tradant. Qua ex causa nuncuparit Pindarus in Pythiis *κυρήνην ἵππων*. Etiam si ad id referunt alij, quod ab Neptuno edocti sint Libyes currus iungere. Quin & Pallada equestrē in Libya genitam. Italiā porro terram gentes incoluisse plures, quam regionem quamuis aliam, idem prodit auctor. Cuius ratio promatur ex temperaturæ præstantia, regionis uirtute, aquarum copia, & omnia ferendi potestate, quod *πυμφοροῦ* significanter dicitur: necnon pascua facilitate, quam *εὐβοτοῦ* appellant: adiacēte porro maris bonitate præsigni, portuum quoq; numero suppetente, hincinde fluminum magna ui interluente. Qua rerum maiestate tantum non diuina, recenferi quādoq; in Italia solitas inuenio ciuitates mille centum sexaginta sex. Adnectamus huic capiti illud leuius: à Græcis Italiotas nuncupari peregrinos in Italia moram ducentes, Italos uero in Italia natos. Idem interstitium inter Siceliotas sit, ac Siculos. Cæterum Sicilienses dicimus nos & Siculos.

Lusu nec abstinuiffe uiros quandoq; laude multa præsignes. Cap. xxxvii

**I**Erculem uirum, ut ferè creditur, multæ uirtutis, nec gloriæ minoris, traditum ueteribus est. Intētissimam certaminibus obeundis curam studiumq; lusibus, quadamq; animi quasi feriatione solitum laxare remittereq; Nec Iouis & Alcmenæ filium puduisse cum puerulis colludere, & quidem sapius. Quod amplius insinuat Euripides, apud quem ipse hic deus, sicuti ueteribus est uisum, ita pronuntiat,

*γαίρω, μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀείθελλω.*

Dicere uero hæc animaduertitur assistentē habens puerum. Sed & ab Alcibiade quandoq; deprehensus Socrates est cum Lamprocle etiamnum infante colludens. At magnus Agefilæus cum filio arundinē, qui puerulis sius est mos, uelutequitaturus inscendebat: quumq; à quopiā rideretur, renidens, Tu (inquit) sile nunc quidem, factus uero pater patribus itidem enuntiato. Sed Græce sic, *νῦν μὲν σιωπῶ, ὅταν δὲ γῆν πατὴρ αὐτός, τότε ἀγαροδύσεις πῶς αὖ πατὴρ εἶμι.* Cæterum uel præcipuè ciuiliis philosophusq; uir Tarentinus Archytas cum pueris de famulitio lusus agitabat: plurimum uero ijs, dum conuiuia agitaret, oblectari assueuerat, mollitudinem quandam uitæ, ac dulcedinem commentus.

Lodouici